SEBASTIANI FOXII Morzilli Hispalensis commẽtatio in decem Platonis libros de Republica.

Ad amplissimum uirum D. ANTONIVM PERENOTVM Attrebatensium Episcopum, Regiumq́ꝫ supremum Consiliarium.

Accessit copiosus rerum atq; uocum præcipuè obseruandarum INDEX.





Cum Cæs. Maiest. gratia & priuilegio ad decennium.

BASILEAE, APVD IOANnem Oporinum.

SEBASTIANI FOXII MORZILLI HISPALENSIS, IN COMMENTATIONEM IN X. *Platonis libros de Republica, ad* ANTONIVM PERENOTVM *Episcopum Attrebatensium, Philippi Hispaniarum regis summum Consiliarium, Praefatio.*



DVAE sunt Reip. constituendę causæ, Præsul amplissime: quæ non modò cunctas hominum societates principiò unum in locũ congregauere, sed eas etiam auxerunt, conseruarunt'q; diu: cõmunionis studium humano generi à natura insitum, & rerum ad uitam necessariarum indigentia. Alterum, dissociatos homines cupiditate quadam inter se conueniendi copulauit: alterum, ne dissipati diu uellent ferarum ritu uagari, cognito societatis beneficio, effecit. Vtrunq; autem, sicuti omnes hominum semper societates deuinxit, ita perpetuò continet, atq; conseruat: cõtrà neglectum, easdem dissipat, & euertit. Quandiu enim homines congregationis appetitus, atq; indigentiæ explendę tenet cupiditas, tandiu eorundem communio seruatur: quandiu uerò singuli cœtum omnem effugere, per sese uiuere, nunquam cum alijs contrahere, cunctis abundare, nihil ab alijs requirere uolunt, debilitari, frangi'q; illam necesse est. Ergo tota uel conseruandę, uel euertendæ Reip. in eo potissimum sita est uis, ut ingenitam hanc societatis sibi à natura cupiditatem homines semper, ad eius sese bonum, ut eadem conseruetur, accommodantes, explere uelint: et se nunquam soliuagos commodè fœliciter'ue, quantumuis bonis omnibus affluant, uiuere posse arbitrentur. Huc, tanquam in ipsum non solum Rerumpublicarum initium, sed finem etiam, doctissimi uiri, quicunque aut longo rerum usu, aut animi obseruatione accurata ciuibus suis consulere studuerunt, respicientes, & quid gentis suæ mos, patriæ'q; ratio posceret, perspexere: & quid incommodi aut commodi suis, alijs'ue populis accidisset, diligenter animaduerterunt, ut expetita sponte ab unoquoq; societas rectè conseruaretur, & nihil ei ad degendam commodè beate'q; uitam

deesset. Quamobrem nonnulli perspecta suorum natura, ingenio, moribus, alij peragratis diuersis regionibus, alij noticia exemplorũ multorum, & experimento, respublicas bene ac prudenter constituêre, aut cõtaminatas temperauere melius: aut aliquam demũ cõmunem ueluti normã formandæ ciuitatis, quã imitari homines possent, literarũ monumentis prodidere: cuiusmodi sanè Plato, Aristoteles, doctissimiq; alij philosophi fuere. Quorum profectò consilium eo fuit præstantius, quo eius ad plures utilitas pertinet. Nam suã quemq; Remp. bene instituere, aut collabentẽ consilio erigere, cõmodum quidẽ est, sed ciuibus paucis: at informandę omnino cuiusq; Reip. formam rationemq; describere, quod cunctis prodesse ex æquo possit, certè id excellenti, diuinoq; prorsus consilio factum existimare oportet. Quamobrem quis nõ Platonem, Aristotelem, cęterosq; uiros illos diuinos magnopere laudet, qui prudentia parta diuturno rerũ usu, experimento, noticiaq; rerum diuersarum, & contentione animi acerrima optimam moderandæ Reip. formam summo studio, labore, uigilijsq; uoluptarijs istis principibus, atq; languentibus ocio ciuitatum rectoribus, tradere sunt conati? Illi studium in eo suũ omne ponebant, ut ciuibus tuis ipse inuigilares, ut publicum bonum tuerere, ut commissam tibi Remp. quoad fieri posset, beatã efficeres: tu contrà obdormiscis, commoditates honoresq; tuos quæris, perniciem ciuibus machinaris? illi te multis ornamentis & institutis uirtutũ instruere ad rectè gerendam Remp. conabantur: tu te innumerabilib. uitijs inquinas, ad eam deprauandã atq; euertendã? illi nihil Rep. charius haberi uoluere: tu eam expilas, affligis, opprimis? Quòd si ergo tam bene hi de Rep. omni meriti sunt: quãto æquius esset, ut uel ijdem, te loco & dignitate summoto, illam administrarent: uel tu, nisi rectè pręceptis illorum imbutus esses, ad eam nunquam accederes? Sed nolo in imprudentes ciuitatum rectores nunc inuehi, cũ, ignoratione fortasse illi Reip. bene administrandæ opposita, omnem à se accusationem remouere possint. Illud potius ipsi uideamus, quã nam ratione cuiusuis Reip. forma sit describenda: deinceps ad hanc quasi regulam, & Pla-

& Platonis, & Aristotelis, & aliorum autorum Respublicas erit examinare facillimum. Quemadmodũ nihil in rerum natura fit, quod nõ idem aliquod suæ effectionis principium, finem, formamq; habeat, atque materiam: ita in hoc constituendæ Reip. munere aliquid efficiendi ui præditum, ut magistratus: aliquid tanquam materiam perpetiendi, ut ciuitatem ipsam: aliud effectionis habens rationem, ut huius administrationem: aliud demum ut finem, id est, fœlicitatem eiusdem Reip. constituere oportet. Ita fit, ut quasi materia, sic ipsa ciuitas iam extructa, & ciuibus, horumq; ordine aliquo constituto subesse debeat: tum huic magistratus, qui gubernationem ueluti formam propter ipsius fœlicitatem addat, sit præficiendus. Et quoniam tales esse actiones hominum solent, qualis in agendo ab eisdem finis constituatur: sic uniuersa respublica ab illo eius præfecto gerenda est, ut quicquid administrationis adhibeat, in hunc referatur finem propositum. Finis autem non est tantum, ut arbitrantur nonnulli, ciuium tranquillitas, aut commoditas: sed uita iusta, honesta, atq; ad æternam beatitudinem facilè consequendam accommoda. Huc igitur omnis administratio (quandoquidem fini media interiecta debent respondere) est referenda à magistratu, non solùm ut rectè gerat Remp. uerumetiam ut eodem se planè modo, quo reliquos sibi subditos ciues, moderetur. Quapropter honestos in primis, prudentes, ac publici boni studiosos magistratus, siue ij summi, siue infimi sint, deligi, philosophorum omnium princeps Palto uult: siquidem munerum publicorum multitudo atq; ordo nec paucos, nec eos inter se non distinctos præfectos requirit. Ac ne qui fortè imprudentes, ignaui, aut commodi proprij nimium amantes, graui Reip. detrimẽto existant, ne'ue aliqua ex parte publicus ordo labefactetur, populi subditi mores, ingeniaq;, tũ regionis ratio atq; forma ab eisdẽ noscenda est, eiq; prudenter & accuratè prouidendũ. Delecti porrò iam huiusmodi magistratus, uel urbem cõmoditate situs, soli, cœli, munitionis, ac ædificiorum specta ta, fundauerint: uel iam fundatam rectius, tum ijs quæ retuli cunctis, tum ciuium distinctione atq; ordine constitutis, for-

marint: itaq; illam, quæ propria ipsorum est, administrationem adhibebunt, ut commoditati ciuium consulant, & eosdem ad institutam fœlicitatem deducāt. Ex quo intelligitur, duplicem in uniuersum gerendæ Reip. rationem existere: unam, ad res diuinas spectantē: alteram, ad humanas. atq; illā quidē religionis decreta, ceremonias, ritus, antistites, pontifices, sacerdotumq; ordines omnes, muneraq; complecti: hanc duas rursus in partes secari, quarū una belli, altera pacis procurationem contineat. è quibus item duabus, bellicæ rei administratio gerendi belli disciplinam, tempus, ordinem, munera, gradusq; magistratuū ac militum requirat: pacis autem cura uel in ocio, uel in negocio cernatur: ut ad ocium quidem dies ludis, spectaculis, lætitiæq; ciuium communi statis temporibus constituti pertineant: ad negotium uerò, ratio commodandæ ciuium habitationis, & uictus: tum iudicia causarum omnium, quæ ad conseruandos in pace illos conducant. Hæc est uniuersa Reip. constituendæ, uel temperandæ item, forma: quæ non modò humanæ uitæ usum spectantibus sese statim ostendit, sed quam etiam philosophorum doctissimi quiq; cogitatione animi delineatam secuti sunt: quamq; nos tum eo in libro quem nuper de Regni, Regisq; institutione scripsimus, ut uidemur, expressimus: tum in describenda fortasse Romanorum Rep. ea quæ ab exactis regibus usq; ad C. Cæsaris dominatum fuit, addito singulis institutis iudicio nostro, si ocium aliquādo detur, sequemur. Sed tamen ut prima illa cunctis mentis nostræ semina eadem sunt, nec sunt omnium eisdem de rebus eædem sententiæ: ita eorum qui Respublicas constituêre, plerique omnes communem illam à nobis modò propositam formam secuti, cum est ad singula quæq; deuentum, multa arbitratu suo tum cōmoda, tum incōmoda, tum honesta, tū inhonesta finxerunt, quibus Remp. bene geri posse existimarunt. Et quidem, sicut prudenter is faceret, qui Remp. aliquam constituturus, ciuitatum atq; nationum diuersarum mores, institutaq; nosceret: tum causas incommodorum omnium, quæ accidere quaq; in re possent, diligenter notaret, ut hęc omnia in Reip. suæ utilitatem, spectata

ctata eius conditione, conferret: sic ediuerso imprudentissimè, si quicquid specie utilitatis oblata placeret, ad unã accommodaret Rempub. Quę res docet, laudanda quidẽ magnopere cùm aliorum philosophorũ, tum Platonis & Aristotelis in rebuspublicis describendis studia esse, quòd & huic rei primi ferè omnium operam dederint: quodq; multa prudenter inuestigarint, notataq; scriptis mandarint, quæ non sine graui negligentię reprehensione Principes hodie legere negligant. Sed id eorum quibusdam esse condonandum, quòd uel nonnulla parum utilia & honesta, suisq; fortasse cõmoda solùm generatim tradiderint, uel alia utiliss. prætermiserint. Nam Plato quidem, ut uerũ fateamur, præclarè remp. hanc, quam decem libris describit, finxisset: si ordine, si ratione, si copia, si consiliorum multorum quæ in ijs complexus est, bonitate contentus, cõmunitatem illam uxorũ, bonorum ac munerũ publicorũ parem uiris cum fœminis omisisset, ac sese ad communem uitæ usum, moresq; hominũ magis accõmodasset. Aristoteles item fecisset longè melius, si religionis aliquam, cuius uidetur ubiq; negligens, curam habuisset: nec utilitati ciuium, aut tranquillitati magis studuisset, quàm eorundem pietati erga Deum, cuius habetur à Platone diligentissimè ratio. uterq; autem, si non unam tantummodo ciuitatem, sed uniuersum aliquod regnum, quod erat magis optandum, formauisset. Vnde præclaram, meo iudicio, ex utriusq; libris Remp. demptis & quasi purgatis utrinq; uitijs, quis constitueret, si ab altero rerum diuinarum atq; uirtutis studium, ab altero cõmodorum humanæ uitæ rationẽ, quibusdam additis, quæ requiruntur adhuc, desumeret. Hoc ego de authorum antiquorum scriptis à docto quouis iudicium, hunc sensum requiro, ut si quid illi rectè usquam dixerint, probet, & amplectatur: si secus, ingenuè nõ uereatur respuere: nec pertinacissimè quiduis defendere, magno etiam cum detrimento iudicij, æstimationisq; suæ conetur. Quorsum enim attinet, Aristotelica omnia, Platonica'ue decreta, quasi pro aris & focis te depugnantem tutari? cum neq; illi quidẽ defendere sua semper, & ueritatis studio passim æstimationẽ postponi suã,

se uelle profiteantur? Suscipiat, per me licet, quicũq; Platonis aut Aristotelis defensionẽ, cunctosq; in ea uiriũ neruos intendat, rationes exquirat ac proferat: certè apud me pluris est ueritatis ad eam quam perfectissimam esse Reip. formam constet, examinatæ autoritas, quàm uel doctissimi uiri prætextu uerisimilium rationum adumbrata defensio. Qua in re nec Procli, nec aliorum Platonicorũ, inutile (meo certè iudicio) studium in explicandis fabellis, exemplis, similibus, allegorijs, quibus Plato, ut grauiora doceat, interdum utitur, probo: cùm alius explanandis autorib. Philosopho finis, alius Grammatico in colligẽdis caducis quibusdam flosculis, quod in hisce libris Proclus fecit, propositus esse debeat. Tantum enim abest, ut hęc alicuius esse momenti putem, ut quicquid in hac parte laboris ponatur, leue, futile, inane, puerileq; iudicem. Alia igitur longè diuersa ab illa priori ratione, prudentum uirorum scripta euoluenda sunt: ea præsertim, è quibus utilitatis aliquid ad humanæ uitæ usum posit accedere. Noscendũ enim in primis esset ipso ex progressu orationis, propositum ab autore consilium, non uniuersa in disputatione modò, sed singulis etiã in sermonibus atq; periodis: tum ad illud ipsum cuncta uel argumenta, uel digressiones, uel alia huiusmodi demum apud autores frequentia, uel digito etiam designata, & abditis ex artificij penetralibus eruta referenda, atq; examinanda: & cum alijs uel autoris eiusdem, uel aliorum similibus conferenda. Hoc cùm in omnibus est autorib. summo studio faciendũ, tum in Platone pręcipuè: cuius decreta, quæstiones, & argumenta singula ferè ubertate dictionis, frequenti personarũ interpellatione, diffusa inductionum, similium ac digressionum prolixtate occultantur. Quo quidem consilio, quanquam illius Timæum, atq; Phædonem, fusioribus aliquando Commentarijs illustrauimus: hos tamen nunc de Rep. libros breuius explanandos censuimus. ijdem enim sic à me explicantur, ut summa quædam libri cuiusq; rem omnem ob oculos ipso in eius aditu ponat: deinde singulæ ubiq; quæstiones, & argumenta eôdem pertinentia euoluantur, ac breuiori quadam, lucidioriq; forma conclusa indicentur. si

quid uerò difficultatis aut in re aut uerbis insit, maxima ex parte tollatur. Atqui hanc interpretandi formam commodiorem illa esse, quam est Proclus secutus, iudicauimus: ideoq; nec eius adiumento uti, nec de commentariorũ ipsius fragmẽtis quicquam omnino trãsferre: sicut neq; Platonem ipsum, quòd à Ficino minus concinnè, apteq; sit uersus, de Græco Latinum facere uoluimus: quoniam in eo grauis, diuturnusq; labor subeundus, utilitas autẽ nulla, aut exigua esset.

Hanc igitur commentationem qualemcunq; tibi ut dicarem, Præsul clarissime, hæc me persuaserunt: primùm, quòd rectè gerendæ Reip. forma offerenda ei uideretur, qui & in amplissimo munerum publicorum gradu locatus, magnam, iustamq; rei bene gestæ laudem promeritus sit: & ingenij acumine, dexteritate, prudentia hæreditaria cunctos Rerumpublicarum rectores superet. Deinde, quòd nemo te aut hisce de rebus quæ in scriptum referantur, aut ad uitæ communis officia, resq; agendas pertineant, prudentius, acutius, ac melius (quod magni profectò momẽti in principe uiro, atq; inusitatum hoc saltem tempore est) iudicare possit. Postremò, quòd magno literarum atq; doctorum studio tenearis: desq; operam omnem, ut non modò tuam eruditionem nequaquam uulgarem, consilia, sensusq; in remp. nostram tuus declarent: sed ueterem etiam illam Gothorũ barbariem, Regibus suis artes ingenuas, quòd debilitare animi robur diceret, prohibentiũ, prouectis melioribus studijs, tollere exemplo, autoritateq; summa nitaris. Quæ quidem utinam omnes aut pro dignitate tua nosse, aut prædicare de te uellẽt, ut hisce deprauatis temporibus summum aliquem uirum proferrent, quem exquisita prudentia, inusitato iudicio, polita & eleganti doctrina ac probitate excellentissimis il lis, è quibus celebrat paucos antiquitas, uiris possent opponere.

SEBASTIANUS FOXIUS MORzillus Ioanni Oporino S.

QVod à me aliàs non semel per literas petijsti, ut sicut in Platonis Timæum, atq; Phædonem, ita quoque in alios eiusdem autoris libros commentationem aliquam darem: tandem, Oporine, impetrasti. Quamobrem has nunc in X. illius de Repub. libros Annotationes, perbreues quidem illas, sed festinatione tua cursim conscriptas, mitto: unà etiam in Legū uolumen similes alias (ni meæ aliquot, quo minus perficerentur, occupationes obstarent) daturus. Quas si probari doctis intelligam, equidem & labori meo, & petitioni tuæ multùm gratulabor: quòd cohortatione tua, ex neglectis propemodū studijs fructū perceperim. Sin aūt: omnem in te uel ignorantiæ, uel negligentiæ nostræ accusationē reijciam, quòd tu me ad rem multo difficilimam, aliud agentē, atq; imparatū, intēpestiuè inuitaris. Maius enim studiū, ac recentiorem memoriam, diuturniorem item laborē, quàm esse nunc in me potuit, Platonicorū librorum interpretatio poscebat. Nos autem, ut festinanti petitioni tuæ, uolūtatiq; obsequeremur, breuissimo temporis spacio hoc quicquid est cōmentationis, perscripsimus. Quod tamen ipsum iudicio tuo ita cōmittimus, ut quando huius te nostri laboris quasi fideiussorem constituisti, in te, quæcunq; euenire posit, reprehensionem recipias. Vale, Louanij.

ARGVMENTVM IN LIBROS DECEM
Platonis de Republica.


rum eam Plato uelit Remp. describere, quæ quidem, ut ipsemet ait in Noni libri fine, cogitatione animi perfectissima, eius formam intuentibus esse uideatur: non quæ in terris usquam, aut apud homines ullos existat: sic omnes eiusdem partes instituit, ut unius habeat iustitiæ rationem. Qua etiam de causa non de Rep. ut alij: sed de Iusto, hoc est, de Reip. iusticia hos libros inscribendos putauit. Cum hoc itaq; eiusdem institutum fuerit, de iusticiæ uirtute ita disserit, ut ad hanc omnia præcepta tanquam ad regulam ciuilis institutionis referat. Quam obrem totus prior huius Operis liber, in definitione iusticiæ inquirenda uersatur: quam tamen uixdum in eo inuentam accuratius in secundo exquirit, comparatione iusticiæ & iniusticiæ facta, quo melius res instituta inueniatur, adiuncto contrario. Cum ergo latentem illius uirtutis essentiam utcunq; exquisierit, ueluti inuenta iam norma ipsa, ad cuius rationem formanda Resp. sit, præcepta singula de ciuitatis institutione tradere incipit. Et quum ciuitatis temperatio ex ipsa ciuium institutione fiat, tum in secundo tum in tertio libris custodum reipub. seu propugnatorum officium, & institutionem, ab ipsa pene infantia incœptam describit. Porro in quarto totam quasi reipub. figuram connexam partibus suis proponit, eiusq; uniuersæ ac singularum partium officia tradit. Quæ eadem cum eò tendant, ut magna in ciuitate consensio, unioq; è ciuibus omnibus constituatur, ac si fieri possit, unus è multis animus fiat, in quinto libro de bonorum, uxorū, filiorum, officiorumq; cōmunitate latè disputat: quoniam hisce rebus Plato summam illam ciuium consensionem fieri posse existimauit. Constituta uerò hoc modo ciuitate, quando ea unius principis consilio administranda est, si unitatē illam consensus tenere debeat: sextus liber eiusdē principis descriptionem continet. Qui ipse quia philosophus esse debere fingitur, primò philosophi munus ipsum, officia & partes generatim depinguntur, usq; ad eiusdem libri finem: mox in septimo expressius singulæ artes ac disciplinæ ab eo ediscendæ cōmemorantur, ordoq; in ijs cognoscendis definitur. Cum sic igitur conformata reip. iustissimæ forma uideatur, & tamen sint aliæ plures ab hac diuersæ, quas quisq; aut pro libitu aut affectu tueri uelit, cū hisce omnibus illam ipsam conferens, easq; inter se rursus mutationes singularum in alias, uicissitudines, uitia incōmodaq; omnia recenset in octauo, ac nono: tandemq; concludit, optimam esse illam remp. quam ipse depinxerit: reliquas uerò aut uitiosas, aut certè multum à dignitate illius prioris discedentes. Hactenus iusticiæ eius, quæ in ciuitate spectatur, aut iniusticiæ formam ostendit Plato, descripta rep. quadam iusta. Quia tamen homines utilitatem adeò in omnibus consectantur, ut illam cum iniusticia amplexari sæpe non dubitent: propositta esse quoq; non modo in hac uita, sed etiam post eam ipsam, de mortuis hominibus uel rectè factorum præmia, uel scelerum pœnas docet: quo possit commodius omnes ad rectè agendum allicere, reliquos uerò à uitijs & suppliciorum metu deterrere. Atque hic quidem ordo Platonis de Rep. librorum, ac forma est: quæ longè quidem apertius tum in singulorum argumentis, tum in ipso orationis progressu sese ostendet postea legentibus.

ARGVMENTVM IN LIBRVM PRIMVM PLAtonis de Republica.

QVando institutum Platonis in his de Republica libris est, uti diximus, iustam quandam ciuitatem describere, in hoc primo libro Socratem de iustitia disputantem inducit cum Polemarcho, & Thrasymacho. Nam cum idem in Piræum una cum alijs concedens, indeq; rediens, deduceretur à Polemarcho in domũ suam, ibiq; cum Cephalo sene illius parente, de senectute ageret multa: pauca principiò eodem cum sene de iusticia differit, non ut cum eo disputationem ineat, sed ut disputandi occasionem alijs præbeat. Quare cum Polemarcho primùm, cum Thrasymacho posteà, plenè de iusticia differit. Atq; ita in hoc libro, ut eius summam breuiter ob oculos ponamus, in primis de senectute agitur, quod id sit accommodatum exordium ad disputationem de Republica, quæ senes maxime deceat: sicuti morum ipsa philosophia, quemadmodum ait Aristoteles lib. 1. Ethicorum. Hinc Socrates ad disputationem de iusticia progreditur: quia iustissimam Rempub. describentem, necesse prius sit docere, quid sit iusticia. Quid autem ea sit, quanquam accuratè quæratur, in hoc tamen libro, quid nõ sit potius, quàm quid sit, ostẽditur. Quamobrẽ eam in primis negat esse, reddere absolute quicquid à quoquam sit acceptum: nec etiam illius esse propriũ, reddere quod cuiq; congruat: nec demum id esse iustum duntaxat, quod magistratui, uiris q; principibus uideatur. Quid uerò ipsa sit, tum ex contraria horum ratione, tum ex sequentibus libris facillimè postea intelligetur.

PLATONIS DE REPVBLICA, SIVE DE IVSTO, LIBER PRIMVS: MARSIlio Ficino interprete.

Socrates, Glauco, Polemarchus, Thrasymachus, Adimantus, Cephalus.

1

DESCENDERAM heri in Piræũ, unà cum Glaucone Aristonis filio, ut & deam precarer, & celebritatem spectarem: quo nam modo acturi essent, quę tunc primùm agebãt. Pulchra igiť mihi patria pompa uisa est: sed nihilo minus, ut uidebatur, decens fuit ea quam Thraces mittebant. Cum uerò preces egissemus, & spectaculo interfuissemus, in urbẽ regrediebamur. Aspexerat autẽ procul nos redeuntes domum Polemarchus Cephali filius: seruulumq; currẽtem mittendo, expectare iussit. A' tergo igitur ueste me apprehendens seruus: Iubet uos, inquit, Polemarchus manere. Egoq; ad eum conuersus, ubi nã ipse esset, interrogaui. At te ponè sequiť, inquit. Verùm expectate. Expectabimus, respondit Glauco. Ac paulo pòst Polemarchus uenit, unaq; Adimantus Glauconis frater, & Niceratus Niciæ filius, & alij cõplures, qui à pompa uenire uidebanť. Igitur Polemarchus: Videmini, inquit, ô Socrates, tanquam abituri, ad urbem cõtendere. Non malè, inquam, coniectas. Vidés ne, inquit, quot sumus? Quid

2

nis? Aut ergo his fortiores esse uos oportet, aut manere. Vnum hoc concedetis, inquam, uos uidelicet permissuros abire nos, si persuaserimus dimittendos esse. Nunquid persuaderetis, inquit, nõ audituris? Nequaquã, inquit Glauco. Perinde itaq; tanquam audituri non simus, inquit, deliberate. Tunc Adimantus: Nescitis, inquit, uespeři facibus cursuq; equorum ludendum in honorem deę? Equorũ cursu, inquã? Nouum hoc certè. faces ne gestantes, & uicissim illas sibi tradent, equisq; certabũt? An ita dicis? Ita prorsus, inquit Polemarchus. quare aut potentiores sitis necesse est, aut hic maneatis. Nocturna præterea sacra peragent, digna certè spectatu. Surgemus enim post cœnam, eaq; sacra spectabimus, aderimusq; illic inter multos familiares, & confabulabimur. Sed manete, nec aliter facite. Atq; Glauco: Videť, inquit, manendũ esse. Verùm si uidetur, inquam, sic facere oportet. Profecti igitur sumus domũ Polemarchi, ibiq; reperimus & Euthydemum & Lysiam, Polemarchi fratres, Thrasymachum Chalcedonium, Charmentidem Pæanieum, & Clitophontem Aristonymi filiũ. Erat & intus pater Po-

lemarchi Cephalus, ualde quidem senex, ut mihi uidebatur: diu nanque eum non uideram. Sedebat autem coronatus in quodam ceruicali, & sede: in aula enim sacrificauerat. Consedimus igitur iuxta eum, plerisque sedibus in orbem dispositis. Quamprimum itaque me cōspicatus est Cephalus, salutauit, dixitque: O' Socrates, rarò admodū ad nos accedis, in Piræum descendēs. Oporteret autem. Nam si ego adhuc ualerem, ut in urbem uenire possem, minimè opus esset ut tu huc ad nos, sed nos ad te tenderemus. Nunc autem te huc crebrò aduentare decet. Profectò quāto magis me corporis uoluptates deficiunt, tanto cupiditas confabulandi, & uoluptas quam ex ea re capio, augetur. Hoc igitur age, & unà cum istis iuuenibus huc ad nos ueni, tanquā ad amicos apprimè familiares. Atqui, inquam ego, ô Cephale, ualde quidē delector senilibus sermonibus. Videtur enim mihi, audire ab his oportere, qui uiam aliquā iam perfecerint, quæ et nobis fortasse peragenda erit, quàm aspera & difficilis, uel quàm facilis sit & peruia. Atque ex te libenter audirem, quidnam de hac re sentias, cum huc ætatis perueneris, quod in limine senectutis esse poetæ aiunt: Vtrum difficultatem uitæ, uel quomodo ipsum enūcies. Ego tibi per Iouem, inquit, dicam ô Socrates, quod mihi uidetur. Sæpe cōuenimus plerique ferme æquales, antiquū illud seruantes prouerbium. Plurimi ergo nostrûm in eo cœtu lamentant̄, uoluptatum quibus in iuuentute frui licuit, desiderio affecti: & rem ueneream, & conuiuia, cæteraque generis eiusdē recordati: grauiterque ferunt, tanquam maximis priuari rebus: & tunc quidem se bene uixisse affirmāt, nunc autem ne uiuere quidem. Nonnulli etiam domesticorū conuicia contumeliasque deplorant, & in hoc senectutem maximè accusant, tanquam maximorum sibi causam malorū. Mihi autem huiusmodi homines haud iure senectutem, ut horum causam culpare uidentur. Nam si hæc caussa esset, & ego eadem essem passus propter senectutem, & reliqui omnes qui ad id ætatis deuenerūt. Verùm ego etiam multos nō ita affectos inueni: & cum Sophocle nonnunquam fui poeta, qui cum à quodā, quónam pacto in uenereis se haberet, interrogaret, & an posset mulieribus admisceri: rectè respōdit: Bona uerba quæso, ô amice. libentissimè hæc, tanquā furiosum agrestemque dominum, aufugi. Perbelle igit̄ & tunc illi respondisse mihi uisus est, & nunc nō minus. Omnino enim ab huiusmodi rebus in senectute multa pax inest, & libertas. Quando enim deferbuerunt, cessaueruntque libidines, omnino hoc Sophocleum accidit: Nam à multis dominis, & his insanientibus, liberamur. Sed & horū, ô Socrates, & eorum quæ aduersus familiares dicūtur, una quædam causa est, non senectus, sed mores hominum. nam si modesti & faciles sint, haud nimis senectus his laboriosa contingit: sin contrà, & senectus, & iuuentus, ô Socrates, his difficilis. Tum ego mirificè his quæ dicebat delectatus, pluraque audire cupiēs, ita eum ad reliqua prouocaui: Existimo profectò, ô Cephale, multos, quū ita dicas, minimè hæc admittere: uerùm putare, facilè senectutem ferre te propter diuitias potius, quàm propter mores. diuitibus enim multa solatia adesse dicunt. Vera, inquit, dicis. non enim admittunt: et dicunt quidem aliquid, non tamen quantum dici posset. Verùm illud Themistoclis pulchrè se habet, qui Seriphio cuidā sibi per contumeliam obījcienti, quòd non per seipsum, sed eius patriam, tantam esset gloriam consecutus, ita respondit: Equidem si ipse Seriphius essem, in eadem gloria uiuerem: tu uerò si Atheniensis, minimè. Idem quoque aduersus eos, qui quum non sint diuites, grauiter senectutem ferūt, dici potest: quòd neque uir ipse modestus iniquè senectutem ferret cum paupertate, neque immoderatus cum diuitijs facilè. Vtrum autem, inquam ego, ex his quæ habes, plura tibi à maiorib. relicta sint, quàm acquisiuisti, an contrà? Nonnihil acquisiui, inquit, ô Socrates: medius

enim in

enim in pecunia extiti, inter patrē & auum. Auus nempe meus Cephalus tantundem ferè, quantum nunc mihi est, accipiens, supra id multū accumulauit. Lysanias autē pater, minores etiam eas opes, quàm nunc sint, effecit. Ego autem sat habeo, si non minores istis relinquo, sed aliquātulo maiores quàm accepi. Hæc ego ideo interrogaui, inquam, quoniam mihi uidebaris nō multum diuitias admirari: quòd quidē plurimùm ij faciunt, qui sibi eas non peperere. Qui autem illas parauerunt, duplo magis, quàm alij, amant. Quemadmodum enim & poetę poemata sua, & filios patres diligunt: eodem modo, qui acquisiuere pecunias, illis student tanquam operi suo: nō ad usum, necessitatemq;, ut alij. Ex quo difficilis eorū est familiaritas, cum nihil aliud pręter diuitias laudare uelint. Vera, inquit, narras. Et ualde quidē, inquam ego. Sed hoc etiā mihi declara, Quid boni maximè ex diuitiarum possessione te existimas consecutum? Quod, inquit, nō multis fortè persuaderem, si dixerim. Certò scias ô Socrates, quòd postquā eò deuenit aliquis, ut breui iam moriturum se opinetur, incidit in eum timor, & cura quædam eorum quæ in superiori uita neglexit. Etenim fabulæ quæ de inferis dicuntur, quemadmodum eos qui iniustè egerunt, pœnas illic dare oporteat, irrisę hactenus, mouent tunc animum, ne fortè ueræ sint suspicantem: atq; ipse, siue propter senectutis debilitatē, seu quòd alteri uitæ propinquior, illa acutius inspicit, solicitudinis et timoris plenus reddit, atq; reputat, examinatq;, si quem iniuria aliqua affecerit. Qui ergo inuenerit multas eius in uita iniquitates, ex ipso somno tanquam pueri frequēter excitus extimescit, & pessima in spe uiuit. Qui autem nullius iniuriæ sibi cōscius est, huic iucūda spes semper adest, optima senectutis nutrix, quemadmodum Pindarus ait. Scitè namq; ille, ô Socrates, illud cecinit: Quicunq; uidelicet iustè sanctèq; uitā exigit, dulcis eum spes comitatur, cor nutriens, senectutemq; fouens, quæ maximè hominum uolubilem gubernat animum. Bene igitur & apprimè mirandū dicit. Ad hæc ego existimo pecuniæ possessionem plurimi faciendam esse, nō cuiuis homini, sed modesto & æquo. Plurimùm ad id cōfert pecuniarum possessio, ut quis illuc intrepidus proficiscatur: cum neq; inuitum quempiam circumuenerit, neq; mentitus fuerit, neq; debeat uel uotas Deo uictimas, uel pecunias homini. Habet præterea & utilitates alias, ac sanè permultas. Sed si unum uni conferatur, ô Socrates, non minimū, ego ponerem, ad hoc homini mentem habenti, imò plurimum conferre pecunias. Egregiè loqueris, inquam, ô Cephale. Hoc autem ipsum, iusticiam scilicet, utrum ita simpliciter ueritatem dicimus esse, & reddere quod quis acceperit? uel hæc eadem facere, aliàs iustū, aliàs iniustum est? Quod hinc apparet. Vnusquisq; enim diceret, si quis ab amico sanæ mentis arma acceperit, idem uerò insanus repetat, non oportere ea reddi, neque iustum esse eum qui reddat: uel rursus, homini sic affecto, uera omnia dicat. Rectè, inquit, loqueris. Nō ergo hæc est iusticię definitio, uera dicere, & deposita reddere. Rectè nimium dicis, ô Socrates, (sermonem subiiciens Polemarchus inquit) si quid credere decet Simonidi. Hic Cephalus: Sermonē uobis trado, inquit. nam sacra me curare oportet. Nunquid Polemarchus, inquam, tibi hæres est? Et ille quidem arridens: Est profectò, inquit: & simul ad sacrificandum discessit. Dic, inquam, igitur sermonis hæres, quid rectè dici de iusticia à Simonide asseris? Quod, inquit, iustum esse dicit, debitum unicuiq; reddi. Atq; hæc dicens, rectè loqui uidetur. Atqui nō facilè, inquam, est, fidem Simonidi abnegare. Sapiens enim & diuinus uir. Verùm quod dicit, tu fortasse intelligis ô Polemarche: ego autem ignoro. Manifestum enim est, non hoc eum dicere, quod paulo antè dicebamus: scilicet, depositum alicui non sano reposcēti reddere. Atqui debitum quodammodo est hoc, quod deposi-

tum est. Nónne? Certè, inquit. Reddendũ autem: neq; tamen tunc, quando aliquis non sanus repetat. Vera dicis, inquit ille. Aliud igitur, q̃ hoc, dicit Simonides, quãdo iustum esse asserit, debitũ reddere. Aliud per Iouem. Amicis eñ putat amicos bene facere debere, nõ aũt malè. Intelligo equidẽ, q̃ minimè debita redderet ille, qui ei à quo depositũ accepisset, aurum redderet, siquidem retributio & receptio noxia foret: amici autẽ essent inuicẽ, qui recipit & qui reddit. Nónne sic dicere affirmas Simonidem? Sic prorsus. Quid autem? inimicis reddendũ est, quod debitum? Omnino, quod illis debetur. Debetur autem inimico, ut arbitror, ab inimico quod conuenit, malum uidelicet aliquid. Ergo poeticis uelaminibus significauit Simonides, quid iustum sit. Iudicabat enim, ut apparet, iustum esse, tribuere quod cuiq; conuenit. Hoc autẽ debitum appellauit. Verùm quid putas ipsum dicturũ, siquis eum roget? ô Simonides, quæ nã facultas, & quibus, & quid tribuens debitum & conueniens, Medicina uocat? Quid nobis respõsurum existimas? Nempe, quæ corporibus medicamenta, cibos, potiones. Atq; eodẽ pacto si idem percontetur, quæ ars, & quibus, & quid præstans debitum & conueniens, Coquinaria nominatur, quid illi potissimum respondebit? Quę suauia obsonijs condimenta. Age itaq;, quæ ars, & quibus, et quid tribuẽs, Iusticia nuncupabitur? Si antè dicta sequi oportet, ea est iusticia, quæ amicis utilitates, inimicis detrimẽta reddit. Ergo bene amicos, male inimicos afficere, iusticiam dicit. Ita mihi uidetur. Quis maximè potest morbo laborãtes amicos bene afficere? Inimicos autẽ contrà, & ad bonam ualetudinẽ, & ad malam? Medicus. Quis autem nauigantes ad maris periculum? Gubernator. Iustus uerò in qua actione, & ad quod opus maximè potest amicis prodesse, inimicis nocere? Impugnãdo & propugnando, ut mihi quidem uidetur. Non ægrotantibus ô amice Polemarche, medicus est inutilis. Verum dicis. Non nauigantibus, gubernator. Certè. Num igitur non pugnantibus, iustus inutilis erit? Haud hoc admitto equidem. Vtilis igitur & in pace, iusticia. Vtilis. Agricultura quoque in pace utilis: nónne? Et hæc. Ad fructuum perceptionẽ. Sanè. Et coriaria. Vtiq;. Ad structuram uidelicet calceorũ. Planè. Quid autem de iusticia? ad quem usum aut quæstum eam in pace utilẽ dices? Ad commercia, Socrates. Cõmercia uerò dicis communicationes, uel aliud quid? Istud ipsum. Num igitur iustus, bonus & utilis erit in digerendis talis communicator? an ille, qui talo ludit? Ille profectò. Atqui in laterum lapidumue structura melior et utilior socius ipso architecto, iustus erit? Minimè. Sed in qua communione iustus melior erit, quàm citharista, communicator: quemadmodum citharista iusto, in pulsandis chordis, utilior? In argento, ut mihi uidetur. Non tamen, ô Polemarche, ad utendũ argento, quando oporteret equos uendi argento, uel emi. tunc sanè mãgo utilior esset: an non? Apparet. Et quando nauigium, faber nauis, siue nauta? Videtur. Ad quem igitur communem usum auri uel argenti, iustus alijs est utilior? Quãdo id deponere uolumus, & saluum esse, ô Socrates, cupimus. Numquid dicis, quando nihil oportet ipso uti, sed cõdere? Prorsus. Quando igitur inutile est argentum, tunc utilis in ipso iusticia. Apparet. Et quando falcẽ oportet custodiri, iusticia utilis est & priuatim & publicè: quãdo autem uti, uinearũ culturæ? Patet. Dices præterea, cum clypeum & lyram opus est custodire, nõ autem in usum promere, utilem esse iustitiam? quando autem uti his uolumus, tunc disciplinam armorum & musicam esse utilem? Necesse est. Atq; de alijs omnibus similiter est dicẽdum: Iusticiam scilicet in usu rerũ inutilem esse: quando uerò non utimur, esse utilem? Apparet. Non multo igitur studio, ô amice, digna est iusticia, si tantum sit ad

inutilia

inutilia utilis. Verùm hoc consideremus. Nónne qui aptissimus ad percutiendum est in pugna siue pugili, seu quauis alia, idem quoque & ad cadendum? Prorsus quidem. Num igitur & morbum quicunq; uitare & occultare poterit, idem & inferre ualebit? Mihi quidem uidetur. Atqui exercitus ipsius idẽ optimus est custos, qui hostium & cõsilia & alias actiones furatur. Sic est profectò. Cuiuscunq; ergo quis aptus est custos, eiusdem & fur est aptus. Apparet. Ergo si maximè seruare argentũ poterit iustus, poterit & furari. Ita ratio iudicat. Fur itaque aliquis esse iustus ipse apparet, uidensq; ab Homero didicisse. ille enĩ Autolycum maternum Vlysis auum admiratur, eumq; affirmat præ cæteris & furto & iureiurando ualuisse. Videtur igitur iusticia & secundum te, & secundum Homerum atq; Simonidem, furatoria quædam facultas esse, ad emolumentũ quidem amicorum, detrimentum inimicorum. Nónne ita dicebas? Minimè per Iouem. sed nõdum noui quid dixerim. Hoc enim mihi adhuc uidetur, prodesse amicis iusticiam, inimicis obesse. Amicos autem dicis tu esse, utrum eos qui unicuique boni utilesq; uidẽtur: uel qui sunt, etsi non uideantur? & inimicos eodem modo? Decens est amare quidẽ quos bonos & utiles quis putet, odisse autem quos malos et inutiles arbitretũ? Nónne in hoc aberrãt homines? ut uideantur multi sibi boni & utiles esse, quum mali sint & inutiles: multi autem contrà? Aberrant certè. Istis igitur boni quidem inimici, mali autẽ amici. Valde quidem. Attamen iustũ tunc istis, malos quidem iuuare, bonos autem lædere. Apparet. Atqui boni quidem iusti sunt, talesq; ut nihil perpetrent iniustè. Vera loqueris. Secundum uerò sermonẽ tuum, eos qui nulla iniuria afficiant, iustum est lædere. Minime ô Socrates: praua enim hæc oratio. Iustum ergo, eos qui iniurientur lædere, iustos uerò iuuare? Probabilior hæc oratio, q̃ superior. Contingit ergo, multis eorum qui in iudicandis amicis errarunt, iustum esse ut amicos lędant: mali enim quandoque amici adsunt. atq; itẽ, ut inimicis prosint, cum quandoq; sint boni. Atq; ita contraria dicemus eorum, quæ proferri à Simonide dicebamus. Ita prorsus accidet. Sed retractemus. uidemur enim nõ rectè amicum inimicumq; posuisse. Quid hac in positione damnas Polemarche? Quod diximus, amicũ esse eum qui bonus & utilis. Quomodo id in præsentia corrigemus? Amicum dicemus eum, qui bonus utilisq; & uideatur, & sit. eum uerò qui uideatur quidem, sed non sit, uideri quoque amicum, non tamen amicum esse. Atque eadem ratio de inimico erit. Amicus igitur, ut uidetur, hac ratione bonus erit: inimicus autem, malus. Prorsus. Iubes nos addere iusto aliquid, ad ea quæ dicebamus? Dicebamus porrò, iustum esse, amico prodesse, inimico nocere. Nunc autem uis dicamus, iustum esse, ut amicum qui bonus est, iuuemus: inimicum qui malus est, contrà lædamus? Perpulchrè mihi quidẽ hoc pacto dici uidetur. Est igitur uiri iusti, aliquem hominum lędere. Decet sanè, prauos & inimicos lædere. Detrimento affecti equi, melioresne an deteriores fiunt? Deteriores. Num ad canum uirtutem, an ad equorũ potius? Ad equorum. Nónne et canes lęsi, deteriores ad canum, nõ ad equorum uirtutẽ efficiuntur? Necessariò quidem. Homines itaq;, ô amice, detrimento affectos, nónne peiores ad uirtutem hominũ iudicabimus? Omnino. Atqui iustitia nónne humana uirtus est? Est planè. Necesse itaque erit, lęsos homines iniustiores fieri. Videtur. Possuntne igitur, inquã ego, musici, ipsa musica, aliquos amusos reddere? Nequaquam. Numquid & equites equestri, ab equestri peritia alienos? Non licet. An iusti uiri iusticia ipsa iniustos? & ad summam, uirtute ipsa boni malos facere possunt? Non certe. Non enim caloris existimo opus esse, frigidũ aliquod reddere, sed contrarij. Sic est. Neq; siccitatis humidum, sed contrarij. Valde quidem.

Neque igitur boni lædere est, sed eius contrarij. Videtur. Iustus autem bonus. Omnino. Non igitur iusti opus est, ô Polemarche, nocere uel amico, uel alteri cuiquam: sed contrarij eius, iniusti. Verissima loqui uideris, ô Socrates. Si quis ergo iustum esse duxerit, debita cuique tribui: deberi autem intellexerit inimicis à iusto damna, amicis utilitatem: haudquaquã sapiens iudicandus. neq; enim uera hæc. Constitit namq;, nullo modo iustum esse, quenquam lædere. Fateor equidem. Pugnabimus itaque unà ego ac tu, si quis hoc asserat uel Simonidem, uel Biantem dixisse, uel Pittacum, uel aliquem alium sapiẽtum, beatorumq; uirorum. Equidem pugnare tecum unà aduersus eũ paratus sum. Sed nosti cuius mihi esse hæc sententia uideatur, qua iustum asseritur prodesse amicis, inimicis obesse? Cuiusnam? Periandri esse existimo, uel Perdiccæ, uel Xerxis, uel Ismeniæ Thebani, aut alterius cuiusdam opulenti uiri, maxima se posse putantis. Vera nimium loqueris. Postquã hoc minimè apparet aut iustitia esse, aut iustũ, quódnam aliud hoc esse quis dixerit? Thrasymachus autem sæpius disputantibus nobis cõtradicere concupiuerat, sed à præsentibus qui nos audire desiderabant, prohibitus acquieuerat. Postquam uerò finem dicendi fecimus, atq; ego hęc dixi, non ulterius se continuit, uerùm sei psum colligens, tãquam fera quædam in nos impetum fecit, quasi nos protinus discerpturus. Itaq; ambo, ego atq; Polemarchus, exterriti sumus. Ille uerò exclamauit: Quæ uos nugæ hactenus, ô Socrates, occuparunt? quidue inuicem insanitis, uobis ipsis succumbentes? Quod si reuera nosse cupis iustum quid sit, me interroga solũ, néue uincere concupisce reprehendendo, postq; tibi responsum fuerit: animaduertens facilius esse interrogare, q; respondere. Sed tu ipse responde, quid esse iustum existimes: neq; mihi dicas quod decens sit, neq; quod utile, neq; proficuum, neq; cõducibile, neq; conferens: uerum planè & perspicuè mihi edissere, quidnam dicas. Neq; enim admittam, si huiusmodi nugas induxeris. Hæc ego audiens, exterritus sum, & ipsum intuitus, metuebam: atque, ut arbitror, nisi prior eum aspexissem q; ipse me, mutus penitus euasissem. Nunc, quando oratione ipsa exasperari cœpit, respexi ad eum prior. quocirca respõdere illi potui, subtremiscẽsq; dixi: O' Thrasymache, ne nobis sæuias. Si enim in sermonis inuestigatione lapsi sumus egoq; & hic, pro certo habeto, inuitos errasse nos. Profectò si aurum rimaremur, nunq; sponte ita succumberemus inuicem inquirendo, ut inuentionem impediremus. Quare ne existimes, cum in præsentia iusticiam perscrutemur, rem auro multo precioliorem, usqueadeò inuicem nos ignauè cõcedere, ut non omni studio annitamur, quo ipsam planè comperiamus. Sed, ut puto, eam assequi non ualemus. Quaptoptet nostri multo magis uos sapientes misereri decet, quàm urgere. Tunc ille hæc audiens, ualde Sardonicè profuseq; risit: &, ô Hercules, inquit, hęc illa solita est Socratis ironia. Verùm hæc ego cognoui atque prædixi, quòd tu respondere quidem nolles, sed ironia potius utereris: & denique omnia faceres potius, quàm interroganti cuiquam responderes. Sapiens, inquã, es ô Thrasymache: recteq; nosti, quòd si quem interrogares, quot duodecim sunt, interrogansq; prædiceres, Ne mihi dicas amice duodecim esse bis sex, neq; ter quatuor, neque sexies duo, neque quater tria, alioquin minimè huiusmodi nugas admittam: nemo tibi sic interroganti responderet. At si tibi dixerit, Quomodo ô Thrasymache dicis, ne respondeam eorum quæ prædixisti quicquam? Vtrum, ô mirabilis uir, neque etiam si horum aliquid est xij, illud respondeam, sed alienũ quiddam à uero? Vel quo pacto id ais? Quid tu illi ad hæc? Esto, inquit: sed q; hoc illi simile est? Nihil probibet, inquam ego. Quamuis enim simile nõ sit, si tamen interrogato illi simile uideaẽ, putás ne illum minus ex hoc quod sibi ui

debitur

debitur responsurum, siue nos interdicamus, siue non? Sic & tu facies, inquit, & aliquid eorum quæ interdixeram, respondebis? Quid mirum, inquam ego, si inquirenti mihi sic uideretur? At si ego aliam responsionem, inquit, de iusticia demõstrauero, præter omnes istas, istisq; meliorem, qua te dignum pœna putabis? Quánam alia, inquam ego, quàm ea quæ conuenit ignoranti? Conuenit autẽ, ut à docto discat: et ego igitur, hoc pari me dignum existimo. Quàm facetus es, inquit. uerùm præter hoc quod dicis, etiam pecuniã tribues. Cum uidelicet aderit. Imò uerò adest, inquit Glauco, pecunia. Dic iam Thrasymache, neque enim deest argentum. Quinetiam nos omnes pro Socrate isto spõdemus. Ita prorsus existimo scilicet, ut solet Socrates seruans consuetudinem nihil respondeat, sed respondentis orationẽ accipiens reprehendat. Quónam pacto, inquam, uir optime, respõdere quis posset, primò quidem, qui neq; sciat, neque scire se prædicet: deinde si quid de his existimet, tamen à uiro non mediocris autoritatis prohibitus sit, quæ existimat, dicere? Sed te magis æquum est dicere: profiteris enim scire, licereq; tibi disserere. Gere igitur mihi morẽ, neq; inuideas Glauconem istũ aliosq; docere. Hæc ego cum dicerem, Glauco cæteriq; hoc idem ipsum orabãt. Eratq; manifestũ, Thrasymachũ maxima cupiditate dicendi affici, ut se ostentaret. Arbitrabatur enim, habere optima quę respõderet: uerùm simulabat instare, ut ego responderem. Tandem uerò concessit: Hæcq;, inquit, Socratis est sapientia, ipsum quidem nolle docere, sed ab alijs discere, nullamq; gratiam inde referre. Quod ego ab alijs discam, uerum, inquam, dicis: quod autẽ gratiam non referam, procul est à uero. Persoluo enim quam possum: possum autem laudare tantum, argentũ uerò non habeo. Quanta uerò indulgẽtia istud efficiam, si quis mihi benedicere uideat, intelliges mox cum responderis. Existimo enim te bene dicturum. Audi igitur, inquit ille. Affirmo equidem iustum nihil aliud esse, quàm quod potentiori utile. Cur non laudas? Scio nolles. Siquidem didicero, inquã, prius, quid dicas. nunc autem nondum noui, cum dicis iustum esse quod potentiori est utile, quid uelis inferre Thrasymache. Neque enim tale quid dicis: Si Polydamas nobis fortior athleta sit, & sibi quidẽ conferat bouilla ad corpus, hunc cibum esse & nobis, illo debilioribus, utilem simul & iustum. Molestus nimiũ es, inquit, ô Socrates: atq; hàc accipis dicta, quà deprauare maximè sermonem possis. Haud est ita, uir optime, inquam. Sed tu planius hoc enarra. An ignoras, inquit, ciuitatum has quidem à tyrannis, illas uerò à populo, nõnullas ab optimatibus gubernari? Noui equidẽ. Nónne in quauis ciuitate id plus potest, quod imperat? Quidni? Fert autem leges principatus quisq; ad suam semper utilitatem, popularis quidẽ gubernatio populares, tyrannica uerò tyrannicas, in cæterisq; similiter accidit. Ponẽtes autem leges, ostendũt id iustum esse his qui subiecti sint, quod sibi sit utile: atque hoc transgredientem puniũt, tanquam iniustum, & contra leges agentem. Hoc igit̃ est, uir optime, quod ego dico, in cunctis ciuitatib. idem esse iustum, quod illi principatui conferat. principatus autem ubique, utpote potentior, dominatur. Quare constat rectè colligenti, ubiq; idem hoc esse iustum, quod potentiori cõducat. Nunc demum, inquam, quid dicas intelligo. Verum autem id'ne sit, tentabo perdiscere. Vtile quidem & tu respondisti iustum esse, Thrasymache: quanquam mihi, ne id responderem, interdixeras. Accedit autem illud ultra utile, quod dictum est, Potentiori. Exigua forsitan, inquit, hæc additio. Nondũ manifestum est, inquam, magnáne sit, an parua. Sed quòd hoc inuestigandum sit, an uera dicas, perspicuum est: postquam iustum esse conferẽs quiddam, ego confiteor: & tu addis, potentiori conferens: ego autem ignoro, considerandum erit. Considera, inquit. Faciam,

ciam, inquã. Ac mihi dicas, parêre dominantibus, iustum esse asseris? Equidem. Vtrum qui imperant in ciuitatibus quibuscunque, sine errore sunt semper, an errant quandoque? Errare interdum possunt. Nónne igitur, cum leges ferre aggrediuntur, partim rectè ferunt, partim uerò non rectè? Sic existimo. Rectè autem ferũt, cum sibi utilia statuunt: non rectè, cum contra? Itane, an aliter dicis? Ita prorsus. Quæ uerò tulerint, obseruanda sunt ab his qui subiacẽt: atque id est iustum. Quid ni? Non solum itaque, secundum sermonem tuum, iustũ est id agere quod conducat potentiori, sed contrà quoque quod obsit. Quid ais? Quod & tu, ut quidem mihi uideor. Verùm diligentius inquiramus. Nónne iam conuenit inter nos, principes nonnunquã ea imperare, quæ ab eorum utilitate aberrent: atque etiam quæcunque ipsi imperent, iustum esse ut qui subiecti sunt obseruent? Nónne hęc inter nos conuenere? Ita, ut opinor. Putato igitur, inutile imperantibus & potentioribus facere, iustum esse, abs te esse concessum: quandoquidem imperantes ea quæ sibi mala sunt, ex inscitia imperant. Tu autem iustum esse affirmas, hæc facere quæ ab illis imperant̃. Nónne tunc, ô sapiẽtissime Thrasymache, contingit iustum esse, contrarium facere eius quod tu dicebas? Quod enim potentiorib. inutile est, subiectis quodammodo imperatur. Hic Polemarchus: Per Iouem, inquit, manifestissima hæc sunt, ô Socrates. Ita prorsus, si tu testis, inquit Clitopho, accesseris. Quid opus, inquit, est testibus? Ipse enim Thrasymachus confitetur, principes nonnunquam quæ sibi non conducant, imperare: quæ quidem perfici ab inferioribus, iustum sit. Nam facere, inquit Clitopho, quę à principibus imperantur, iustum esse posuit, ô Polemarche, Thrasymachus. Etenim potentiori, inquit Polemarchus, utile, ô Clitopho, iustum esse posuit. Hæc autem utraque ponens, cõfessus est rursus, quandoque potentiores quæ sibi utilia nõ sunt, inferioribus imperare. Ex his autem cõcessionibus sequitur, ut non magis quod potentiori utile, quàm quod inutile, iustum sit. Ad hæc Clitopho: Potentiori, inquit, utile hoc uocabat Thrasymachus, quod sibi conferre potentior existimarit: idque agendum esse subiectis, atque esse iustum. Sed Polemarchus: Non sic à Thrasymacho dictum est, inquit. Nihil, inquã, refert ô Polemarche. Quod si nũc ita dicit Thrasymachus, sic & nos accipiamus. Et tu mihi dic ô Thrasymache, hócne est, quod iustum dicere uolebas, potentiori utile, scilicet quod ipsi utile uideatur, siue conferat, siue non conferat? Itáne? Minimè, inquit. An uerò tu me eum putas, qui aberret, potentiorem uocare, cum peccat? Existimabam, inquam, te sic dicere: quando principes nõ esse omnino extra errorem, sed peccare quandoque, confitereris. Sycophanta profectò es in sermonibus Socrates. Siquidem circa ægrotantes aberrantem, statim medicũ appellas, quatenus errat: uel computatorem cum in ratione ponẽda peccet, tunc cum peccat, secundum hunc errorem. Sed, ut existimo, ita loqui consueuimus: quòd medicus, & rationis supputator, & grãmaticus errat. arbitror tamẽ nullum istorum, quatenus est id quod appellamus quenquam, peccare. Quare secundum exactam rationẽ, quando & tu ad unum resecas, nullus artifex peccat. Quisquis enim peccat, deficiente scientia peccat: in quo sane nõ est artifex. Quapropter artifex, uel sapiẽs, uel princeps nullus peccat, tũc cum princeps est. Sed quiuis diceret, & medicum peccasse, & principẽ peccasse. Huiusmodi igitur aliquid respõdisse me tibi existimato. Illud uerò exacta ratione dicendum, principem, quatenus princeps est, non peccare: non peccantem autẽ, quę optima sibi sunt, imperare. Hoc uerò ijs qui sub imperio eius sunt, faciendũ est. Quamobrem, ut à principio dicebã, iustum esse aio, quod potentiori conducit, facere. Num tibi uideor, ô Thrasymache, sycophãtæ instar calumniari? Et maximè quidẽ. Putas enim me ex cõ-

posito

posito, inquam, te ita interrogare aggressum, ut modò interrogabã? Atqui penitus, inquit, hoc noui. Sed nihil proficies. Neq; enim me tuæ latent insidiæ: neq; cum lateant, uim uerbis inferre ualebis. Minimè hoc aggrederer, ô beate, inquam. Sed ne quid tale rursus nobis accidat, distingue, utrũ principem & potentiorẽ dicas secundum uulgus, an secundũ exactam rationem, quod & tu paulo antè dixisti: cuius utile, cum potẽtior sit, iustum est ut à subiectis efficiatur. Exactissima, inquit, equidem ratione imperantem dico. peruerte hęc tuis istis, si potes, cauillationibus Socrates. Equidem nulla in te abs te supéror: neq; enim poteris. Putas'ne, inquam, adeò me furere, ut leonem tondere audeã, & Thrasymacho insidias tendere? Certè aggressus es, inquit, cum tamẽ nihil assequi possis. De his satis dictum fuerit, inquam. Sed mihi dicito: Qui recta ratione est medicus, quemadmodũ paulo suprà ipse dicebas, utrum pecuniarum conquisitor, an ægrotantium est curator? Atq; de eo dicas, qui reuera sit medicus. Morborum certè curator. Gubernator autem, qui reuera sit gubernator, nautarũ princeps est, an nauta? Nautarum princeps. Nihili existimo hoc esse faciendum, quod in naui nauiget, nec nautam esse uocandum. nõ enim propter nauigationem gubernator appellatur, sed propter artem ipsam, nautarumq; principatum. Vera loqueris. Nónne istorum cuiq; aliquid utile est? Est prorsus. An nõ ad hoc tendit ars, ut quod utile sit cuique, inuestiget atq; prębeat? Ad hoc ipsum. Nunquid unicuiq; arti est aliquid aliud utile, quàm ut sit quàm maximè absoluta? Quomodo istud interrogas? Quemadmodum si me rogares, an corpori satis sit esse corpus, an cuiuspiam alterius rei indigeat: responderem, omnino indigere. Et propter hoc ars quidem medicinæ nunc inuenta est, quoniam corpus debile et infirmum est, neq; sibi sufficit. Vt ergo huic utilitatem afferat, ipsa ars est inuenta. Sed num tibi uideor uera dicere? Vera prorsus, inquit. Quid autem? ars ipsa medicinę, uel alia ars, per se quidem ita debilis sit, ut aliqua uirtute indigeat: quemadmodum oculi uisu, aures'ue auditu: propter quod in ipsis opus sit aliqua arte, quæ inuestiget, præbeatq; quæ ad hæc eadẽ conferant? Vtrum & in ipsa arte inest defectus aliquis, & indiget unaquæque ars alia arte, quæ ipsi quod utile, consideret, et illa item alia indiget alia, ita ut in infinitum procedatur? Vel quæq; sibi ipsa, quod cõducat, prospicit? Vel neq; seipsa, neq; alia indiget, ad inuestigandum quod aduersus defectum eius cõferat? Neq; enim defectus, neque error ullus illi arti inest. Neq; decet artem utilitatẽ quærere, nisi illi rei cuius est ars. Ipsa autem integra & inuiolata semper est, quatenus quæq; tota & immaculata, qualis est, perseuerat ipsa. Tu igitur illi ratione sincera & exacta considera, sic'ne, an aliter se res habeat. Sic certè. Ergo nec medicina medicinæ prospicit, sed corpori. Ita est. Neque equestris, equestri, sed equis: neq; alia ulla ars sibijpsi (nõ enim indiga est) sed illi cuius ars est. Sic apparet. Atqui, ô Thrasymache, præsunt artes et dominantur illi, cuius sunt artes. Hoc ille quamuis ægrè, tamen concessit. Nulla ergo scientia, inquam, utilitatem potentioris inquirit, aut præcipit: sed imbecillioris, & eius cui imperatur ab ea. Neque hoc ille negabat, sed parabat ad hæc pugnare.

Tunc ego alias his addẽs: Nullus medicus, inquam, eo quòd medicus est, medico conferre studet, aut in eo aliquid pręcipit, sed ægrotanti. Est enim concessum, qui uerè quidem medicus est, eum esse dominum corporũ, non pecuniarum cumulatorem. Nónne id est cõcessum? Consensit. Nónne & exactum gubernatorem nauis, nautarum principem esse, non nautam? Et hoc. Haud igitur gubernator talis, ac princeps, id inquirit & præcipit, quod ipsi gubernatori cõferat, sed quod nautis, qui ab eo reguntur. Hæc quoque ille ægrè confessus est. Atq; hic ego: Neque alius ullus, inquam, Thrasyma

che, in aliquo principatu & facultate imperãs, quatenus princeps est, quod sibi conferat, cogitat aut præcipit, sed quod subiecto conducat: & quę dicit, quæq; facit, cũcta ad illius utilitatẽ decoremq; dicit & facit. Cum huc deuentum esset, omnibusq; patêret, definitionem iusti in contrarium decidisse: Thrasymachus non respondit quidem, ut debuit: sed, Dicito (inquit) ô Socrates, est tibi nutrix? Quid nam? respondere, inquam, decebat magis, quàm talia quærere. Quoniam, inquit, te negligit, & oppletas tibi nares non emungit: cum tamẽ indigeas, qui neq; pecudum, neq; pastoris cognoscis officium. Cur istud, inquã? Quia putas, inquit, opiliones uel bubulcos, pecudum boúm ue bonum cõsiderare, pascereq; & colere, ad aliud respicientes, quàm ad dominorum, et ipsorum utilitatem. Et illos qui in urbibus ut decet præsunt, aliter ad eos qui sub illis sunt, existimas respicere, quàm tanquam pastor ad oues: & aliud cogitare noctes atq; dies, quàm unde utilitas ad ipsos proueniat. Atq; adeò procul abes ab iusto, iusticiaq;, & iniusto item, & iniusticia, ut ignores, iusticiã iustumq; alienum esse bonum, ac reuera præsidentis & potentioris emolumentum, detrimẽtum uerò proprium obedientis & subditi: iusticiam uerò cõtrà, ignauis iustisq; hominibus dominari: qui autem parent, facere quæ imperanti potentioriq; conducunt, illumq; obsequio beatum reddere, sibi autem ipsis non cõsulere. Considerare profectò sic decet, ô ignauissime Socrates, iustum uirũ omnino minus iniusto habere. Primùm quidẽ in mutuis commercijs aliquid contrahunt iustus unà atq; iniustus: in finienda societate semper minus reportare iustus, quàm iniustus, reperietur. Cum uerò in rebus publicis aliqua tributa conferenda sunt, iustus plus confert quàm sui æquales: iniustus autem minus. Quando autem aliquid inde accipiendum est, iustus nihil, iniustus multa reportat. Præterea si quando magistratu quodam uterq; fungitur, si nulla alia iusto iactura contingit, hæc saltem illi nõ deest, ut res domesticæ deterius per negligentiam disponantur: ex publico autẽ nihil propterea quòd iustus sit, lucret. Accedit ad hæc, quòd domesticos & familiares sibi infensos reddit, cum illis obsequi nulla in re ultra iustũ uelit. Iniusto uerò omnia contrà eueniunt. Dico autem, quòd & suprà, ut prę cęteris ubiq; lucretur. Hunc ergo considera, si uis iudicare, quanto magis conferat priuatim sibi iniustum esse, quàm iustum. Facillimè autem disces, si ad extremam perueneris iniusticiam, quæ iniustè agentem felicissimũ efficit: eos contrà qui afficiuntur iniuria, ac neminem iniustè lædere uolunt, infelicissimos. Est autem hęc tyrannis, quæ non paulatim, sed simul omnia aliena usurpat, & clam & ui, & sacra & sancta, & priuata & publica. Si quis uerò in aliqua istorum parte deliquerit, deprehẽsusq; fuerit, mulctatur, & opprobrio subiacet maximo. Etenim sacrilegi, fures, latrones, surreptores, & omnino per singulas quasdam partes peccantes, ab huiusmodi criminibus nominantur. Sed postquam aliquis ultra huiusmodi rapinas pecuniarum, etiam ciues ipsos in seruitutem suam redegit: non iam tam probrosis notatur uocabulis, sed & beatus & felix uocatur, nõ à ciuibus suis tantum, uerùm etiam ab omnibus qui eum audiũt nequitiam omnem adimpleuisse. Non enim ideo uituperant iniusticiam, quicunq; eam uituperant, quòd eam facere, sed quòd perpeti metuant. Hoc igitur pacto, ô Socrates, iniusticia omnibus suis partibus absoluta, robustius quiddam est, liberalius, & regalius, q̃ iusticia: utq; ab initio dicebã, id quod potẽtiori cõfert, iustum est: iniustũ uerò, sibijpsi utile est, & cõferens. Hæc cum dixisset Thrasymachus, abire iam mente conceperat, postquã, quemadmodum balnei custos, sermonem plurimum maximo cum impetu auribus nostris infuderat. Non tamen hoc permiserũt, qui aderãt: uerùm coegerunt & permanere, & afferre eorum quæ dixerat rationem, egoq; in primis uehe-

menter

menter rogabam: O' beate Thrasymache, quasi sermone iacto abire festinas prius, quàm abũdè uel doceas, uel discas, sit'ne hoc ut dicis, an secus. An fortè putas paruam quãdam rem te aggressum esse definire? non autem rationem uitæ, quam si quis nostrûm acceperit, quàm optimè uiuat? An ego, inquit, putem illud aliter se habere? Videris, inquam, nullam de nobis curam suscipere, neque cogitare utrum peius uiuamus, an melius, id nescientes quod tu te scire affirmas. Sed, ô bone uir, libenter hoc nobis ostende. Neq; enim malè locaueris beneficium, quod nobis, qui tot simus, contuleris. Dicam equidem quod sentio: Nequaquam mihi persuades, iniusticiam maius quàm iusticiam lucrum afferre, etiam si omnis ei licentia præbeatur, ut quæcunq; cupit efficiat. Esto iniustus aliquis, posśit'que iniuriam facere uel furtim, uel ui: non tamen mihi persuades, maius esse in ipsa iniusticia, quàm iusticia, lucrum. Qua quidem in sententia nõ ego tantum fortasse, sed alius aliquis nostrûm est. Persuade itaque nobis, beate uir, non rectè iusticiam pluris quàm iniusticiam fecisse. Quomodo, inquit, amplius persuadebo, si his quæ modò dicebam, non es persuasus? Quidnam ulterius faciam? An in animum tibi sermonem impingam? Minimè, inquam, per Iouem. Sed hoc primùm uelim, ut dictis maneas: uel si quid immutare uis, hoc palàm facias, ne'ue nos decipias. Nunc autem uides Thrasymache, (ut superiora iterum resumamus) quòd cum primò uerum medicum definisses, ægrotantium curatorem: deinde non ita sincerè pastorem definiendum putasti, ut quatenus pastor est, dũtaxat custodiat. Imò pascere ipsum oues, quantum est pastor, arbitratus es: non ad ouium utilitatem, sed ad uoraginem potius: non tanquam pastorem, sed conuiuã, qui uesci debeat: uel pecuniæ studiosum, qui sit uenditurus. Profectò pastorali arti nihil aliud curæ est, quàm ut id quod custodit, se optimè habeat. nam ipsi, quatenus uera pastoralis facultas est, nihil deest quo minus sufficiens sit & optima. Sic ego putabam, necesse esse nos cõfiteri, unumquemque principatum, in eo quòd principatus sit, nullius alterius bonum prospicere, nisi eius quod sub illo sit, & ab eo curetur, siue priuatus sit, siue publicus. Tu aũt, principes in ciuitatibus, qui uerè principes sint, uolentés ne magistratibus fungi putas? Nequaquã, inquit, puto: sed certè scio. Quid uerò, inquam ego, alios principatus, nónne nosti neminem uolentem accipere, sed præmium ex his requirere: quasi nulla sibi ex imperio tali, sed subiectis potius, sit utilitas prouentura? Dic age, inquam, nónne quaslibet inter se artes diuersas ex eo dicimus, quòd diuersam inter se habent potentiam? Neq; enim, uir felix, præter opinionem respõdeas, ut aliquid perficiamus. Hoc ipso uidelicet alterã. An non utilitatem unaquæq; propriã nobis aliquam præbet, & non communem cum alia? quemadmodum medicina quidem sanitatem, gubernatoria in nauigãdo salutẽ, aliæq; similiter? Prorsus quidem. Nónne & precium mercenaria? hæc enim illius potentia. an medicinam tu & gubernatoriã eandem uocas? uel siquidem uelis absolutius definire atq; distinguere, quemadmodum statuisti, etiam si quis nauem gubernans sanus efficiatur, eo quòd sibi nauigatio conferat, nihilo magis tamen ob hoc gubernatoriã ipsam, medicinam uocabis? Non certè. Neq; etiam, ut arbitror, mercenariã, si quis mercenarius ipso ministerio sanus efficiatur. Neque hanc. Quid autem? Medicinam mercenariam, si quis medicas quęstũ faciat? Minimè. Nónne & utilitatem cuiuslibet artis propriam quandam esse concesśimus? Esto. Si quam igitur utilitatem communiter nanciscũtur omnes artifices, patet quòd cõmuni quodam uno eodemq; utentes, ex eo utilitatem huiusmodi nanciscuntur. Videtur. Dicimus autem, artifices mercedem accipientes, utilitatẽ consequi ex eo quod

mercenaria arte utunt. Quid tum? Non igitur à sua arte cuique utilitas hæc, scilicet præmij acceptio, prouenit: sed si uolumus diligenter inquirere, medicina quidem sanitatem parit, mercenaria quæstum, & architectura ædificium: quæstuaria uerò hanc secuta, mercedem, & reliquæ omnes similiter. Suum porrò quæque opus perficit, & confert illi ad quod est inuenta. Si autem præmium ipsi nullum detur, num artifex utilitatẽ ab arte aliquam accipit? Nullam. An igitur neq; etiam prodest tunc, cum gratis operatur? Ego equidem existimo. Nónne igitur, ô Thrasymache, sicut iam manifestum est, nulla ars, nullusq; magistratus sibi quidem utilitatem parit: sed quemadmodum in superioribus dicebamus, quod subiecto confert, paret & imperat, inferioris illius commodũ semper, nõ superioris inspiciens? Ob hæc itaq; ego nuper, ô chare Thrasymache, dicebam, neminem uolentem imperium suscipere, & alienorum malorum ultro emendationem aggredi: sed præmium quærere. quoniam qui ex arte rectè acturus sit, nunquam in suum agit commodũ, secundũ ipsius artis imperium: sed ad inferioris utilitatem. Quamobrem, ut uidetur, præmium ponendum est ijs, qui libenter gubernaturi sint, seu argẽtum, siue honor, siue pœna, nisi imperium capiãt. Quomodo istud ais, ô Socrates? inquit Glauco. Equidẽ duo præmia noui: mulctam uerò quam dicas, & quomodo in mercedis parte ponas, non noui. Ergo optimorum, inquã, præmium ignoras, cuius gratia imperant optimi uiri, quoties admittunt imperium? An te latet, & ambitiosum esse, & auarũ, probro haberi, atq; esse? Noui equidem, inquit Glauco. Hac ergo de causa, neq; pecunia, neq; honore ducti, boni homines imperare uolunt. neq; enim apertè pecuniam magistratus præmium accipientes, mercenarij uocari uolũt: neq; clanculum, fures. Neq; rursus honoris causa: non enim ambitiosi sunt. Oportet igitur necessitatem illis imponi, & mulctã, si impellẽdi sunt, ut uelint magistratum accipere. Quamobrem uidetur turpe haberi, ut quis sponte ad imperãdum accedat, neq; expectet necessitatem. Maxima uerò mulctarum est, administrationi malorum subijci, nisi ipse acceperit reipublicę gubernaculũ. Hanc utiq; pœnam timentes, magistratus capere probi homines mihi uidentur, si quando capiunt: & tunc ad eos accedunt, non tanquam ad bonũ aliquod, neq; tanquam ex his uoluptatem aliquam capientes, sed tanquam ad rem necessariam, cum neq; melioribus, neque similibus se committere ualeant. Quippe si bonorum uirorum extaret ciuitas, in ea, ut arbitror, haud aliter nõ imperandi gratia pugnaretur, quàm nunc certetur imperandi cupiditate: ibiq; pateret, reuera legitimum principem non suipsius, sed eius qui sub ipso est, commoditatẽ respicere. Quare unusquisq; qui nõ amens sit, potius eliget alium sibi prodesse: quàm dum alijs ipse consulit, sese negotijs implicare. Hoc igitur ego Thrasymacho nullo pacto concedo, iustum quidem esse, potentioris utilitatem. Verùm hoc deinceps considerandũ: multo autem mihi maius uidetͬ esse, quod nũc Thrasymachus dicit, cum iniusti uitam meliorem uita iusti esse affirmet. Tu itaq;, ô Glauco, utrum istorum tanquam uerius eligis? Iusti, inquit Glauco, uitam potiorem existimo. Audisti, inquã ego, quot paulo antè iniustę uitæ bona Thrasymachus numerabat? Audiui equidem, inquit: non tamen assentior. Vis ne illi mõstremus, si quo modo possumus, uera eum minimè dicere? Quid ni uelim? inquit ille. Si orationem contrariam orationi illius obijcientes, quasi comparatione quadam proposita, enumeremus quot insuper bona qui iustus sit consequatur, ac ille rursus cõferat sua: oportebit, ut tertius aliquis enumeret iterũ, metiaturq; bona, quotcunq; utriq; in utroq; collegimus: atq; ita iudicibus quibusdam altercationem hanc dirimentibus opus erit. Sin autem, quemadmodũ nuper cœpimus, alternis concessionibus adductis

ductis

ductis in medium, rem ipsam discutiamus, oratores ipsi nos simul & iudices erimus. Sic, inquit, omnino est. Vter tibi modus magis placet? Iste, inquit. Age igitur, ô Thrasymache, responde nobis à principio. Affirmas tu quidem, extremam iniusticiam, extrema iusticia utiliorem esse? Affirmo equidem, & rationem attuli. Quid ad hoc? Nunquid istorum unum uirtutẽ, alterum uitiũ uocas? Quid ni? Nónne iusticiam quidem uirtutem, iniusticiam autem uitium? An istud fateri, uir lepide, mihi conuenit, qui iniusticiam prodesse dicã, iusticiã minimè? Quid ergó? Contrarium. An fortè iusticiã uitium appellabis? Non, sed ualde generosam stultitiã. Iniusticiã ergo nequitiam uocas? Ne istuc quidem: at bonũ consiliũ, sagacitatemq;. Num iniusti uiri, Thrasymache, prudẽtes ac boni esse tibi uidentur? Quicunq; uidelicet ciuitates iniuria afficere possunt, & nationes sibi subijcere. Tu autem me fortasse loqui putas de his, qui loculos clãculum surripuerint. prosunt & hæc quidem, si lateant: sed æstimatione digna non sunt. Imò quæ paulo antè dicebam, plurimi facienda. Equidem quod uis intelligo: sed admodum miror, si in parte uirtutis et sapientiæ iniusticiam ponas, in contrarijs uerò iusticiam. Omnino sic pono. Durius hoc iam, ô amice: neq; amplius inuentu facile, quod quis dicat. Si enim cõducere quidem iniusticiam posuisses, uitiũ tamen uel turpe quoddam esse ipsam cõfessus esses, quemadmodum alij quidam, aliquid ad hęc secundum ea quæ existimantur dicere possemus. Nunc autem perspicuũ est, dicturum esse te, & pulchrum & robustum quiddam iniusticiã esse, cæteraq; illi daturum omnia, quæ nos iusticiæ tribuimus: quando quidẽ & in uirtute, & in sapientia ponere eam non dubitasti. Verissima profectò uaticinaris. Non tamen desistendum est, inquirere disputãdo, quoad te putem quę cogitas dicere. Mihi nanq; uideris, Thrasymache, in præsentia minimè cauillari: sed quæ tibi uera uidentur, afferre. Quid tua refert, siue id uideatur mihi, siue non uideatur, cum rationẽ meam non confutes? Nihil certè. Sed hæc præterea mihi responde: An iustus uideat̃ tibi plus iusto habere uelle? Nullo pacto. non enim urbanus esset, ut nunc, & simplex. Quid autem? plus ne iusta actione? Neq; iusta etiam actione. Iniusto autem utrum dignum putaret plus habere, idq; iustum existimaret, uel contrà? Existimaret utiq;, dignumq; putaret, sed non posset. Atqui ego istuc nõ interrogo: sed, utrum iusto quidem plus habere, neq; dignũ putet, neq; uelit iustus: iniusto autem, cõtrà. Sic est profectò. Quid autem iniustus? An æquum censet plus habere & iusto, & actione iusta? Quid ni? cum omnibus plus habere se dignum existimet. Num igitur & iniusto homine, iniustaq; actione, iniustus plus habebit, & certabitur in habendo omnes exuperet? Vera hæc sunt. Sic itaq; dicimus: Iustum quidem simili nõ plus habere uelle, plus autem dissimili: iniustum uerò, utroq; plus accipere uelle. Rectè dixisti. Atqui prudens & bonus, iniustus ipse est: iustus autẽ, neutrum. Rectè & illud. Ergo prudẽti & bono similis est iniustus, iustus aũt minimè. Quid obstat, inquit, quo minus qui talis, talibus quoque similis sit: qui uerò nõ talis, similis non sit? Aís bellè. Talis igitur est uterq; ipsorum, quales hi quibus similis est. Et qd aliud? Sit ita sanè. sed dicas Thrasymache, utrum musicum aliquem uoces, aliquem uerò non musicũ? Equidem. Vtrum istorum prudentem, utrum imprudentem? Musicum sanè prudentem, expertem musicæ imprudentem. Nónne in quibus prudentem, in eisdem & bonum: in quibus imprudentem, & malum? Nempe. Eodémque pacto de medico dicemus? Eodem. Videtur tibi, uir optime, cum musicus uir lyram temperat, uelle in intensione & remissione chordarum, musicũ uirum exuperare: uel dignum putare, ut eo plus assequatur? Minimè. Expertem uerò musicæ superare contendit? Necesse est. Quid

medicus? in cibo aut potu dicés ne plus assequi, quàm aut medicus alter, aut res ipsa cupit? Nequaquã. Plus autẽ, quàm medicinę artis imperitus? Proculdubio. Vniuersas deniq; contemplare scientias & inscitias, si quis tibi uidetur, qui quidem scientiam habeat, plus sumere uelle uel dicẽdo, uel faciendo, quàm alter sciens, nõ autem eadem ad actionem eandem quæ & ille qui ipsi similis est. Fortè sic se res habeat necesse est. Quid autem indoctus? nónne plus docto sibi assumere uellet, atq; etiam indocto? Fortasse. Sed doctus, nónne sapiens? Concedo. Sapiens autẽ, nónne bonus? Et isthuc etiam. Bonus ergo & sapiens non uolet plus sibi, quàm sui similis, uendicare: plus tamen quàm dissimilis & contrarius uolet. Videtur. Malus autẽ & indoctus tam simili quàm dissimili sibi plus arrogabit. Apparet. Nónne iniustus, Thrasymache, plus usurpare contendit, quàm uel similis, uel dissimilis? An ita dicebas? Dicebam equidẽ. Iustus autem simili quidem nõ plus uolet, sed dissimili. Fateor. Est itaq; similis, iustus quidẽ sapienti & bono, iniustus autẽ & malo & inscio. Apparet. Atqui concessimus, talem utrunq; esse, qualis sit is cui similis est uterque. Concessimus planè. Iustus itaq; nobis bonus esse, sapiensq; apparuit: iniustus autem, indoctus & malus. Hæc omnia cõcessit Thrasymachus, non tamen ea facilitate, qua ego nunc refero: sed uix, atq; pertractus plurimo cum sudore: erat quippe tunc æstas. Et uidi ego tunc primùm, quod nunquam antea uideram, erubescentem Thrasymachum. Cum igitur constituisset, iusticiam & uirtutem esse et sapiẽtiam, iniusticiam uerò uitium & inscitiam: Maneat, inquam, hoc ita nobis. Dicebamus autem, ualidum ac potens quiddam iniusticiam esse. nónne meministi Thrasymache? Memini equidẽ, inquit. Sed mihi quæ nunc dicis, non placent: habeoq; aduersus ea quæ dicam. quæ si adducerem, certè noui te esse dicturũ, me concionari. Quare aut sine me dicere quæ uelim: aut si tu uis interrogare, interroga. Ego autẽ tibi uelut aniculis fabellas narrantibus, assentiar, & annuã, & abnuã. Nullo pacto præter sententiam tuam. Vt tibi in omnibus gratificer, postquam non sinis loqui, an quid aliud uis? Nihil per Iouem, si istud feceris. sed facito: ego autẽ interrogabo. Interroga iam. Hoc interrogo nunc, quod & paulo antè, ut ordine suo in sequenti sermone consideremus, quomodo se iusticia aduersus iniusticiam habeat. Dictum enim est, potentiorem atq; robustiorem esse iniusticiam, quàm iusticiam. Nunc autem quid noui affers? Siquidem sapiẽtia & uirtus est iusticia, facilè, ut arbitror, apparebit robustius esse, quàm iniusticia: quandoquidẽ iniusticia inscitia est. nec ullus hoc ignoraret. Verùm non ita simpliciter agere cupio, sed hac uia considerare. Ciuitatémne aliquam affirmares iniustam esse? & alias ciuitates uelle iniustè in seruitutẽ redigere, seruasq; sub se multas habere? Cur non? Immò uerò hoc summopere faciet illa quę præstantissĩma erit, & quæ ad extremam peruenerit iniusticiam. Intelligo equidem, quòd tua hæc erat oratio. Sed hoc circa istã considero, utrũ hæc quæ præstantior sit ciuitas ciuitate, absq; iusticia hanc sit potentiam habitura, uel necesse sit ut habeat cum iusticia? Siquidem, ut tu paulo antè dicebas, iusticia ipsa sapientia est, necesse est cum iusticia: sin autem ut ego, sine iusticia. Responsionibus tuis, ô Thrasymache, ualde delector: quoniam non modò annuis & abnuis, sed & præclarè respondes. Vt tibi gratum faciam. Facis tu quidem bene. Sed in hoc quoq; gratificare mihi, & dicito: An censes ciuitatẽ aliquã, uel exercitum, seu latrones, siue fures, uel alium quemuis cœtum hominum iniustè aliquid unà aggredientiũ, perficere posse quicquam, si iniuria inuicem se affecerint? Nequaquã. Quid autẽ, si ab iniuria abstinuerint? nónne magis? Prorsus. Seditiones nanq;, Thrasymache, iniusticia, inimicitias, cõtentionesq; parit: iusticia uerò, con

cordiam

cordiam & amicitiam Nónne? Esto, ne à te dissentiamus. Bene agis uir optime. Sed mihi & hoc dicito: Si hoc iniusticię opus est, ubicunque insit, odiũ gignere: nónne inter liberos & seruos si fuerit, efficiet, ut inuicem odia atque cõtentiones exerceant, nulloque pacto possint aliquid ex cõmuni concordia facere? Omnino. Quid autem? Si inter duos hæc sint, nónne dissentient inter se, insequenturque odijs, & inimici erunt & sibi & iustis? Erunt sanè. Sin autem in uno insit, ô mirifice uir, iniusticia, nónne ipsius potentiã dissipabit? uel nihil minus habebit? Nihil minus habeat. Nónne talem aliquã uim habere uidetur, ut cuicunque insit, siue ciuitati, siue genti, siue exercitui, siue alteri cuilibet, primò quidem impotens reddat id cui inest aliquid secũ agendi, propter dissensionem atque discordiam: deinde inimicum efficiat ipsum & sibi, & contrario cuilibet, atque iusto? Nónne ita? Ita. Atqui & in uno si fuerit, hæc eadem faciet omnia, quæ ad naturam suam sequuntur. Primùm quidem impotentẽ agendi eum reddet, quum secũ ipse dissentiat, neque sibimet constet: deinde & sibi & iustis faciet inimicum. An non? Certè. Iusti autem, ô amice, sunt & Dei. Sint. Ergo Deis inimicus erit, Thrasymache, uir iniustus: iustus autem, amicus. Explere Socrates pro libidine, orationis epulo. non enim tibi aduersabor, ne istos mihi infensos reddam. Age itaque, reliqua conuiuij adhibe, quemadmodũ paulo antè respondẽs. Constat profectò, sapientiores, meliores, potentioresque ad agendum, iustos esse: iniustos autem, ne inuicem quidẽ tractare quicquã posse. Verùm quod dicimus, ualidissimè in cõmune simul aliquid conficere illos posse, qui omnino iniusti sunt, haud omnino uerũ est. Non enim abstinerent inuicẽ ab iniuria, si prorsus iniusti essent. Sed liquet in ipsis esse iusticiã quandã, quæ ipsos ita afficiat, ut se inuicem lædere nolint simul atque alios, per quam agunt quæcunque agunt. Impulsi autem sunt ad iniustè agendum iniusticia, cum semima li essent. Nam qui ad summum nequiciæ & iniusticię peruenerunt, perficere omnino nihil possunt. Hęc quidem quòd ita se habeant, nõ autem ut tu sit prà ponebas, intelligo. Vtrum autem & melius uiuant iusti, quàm iniusti, & feliciores sint (quod quidem postea considerare proposueramus) considerandum est. Et, ut mihi quidem uidetũ, hoc ex his quæ diximus, sequitur: sed tamen melius cõsiderandum. Non enim de re quadam uili, spernendaque, sed quónam modo uiuẽdum sit, habetur oratio. Considera iam. Ecce considero. Dic igitur, opús ne equi tibi aliquid esse uidetur? Mihi quidẽ. Num hoc quidẽ diceres, & equi & alterius cuiuslibet opus, quod uel solo illo, uel maximè quis expleret? Haud intelligo. Attende: sic fortè intelliges. Aliâ ne re quàm oculis uides? Minimè. Quid uerò? aliá ne audires, quàm auribus? Nequaquam. Ergo hæc horum opera rectè diceremus. Rectè. Posses' ne gladio, & scalpello, & multis alijs, uitis palmites amputare? Quid ni? Verumtamen non ita commodè, ut falce ad usum hunc fabricata. Est ut dicis. Ergo nónne hoc istius opus esse dicemus? Dicemus profectò. Existimo melius te nũc tenere, quæ paulo antè dicebam, quum interrogarem, an id cuiusque opus esset, quod uel solo illo, uel melius quàm cæteris efficitur. Intelligo iam: idque mihi cuiusque opus esse uidetur. Nónne & uirtus tibi esse uidetur, cui aliquod opus adscribitũ? Reuertamur igitur ad priora: Oculorum dicimus esse opus aliquod? Certè. Ergo nónne & uirtus oculorũ est? Et uirtus. Et aurium opus? Et auriũ. Est ergo & uirtus? Est. Nónne de reliquis omnibus eodem modo dicendum? Eodem. Nunquid oculi opus suum pulchrè aliquando exercent, uirtutem propriam nõ habentes, sed pro uirtute uitium? At quomodo? cæcitatem namque fortasse pro uisu dicis. Quęcunque illorum sit uirtus: nam ad præsens non id quæro. sed, utrum propria uirtute rectè suum opus exerceãt, uitio uerò non rectè. Verè loqueris.

Nónne

Nón ne & aures sua priuatæ uirtute, malé suum opus exercebunt? Malè. Idém ne sentimus de reliquis omnibus? Idem. Age & hæc præterea cōtemplare. Est'ne animę aliquod opus, quod nulla re alia faceres, ueluti curare, imperare, consulere, & alia generis eiusdē? Nunquid hæc alteri rei, quàm animę, iure tribuere possemus, dicere musq́ ipsius propria esse? Nulli alteri. Quid autem ipsum uiuere? an non animæ opus esse dicemus? Maximè. Annon & uirtutem quandam animæ esse dicimus? Dicimus. Nunquid anima quandoq́, ô Thrasymache, propria uirtute priuata, opera sua bene explebit? uel nullo modo poterit? Non poterit. Necesse est igitur, malam animam malè imperare atque curare, bonā uerò hæc omnia bene facere. Necesse. Concessimús ne, uirtutem animæ iusticiam esse, iniusticiam uitium? Concessimus. Iusta ergo anima, iustusq́ uir bene uiuet, iniustus autē malè. Ita secundum rationem tuam appa ret. Qui autem bene uiuit, beatus est & felix: qui malè, cōtrà. Quid ni? Igitur iustus felix est, iniustus miser. Sint. At miserum esse non prodest, prodest aūt esse felicem. Proculdubio. Nunq́ igitur, ô beate Thrasymache, cōducibilior erit iniusticia, quàm iusticia. His epulis crassatus fueris in Dionysijs, ô Socrates. Apud te quidē comedi, Thrasymache: postquā mitior mihi effectus es, difficilisq́ esse cessasti. non tamē abundè uesci cōtigit: atq́ id mea quidē causa potius, q́ tua. Nam quēadmodum epularum auidiores homines, incontinentesq́, rapiunt semper quodcunq́ in cōuiuio superfertur, gustantq́ illud antequā priorib. dapib. satis uescātur: ita & ipse, ut mihi uideor, prius quàm inuenirē quod principiò fuit propositum, quid ipsum uidelicet iustum sit, eo prætermisso, ad considerandum me cōtuli, utrum prauitas sit & inscitia, siue sapientia uirtusq́. Ac postremò incidente oratione illa quæ asserebat, cōducibiliorem iniusticiam esse, quàm iusticiam: non me cōtinui, quin ab illo ad hoc descenderē. Quapropter mihi in pręsentia ex hac disputatione cōtingit, ut nihil norim. Quando enim iustum qui sit ignoro, nullo pacto sciam, uirtús ne sit an contrà: atque utrum qui id possidet, beatus sit, uel non beatus.

SEBASTIANI FOXII IN PRIMVM PLATONIS de Repub. librum Annotationes.

DESCENDERAM heri) Socratis uerba sunt, narrantis quomodo in Piræum uenerit, & à Polemarcho detentus, disputationem sequentem habuerit. Deam precarer.) Deam hic intelligit Mineruam, in cuius honorem Panathenæa fiebant: quibus in festis, & sermones hos de Repub. & illum qui est in Timæo de natura, habuisse Socratem, ex eodem Timæo constat. Nam è quinq; diebus ab illo disputationi uariæ destinatis, primus hic de Repub. fuit, in Piræo habitus cum Polemarcho, Glaucone, Adimanto & Thrasymacho. Videmini, inquit, ô Socrates.) Nam è Piræo in urbem cōtendebat Socrates, cumq́; eo dij, quos detinere uoluit Polemarchus. Nescitis, inquit, uesperi facibus.) In Panathenæis festis ab Erichthonio primum inductis, lampadas & faces incendi noctu solere, quemadmodū hodie Romæ in D. Petri profesto, dicq; ipso Ioannis in Gallia, Rhodiginus scribit lib 2. Antiq. lect. cap. 27. Profecti igitur sumus) Persequitur narrationem Socrates, significans quomodo Polemarchi domum uenerit. Sedebat autem coronatus.) Vt erat moris tunc temporis in huiusmodi solēnitatibus. Consedimus igitur iuxta eum.) Ab hoc loco, usq; ad eum sermonem in quo de iusticia disserere Socrates incipit, totam hanc de Senectute orationem expreßit in Catone Cicero, Catoni eidem Cephali personam, Lælio Socratis adscribens Quo in libro non modò uniuersam orationis formā sed uerba etiam ipsa mutuatus est. Atqui, ego inquam, ô Cephale.) Hic incipit rogare Socrates Cephalum, de Senectute quid sentiat, quēadmodū & Catonem Lælius apud Ciceronem, cum ait: Atqui gratißimum Cato nobis, ut pro Scipione pollicear, &c. Ego tibi per Iouem dicam, ô Socrates.) Sic Cato Lælio respondet: Faciam uerò Læli, præsertim si utriq; uestrûm gratum, ut dicis, futurum est. Sæpe conuenimus.) Hæc ad uerbum exprimit Cicero, hoc modo: Sæpe enim interfui querelis meorum æqualium. Seruantes prouerbium.) Διασώζοντες τὴν παροιμίαν, id est, uetus prouerbiū sequuti: uidelicet. Pares cum paribus facillimè congregantur, ut in eo loco ait Cicero. Nonnulli etiam domesticorum.) Et hoc argumentum miseriæ, quæ in senectute est, diluitur à Catone apud Ciceronem, di-

cente, senectutem per se contemnendã non esse. Mihi autem huiusmodi.) Cephali sententia, reprehendentis eos, qui his de causis uituperandam senectutem putant. Nam si hæc causa esset.) Ab exemplo proprio, Cephalus nihil horum incommodorum senectuti putat inesse. idem sic Cicero effert: Qui mihi non uidebantur accusare id, quod erat accusandũ. Et cum Sophocle nõnunquam fui.) Et hunc locum Cicero ad uerbum transtulit in Catone. Hoc autem exemplo Cephalus docere uult, senectutis magnum esse commodum, quòd uoluptatibus senes priuẽtur. Athenæus lib. 12. Sophoclem ait nõ fuisse tam moderatum, ut hoc eius dictum indicat: cum adeò fuerit uoluptarius, ut uel Epicuro confingendi eam de uoluptate sententiã, occasionem dedisse feratur: cumq; id non ut temperans, sed tanquam exhaustus uoluptatibus, & effœtus retulerit. quod ex dicto quodã eius ad Periclem minus moderato liquere potest, apud Ciceronem lib. 2. Offic. Omnino enim ab huiusmodi.) Tranquillitatem, & quietem senectutis, à uoluptatibus, perturbationibusq;, commemorat Cephalus. Sed & horum, ô Socrates.) Eodem penè argumento, & eisdem uerbis utitur Cato apud Ciceronem. Existimo profectò, ô Cephale.) Eandem obiectionẽ Lælius Catoni opponit, quam hic Socrates Cephalo. Verùm illud Themistoclis.) Et hoc Themistoclis dictum Cato usurpat eo in loco, senectutiq; accõmodat, dum eam ait per se ipsam laudatam esse satis, quocunq; in homine sit: sicuti & Themistocles, uel siue patriæ suæ splendore laudatum esse sese satis, Seryphio illi respondit. Vtrum autem, inquam ego.) Inductione quærere à Cephalo incipit Socrates, quis pecuniarum usus sit: quando & opes efficere senectutẽ uenerandam dixit, & id uiam atq; occasionem ad disputationem de iusticia præbet. Hæc ideo ego rogaui, inquam.) Causam, cur de opibus Cephalum rogarit Socrates, reddit: quoniam, inquit, tu opes contemnere te dixisti in eo exemplo, ac in senectute laudanda sine opibus: ideo te puto nihili opes facere. Quod magnum indicium est, te illas non lucratum esse, sed hæreditate accepisse. Partæ enim à nobis opes, quia labore constant, tenacius seruantur, & amantur, quàm hæreditate acceptæ. Sicuti & poemata à poetis maximè amantur: cum nullum sit hominũ genus, quod sua magis amet, quàm illi. ideoq; inquit: Difficilis est huiusmodi cupidorum, deditorumq; lucro, familiaritas. Sed hoc etiam mihi declara.) Quia, ut usum opum requireret, Socrates, occasione data, hæc superiora retulit: rogat nunc Cephalum, eadẽ de re. qui ingenuè in his uerbis respondens, ait. Impedimento esse illas potius, et oneri, præsertim morientibus. Certò scias, ô Socrates.) Cuius etiam rei causam addit. Etenim fabulæ quæ de inferis dicuntur id est, qui opulentus est, si morti sit proximus, cum eum conscientia pungat, & timore inferorum maximè angitur, ne quem læserit in uita. Vnde illos ait affligi, & angi, quasi somniantes pueros: quorum, propter alimẽti materiam exundãtem, humoremq; nimium, perturbatissima sunt somnia.

Qui autem nullius iniuriæ.) Contrà uerò, inquit, quieto animo est is, qui nullius est sibi culpæ cõscius. Idem confirmatur Pindari testimonio, de inferorum pœnis, ac præmijs beatorum: in Olympijs Ode 2. in Theronem scribentis. Ad hæc ego existimo pecuniæ.) Diuitiarum commoda quædam enumerat Cephalus, quòd iusti uiri & probi sine timore discedãt ab hac uita, tametsi opulenti sint: quòd opes nihil eis incommodi attulerint, nec impedimento fuerint ad bonitatem. Cum sic itaq; utiles esse diuitias concludat Cephalus, Socrates inde occasionẽ differendi de iusticia sumit: quæ hinc initium habet, quando iusti uiri facta est mentio. Hoc autem ipsum, iusticiam scilicet.) Rogat hic Socrates Cephalum, num iusticiã putet esse, reddere quem, quod acceperit, an non: quando iustum dixit esse eum, qui tametsi opulẽtus, discederet ab hac uita libenter, quòd nihil à quoquã rapuisset, debuisset'ue. Qua ex re sequitur, iustum esse eum, qui nec debeat cuiquã, nec ab eo tollat aliquid. Quam definitionem, num uera sit, examinat iam Socrates. Eodem quoq; modo Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 3. de iusticia, eiusq; æqualitate quærit, quando æqualitas ex ciuium tranquillitate nata, finis est Reip. de qua ibi disseratur. Hanc ergo definitionem iusticiæ Socrates cõfirmat inductione, ex ijs uerbis: Quod hinc apparet.) Quam ipsam conclusione hac finiens, ait: Non ergo hæc est iusticiæ definitio. Sermonẽ subijciẽs Polemarchus.) Quia Cephalus senex minus cautè disputarat, Polemarchus eius suscipit partes aduersus Socratem, idq; cõtentiose admodum, atq; arroganter. Sermonẽ uobis trado.) Cephali senis uerba sunt, partes suas Socrati & Polemarcho relinquentis, quòd sacris, quæ tunc fiebant, cum hæc de Repub. disputatio haberetur, intentus esset. Nunquid tibi hæres est.) Socrates solito loco Polemarchum hæredem, id est, successorem Cephali in disputatione, ait esse. quasi dicat: Hunc'ne instituis hæredem sententiæ tuæ, in postremo hoc uitæ tempore? Dic, inquam, igitur.) Hinc sumitur initium disputationis de iusticia inter Socratem & Polemarchum, hæredem Cephali, id est, successorem in disputatione. In primis autem Simonidis poetæ sententia de iusticia, à Polemarcho adducta, examinatur, cum quæritur, num iusticiæ sit, reddere suum cuiq;, quod Simonides aiebat. itaque multæ dubitationes opponũtur à Socrate contra illam sententiam, ut intelligatur non esse id tantum iusticiæ, reddere suum cuiq;: sed aliquid etiam amplius desiderari, quod postea sit dicendum. Sic ergo Socrates contra illam definitionem argumentatur: quanquã non planè Simonidi detrahere uult, modestiæ causa: Depositum apud aliquẽ, est debitum: Iustum est autem, cuiq; debitum reddere: ergo & depositum. At hoc iniquum est insano restituere: ergo iniusti uni aliquando est, reddere cuiq; debitum. Particulari hoc

euentu communis hæc iustitiæ ratio refellitur à Socrate: nec tamē Simonides ipse cōfutatur. neq; enim huius autoritatem imminuere uult. sed aliud significari ab ip o ait in ea definitione, quemadmodum uel Polemarchus fatetur deinceps his uerbis: Aliud per Iouem.) Cuius rei addit rationem, ex eodem autore sumptam, quod nemo alteri nocere uelit, dum studeat prodesse: noceat autē, qui reddat insano depositum: ut à Socrate magis explicatur in ijs, Intelligo equidem, quod minimè debita redderet ille.) Id est, nequaquam profectò iustè reddet quis insano depositum, nec ei amicus sit, quando redditione illa noceat illi plus. At quia ad amicos tantum id accommodauit Polemarchus, Simonidē de ijs putās iudicare, statim Socrates subiungit, ne inter inimicos quidem fieri id debere, quia nec inimicis sit nocendum. Qua de causa ait, Quid autem inimicis?) Verba sunt Socratis, negantis Simonidem de amicis tantum intelligere, quòd ijs furentibus aliquādo negandum sit depositum. Sic enim argumētatur: iusticiæ est, debitum cuiq; reddere, siue amico, siue inimico: depositum aliquando ab insano amico negandum, teste Simonide, quòd iustum sit et tunc illud negare: ergo inimico debitum est negandum nonnunquam, quod est iusticiæ cōtrarium. Quo statuto, concludit, Simonidē aliud omnino intellexisse in ijs uerbis, putasseq́; potius iusticiā esse, suum cuiq; reddi, seu quod cuiq; conueniat: quod debitum etiam quodammodo dicatur. Verùm quid putas ipsum.) Explanata Simonidis sententia, Socrates inductione diuersorum exemplorū incipit quærere, non quid uere sit iusticiæ essentia ipsa, nec quid effectus tantū, ut in Simonidis sentētia ostendebatur: sed quæ uideatur esse Simonidis sententia, in sequentibus. Ait ergo, medicinam esse facultatem corporibus medicamenta adhibentem: coquinariā, facultatem obsonia similiter condientem: eodemq́; modo iusticiā, facultatem seu uim, ac δυνάμιν, amicis utilia, inimicis incommoda reddentem: idq́; ex Simonidis sententia sequi. Sic autem argumentum fiet, ex his uerbis: Si medicinæ facultas, dum debitum reddit, medicamenta suppeditat: Si coquinaria, obsonia: iusticia quoque tribuet amicis bona, inimicis incommoda: quando amicis insanientibus ab denegandum depositum, quòd id eis sit utile, inimicis uerò non item. Refutat illam sententiam alio argumento à coniugatis ducto, in ijs uerbis: Quis maximè potest morbo laborantes.) cuius hæc forma est. Medicina amicis prodesse, & inimicis obesse potest: gubernādi quoq; ars: quando eæ artes inducendo formam subiecto suo, debitum ei quodammodo reddunt. Eodem igitur modo iusticia, cuius id proprium ab esse, amicis bona, inimicis cōtraria reddere, utrumq; efficere poterit: sicq́; in pace atq; concordia hominum inutilis erit, propterea quòd eius est aduersarijs nocere: quibus sublatis, factáq; amicitia, suo priuabitur ipsa munere. Sed cum ne hanc quidem conclusionem, quæ ex ea Simonidis sententia inferebatur, Polemarchus daret: rursus Socrates inductiōe alia apertius docet, id inde necessario sequi, quod hoc argumento sic probat in ijs uerbis: Vtilis igitur in pace iusticia.) id est, Quando iusticiā negas in pace inutilem esse, quod sequebatur ex tua sententia, esto quidem ea utilis. At agricultura utilis est ad fructus colligendos, coriaria ad calceos conficiendos, eodemq́; modo artes omnes ad aliquid utiles sunt, quando uersantur in rebus faciēdis, quorum rationem tradunt: igitur iusticia quoq;, quando utilis est, ad aliquid debet conferre: quid igitur id est? Ad commercia, Socrates.) Cum utilem cōmercijs cōtrahendis iusticiam dixerit esse, incipit rursus quærere, quarū nam in rerum commercio uersetur iusticia, quando commercium communicatio quædam officiorum sit. Concludit autem, iusticiam nō quouis in commercio, nisi in pecuniarum commutatione uersari: quemadmodum lib. 5. Ethic. Arist. de Iusticia commutatiua ait. Deinde addit, non quocunque tempore usum pecuniæ, seu commutationem, iusticia cōtineri, nisi cum pecunia utendum sit: quemadmodum nec falce, nec naui, nec alio quouis instrumento utimur, nisi cum eius usu est opus. Siquidem pecunia instrumentū est cōmutationis ciuilis, quod ait Aristot. lib. 5. Ethic. Atque hæc omnia singularia exempla suprà adducta, colligens Plato, concludit in ijs uerbis, non uersari tantum iusticiam in communione rerum ad usum pertinentium, aut in usu possitarum, sed latius patēre. Non multo igitur studio. digna est iusticia.) id est, Isto quidem modo iusticia inutilis erit, quando tota eius utilitas ad res inutiles pertinet. Appellat autem res inutiles pecuniæ usum, circa quē dicta est suprà uersari iusticia. Nam, cum Polemarchus ad usum pecuniæ utilem iusticiam dixisset, indeq́; Socrates quæreret, num usus pecuniæ esset, eam seruare idq́; concessisset ille, concludit demum, inutilem esse iusticiam, quòd pecuniam alicubi repositam esse inutile sit: in eo autem iusticia uersari dicta sit. Verùm hoc cōsideremus.) Aliud argumentum inducit Socrates, ex superiori sententia, quo probat, in contraria cadere iusticiam, hoc est, ipsam utilem esse ad seruandas pecunias, & ad surripiendas: quando suprà dictum sit, in condenda pecunia eam uersari. Sic ergo argumentatur, eo statuto: Circa eandem facultatem contraria cadere possunt, ut exemplis docetur: rectè autem utitur is suo munere, qui contraria poßit efficere: ut dux, si hostium consilia præuertat, & capiat. ergo iustus erit is, qui non solùm depositā pecuniā tueri, sed etiam qui surripere poßit: quando iusticiæ ais esse, utrunq; facere. Vnde iustus quandoq; furabitur, sicut deposita tuebitur. Hoc absurdum, ex Polemarchi sententia deductum, testimonio Homeri confirmat Socrates, ueri simili quadam ratione furtum docens antiquis in honore fuisse, quemadmodum Thucydides ait lib. 1. in Græcia accidisse ante Troiana tempora. Huic quoq; sententiæ accommodat Simonidis uerba suprà posita, cum

ta, cum ait, inimicis obesse, prodesseq; amicis, nihil aliud esse, quam furari, & conseruare parta: propterea quod alteri officium eripiamus, id est, iusticiam, quae cunctis sine delectu tribuenda est. Minime per Iouem, sed nondũ noui.) Cum sic refutatum esse se uideat Polemarchus, & in eam absurditatem adductum à Socrate, colligit sese, ac mutata sententia, iustum ait rursus esse amicis prodesse, aduersarijs nocere: hancq; sententiam uoluisse se suprà indicare. quam tamen refutaturus Socrates, qui sint amici & inimici primùm statuit: tum, quid uterq; efficiant. Sic enim ait: Amicos autẽ dicis tu esse.) Huius autem argumenti summa haec est: Amici sunt illi, qui utiles sunt alicui, uel tales uidentur: inimici uerò, contrarij. Sed in hac utilitate noscenda est error: ergo aliquando inutiles pro utilibus amabimus, & utiles odio habebũtur. Quare aliquando benefaciendum est malis, nocendum uerò bonis, si tuam sententiam sequamur: siquidem non omnes amici boni erunt, nec inimici mali. Iustum ergo eos.) Id est, Si non admittis id quod dixi, at illud dabis, malos laedendos, bonos iuuandos esse. Sed in hoc ipso, ait, error erit: ac proinde non ita fiet, ut bonis prosimus, malis noceamus: cum non semper boni deligantur amici, sed pro affectu se quisq; ad alterius amicitiam conferat. Ex quo fiet, ut Simonidis sentẽtiae repugnetur. Sed retractemus.) Id est, reuocemus ad fontem & initium, disputationem hanc nostram. Hic Socrates iterum Simonidis sententiam examinat, eamq; refutat, ut neget id esse iusticiam, quod ab eo sit dictum. Vitium autem eius sententiae non ait in eo esse, quòd amici boni à malis non bene dignoscantur: sed in eo, quòd iustus nulli nocere debeat, uel inimico. Sic autem argumentatur: Esto amicus à nobis delectus uir bonus, inimicus uerò malus, nec iudiciũ nostrum fallatur. Si illi consulendum, huic nocendum ab homine iusto est: ergo iusti erit, aliquem laedere. quod ab iusticia alienum est. Sed cum ne hoc quidem neget Polemarchus, ac malos putet omnino laedendos esse, Socrates rursus id refutaturus, inductione docet, iustũ nemini nociturum. Sic enim concludit: Nocere alteri, est malum ei dare: iusticia autem est uirtus: ergo uirtus aliqua malum facit, ac iusticia iniusticiã: quod est uirtuti repugnans, ut cõtraria faciat: quando contrarij effectus cõtrariarũ sunt causarũ. Si quis ergo iustum esse duxerit.) Conclusio totius disputationis praecedẽtis est, docens debitum cuiq; reddi: quod Simonides aiebat, uel Bias, uel quicunq; huius sententiae autor extiterit, non esse amicis bonum, inimicis malum facere. nam etsi eorum quis id dixisset, falsum omnino esset. Thrasymachus autem.) Absoluta disputatiõe cum Polemarcho, ingerit sese statim Thrasymachus confidenter, ut eius nomen indicat, Socratemq; refutare se posse putat. Nisi prior eum aspexissem.) Metum fingit Socrates, quasi Thrasymacho cedens, ut postea facilius refellat. Alludit autem hic ad uulgare prouerbiũ: Lupi Moerim uidere priores. Valde Sardonicè.) Risus Sardonicus, id est profusus, & ineptus, in prouerbium abijt. Sapiens es Thrasymache.) Postquam ironia solita usus est Socrates, eamq; Thrasymachus carperet tanquã inuidiosam, & callidam: ait tandem. exemplo duodenarij numeri proposito, ineptũ esse, non quaeri, quid proposita res sit, sed tanquam ab instituto alienũ id refellatur. Exemplum autem hoc tale est: Si quis rogans, quot sint 12. respondeatur ei, bis 6 & ter 4, & sexies 2, ineptè profectò respondentem irriserit, tanquam nihil afferentem. Sic tu inconsideratè nos uideris reprehendisse, quòd de iusticia quaerentes, superiorem Simonidis sententiam refellerimus. Nihil prohibet, inquam ego.) Tanta est Thrasymachi arrogantia hoc loco, ut similitudinem à Socrate suprà allatam, proposito nequaquam putet congruere. cui ideo Socrates repugnare initio non uult, ut facilius postea eundem incommodo urgeat. Cum uidelicet aderit.) Id est, si mihi fuerit pecunia, dabo quidem eam ego tibi pro doctrinae mercede, si gratia contentus non sis. Cognosce Thrasymachi arrogantiã, uel ante conflictũ uictoriam sibi pollicentis, preciumq; doctrinae exigentis. Quo nam pacto, inquam, uir optime.) Socratis moderationem considera, eamq; cum Thrasymachi insolentia confer. ille enim nihil scire se fatetur, eaq; sententia se ait contentum esse: hic quiduis profiteri audet. ideo illũ Socrates ad dicendum urget hoc modo: Sed te magis aequũ est.) Id est, Quin tu proferas tuam sententiã, Socrates inquit, nec me lacessas, cum tibi scientiae nomen uendices. Haec, inquit, Socratis est sapientia.) Socratem increpat Thrasymachus, quòd suã ipse occultet sententiam: ab alijs autem extorqueat, quod sentiãt: ut id refutet postea, uel discat, nec gratiam ullam rependat. Quam obiectionem ingratitudinis primò diluit Socrates, dein ad disputationem ipsam descendit. Affirmo equidem iustũ nihil aliud esse, quàm quod potentiori utile.) Secunda iusticiae definitio, à Thrasymacho praeponitur magno apparatu, & pompa: in qua is ait, iustum esse id, quod principi aut magistratui congruat aut placeat. Quam definitionẽ examinaturus Socrates, exemplis primò quaerit, quid sit principi utile: in quo cum Socrates diceret, alicui utile id dici, quod ipsi aliquo modo congrueret, omnibus uerò nequaquam eo modo: indignatus Thrasymachus, inductione rursus utitur, quae exponit, quid principi utile dicatur. Summa autem eius sententiae est. Iustum esse id, quod lege principũ, aut magistratus, aut eius denique qui Reipub. gubernacula teneat, constitutum sit, quando uiolatores eius legis tanquam iniusti puniãtur: id autem ipsum principi utile appellat, quod in eius utilitatem uergat. Atqui eam sentẽtiam Thrasymachus hac ratiocinatione concludit, quae apud Platonem rarior est: Cuiusq; magistratus lex iusta est: isq;, legum condendarum potestatem habet: ergo, quod ei uideatur, iustum erit. Cuius argumentationis uitium in eo consistit,

quòd iustum particulare, seu ex hypothesi, pro communi iusto capitur. Cum enim duplex sit iustum, unum per se, quod suapte natura tale est: alterum ex institutione alicuius, quod iusti genus à magistratu, aut principe constituatur lege: hoc cum illo confundit, putatq; iustum particulare idem esse cum uniuersali, nihilq; aliud esse omnino iustũ, quam quod principi uideatur: cum nõ intellegat aliqua esse per se iusta, sine ulla hominum cõstitutione, aut arbitrio: quemadmodum lib. 5. Ethic. Arist. & lib. 1. de Legibus Cic. docent. Ac mihi dicas, parêre dominantibus iustum esse asseris?) Incipit Socrates, Thrasymachi sentẽtiam refellere: idq; proposita primum eiusdem sententia, opinantis iustum esse, quod principi uideatur: tum eo statuto, leges aliquas iniustas fieri à principe posse. sic ergo argumenti conclusionem conficit, incõmodo Thrasymachum urgentem: Iustũ est id, quod princeps lege statuit: princeps autem, ut fateberis, leges aliquãdo iniustas fert: ergo iustum aliquando est iniustum. Vel sic: Iustum est, facere id quod princeps iubeat: potest is autem iniusta imperare: ergo iustum erit, iniusta facere. Hic nota, non modo non esse iustum id, quod princeps statuat: sed nec principibus aliquando obtemperãdum esse. Ad hæc Clitipho) Cum manifestã repugnantiã in sua sentẽtia uideat Thrasymachus, studet explicare, quid sit utile principi: atq; utile principi id dici, quod idẽ & sibi, & toti Reip. putet cõgruere. Sed neq; hanc solutionem admittit Socrates, quod etsi inde sequatur, ac iustè liceat, obtemperare principi iusta imperanti: tamen non sit id iustum ipsum, parêre principi tantũ. ideo ait, Nihil refert, ô Polemarche.) quocunque uidelicet modo dicatur. Tu mihi dic, ô Thrasymache) Rursus quærit à Thrasymacho Socrates, num, ut suprà est demonstratum, iustum putet id, quod absolutè princeps iudicet, siue iustum, siue iniustum sit: an aliud potius, ut hoc modo explanatam eius sententiã refutet facilius, nulla relicta subterfugiendi occasione. Verùm huic Thrasymachus occurrit hoc prætextu, quòd principẽ ipse non iudicet quemcunq; improbum, aut tyrannum: sed illũ, qui suo rectè fungatur munere: quem ipsum, quatenus principem, nunquam ait leges iniustas laturum sicq; iustum futurũ esse id, quod illi placeat. Hanc sententiam Iurisconsulti sequuti uidentur, existimantes, Imperatorem, quatenus Imperatorẽ, id est, suo fungentem munere, nihil iniustè præcipere.

Quisquis enim peccat, deficiẽte scientia peccat.) Thrasymachi est hæc sententia tota, nõ Socratis. putat enim ille, artificem omnem, quatenus alicuius rei artificem, nõ peccare in suo illo artificio: aut omnino illud ignorare. itaq; si peccet, ignoratione illius peccet, non sponte: cum artifex esse desinat, si sic faciat. Vim uerbis inferre ualebis.) Id est, ex meis uerbis aliquid elicies, quod in tuam detorqueas sententiã. Minimè hoc aggrederer, ô beate, inquã.) Incipit rursus Socrates, Thrasymachi refutare sentẽtiam, & si prætextu superiori coloratã: in primisq; qualẽ principẽ inducat ipse, quærit, quando inde iustitiæ adducta definitio noscenda est. Thrasymachus autem, in sententia sua permanẽs, absolutum se principem ait intelligere, non uulgarem quenquam.

Leonem tondere) Prouerbialis dicendi forma, ut si à minori robustiorem prouocari dicamus. Sed mihi dicito, qui rectã ratione est medicus.) Singulas artes, inductione probat Socrates, definitũ habere subiectum, circa quod uersentur: ut gubernatoriã, medicinam, ac reliquas omnes: itemq; artifices earum peritos, illud ipsum artis subiectum habere, nec aliud. Non'ne istorum cuique.) Cum artifex omnis ab arte, cuius est peritus, nomen ac professionem habeat: necesse est, ut id ipsum efficiat, quod ars præcipit, uerseturq; in artis subiecto ipso. Vnde medicina se non curat, nec medicus, sed ægrotum: eodemq; modo reliquæ artes, cum sint propter necessitatem omnes inuentæ, ut ait Aristoteles lib. 5. Metaphys. Defectum subiecti sui emendare, non suum, instituunt. secus enim, in infinitum abiretur: quia unius artis indigentiæ, altera esset ars adhibenda, atque alteri altera. deinde ars ipsa perfecta quidẽ est faciendorum ratio, eaq; minimè errans: res autem quæ arte fit, ab illa ipsa emẽdatur, ac fit. Cum artem igitur constet, & artificem omnem, non suam, sed alicuius subiecti proprij utilitatem, id est informationem afferre: atq; imperandi seu administrandi ratio, ars quædam sit: uersatur sanè in aliquo subiecto, cuius quærat utilitatem. Atq; hoc in iis uerbis significat Socrates: Nulla ergo scientia utilitatem potentioris inquirit, aut præcipit, sed imbecillioris.) Hic concludere uult, principem, si suo rectè fungatur munere, sitq; nomine hoc dignus, non cõsulturum utilitati suæ, sed subditorum: ideoq; nec iustum id fore, quod illi utile uideatur. Sic enim argumẽtatur: Ars omnis utilitatem subiecti sui inquirit, eiq; ob eam causam præest, non ut sibi cõsulat: imperatoria autem, seu gubernatoria Reip. ratio, est ars præsidens alicui subiecto, scilicet ciuibus: ergo eorũ quæret utilitatem. Quare bonus rector dicitur, non quòd suam, sed quòd publicã spectet utilitatem: ac proinde iustum non erit, quod ei sit utile, sed quod populo. Huic Socratis argumento, contentiosa, contumeliisq; plena oratione respondet Thrasymachus, ut sophista, hoc modo: Sed dicito, inquit, ô Socrates, est tibi nutrix?) Infantiæ & imperitiæ illum accusare uult Thrasymachus, quòd principis munus ignoret: cum illum, suprà dixerit, subditis, non sibi consulturum. Deinde adumbratam potius, quàm ueram rationem addit, qua probat inductione diuersorum similiũ, iusticiam bonum esse nõ in alios, sed in seipsam relatũ. Atque hoc ex eo cõfirmat, q potentiores, tametsi iniusti, utilitatẽ capiant ex subditis, in eoq; iusti sint: subditi uerò, quamuis iniuriis affecti, in eo sint iusti, quòd pareât. Hanc ille sententiam confirmat, propositis iniustorum cõmodis, et potentia, iustorumq; incõmodis, cum ait:

Considerare

Considerare profectò sic decet, ô ignauissime Socrates.) Omnes iustorum hominum incommoditates enumerat, ut iustitiam esse in potentia sitam doceat: quòd scilicet illi fallantur ab alijs in cōmercijs, quòd plura pendant tributa, quòd minus habeant quàm alij, quòd res eorum domestica non augeatur, quòd minus obtemperātes sibi habeant homines, quod alia deniq; huiusmodi incommoda patiantur. Hunc ergo considera, si uis iudicare, quanto magis conferat, priuatim sibi iniustum esse, quàm iustum.) Id est, inde cognosces, iusticiam sitam esse in potentia, quòd iniusti potētiores sint, affluantq; plurib. bonis, quàm iusti. Est autem hæc tyrannis.) Obiectioni tacitæ occurrit Thrasymachus. Posset enim quis obijcere, eum qui sibi consulat, non modò iniustum esse, sed tyrannum etiam. Diluit id ergo ille, tyrāni ac principis boni discrimine adducto. Ait enim, tyrannum esse eum, qui ita suis seruiat commodis, ut omnia ui & apertè in suam referat utilitatem, idemq; postea publico hoc uitio notatus multetur. Nam si clam id fecerit, perueneritq; ad summā dignitatem, tyrannus haberi desinat, mutato in melius consilio. Ergo hoc unum discrimen tyranni & regis affertur, quòd ille apertè prædatur: quodq; deprehensus in scelere, eo nomine ac pœna tyranni dignus habetur. hic possit quidem impunè id facere, dummodo occultè, ac pœnas facti non det. Hoc modo descripto principe, iusticiam demum Thrasymachus nihil aliud esse concludit, quàm id, quod principi illi iniustè quiduis clam agenti uideatur. Hoc ipsum mirum est, quàm persuasum sibi habeāt reges huius ætatis omnes, tum eorū familiares & consiliarij. Profectò licet Thrasymachum hunc nunquam plerique audierint (neque enim tam docti sunt) nihil libentius sequuntur, aut amplectuntur facilius. Quemadmodum balnei custos) βαλανεὺς. Egregiè Thrasymachi insolentiam iactationemq; depingit Socrates, prouerbiali dicendi forma Talis, ait, uidebatur, quales balneorum custodes esse solent. clamosi uidelicet, & proterui quales etiam hodie sunt nautæ, aurigæ, aut muliones. Sermone iacto.) Metaphora est, sumpta ab ijs qui aliquid in medium cōijciunt, continuò aūt discedūt. Fingit autem Plato, Thrasymachum insolenter admodum, proposita tantum sententia sua, subterfugere disputationem uelle, nec expectare contradicentem Socratē. Quocirca cum hic ad disserendū hortatur proposita disputationis utilitate, his uerbis: An forte putas paruam.) Id est, Cur sermone imperfecto abis, nec expectas? Putas ne me de re tenui, aut leui agere, ac nō potius de necessaria ad uitæ usum? id est, de iusticia, sine qua nemo rectè, nemo sanctè uiuere possit? Nequaquam mihi persuades. Hinc Socrates contra Thrasymachi sententiam superiorem docere incipit, plus iniusticiæ incommodi, quàm iusticiæ messe, ne iusticiam in potentia sitam arbitretur. Animo sermonem impingam.) Num, si persuaderi non uis, sententiam hanc meam animo tuo possum inserere? Quasi dicat: Quando persuaderi non uis, recolamus superiora, rationeq; inter nos agamus. Nunc autem uides, ô Thrasymache.) Colligit uniuersam Thrasymachi sententiam Socrates, ut illam refutet: additisq; ijs quæ suprà disseruit, eam incommodo urgere studet. Ait ergo, Thrasymachi eam fuisse sententiam, iustum esse id quod principi, aut magistratui conduceret. tum bonum principem sua, non subditorum commoda quæsiturum. Hoc posito, incipit inductione probare, magistratū subditis potius, quàm sibi consulturum: ideoq; iniustum id esse. Profectò pastorali arti.) Similia hæc eò tendunt, ut doceatur, proprium esse principis, et omnino cuiusque alicui rei præsidentis, eius utilitatem, non suam quærere: quando propterea præficiatur, ut illi tantum cōsulat. Tu autem principes in ciuitatibus, qui uerè principes sint.) Id est, Cum constet, principem populi, non sua commoda spectaturum: num munus ipsum is ambiet, an nō? minimè certè: quādo laboriosum est. Hic autem docere uult, unamquamq; facultatē uni tantum subiecto accomodatam esse: ut medicinam, mercenariam, & uno uerbo aliam quamcunq; eodemq; modo Imperatoriam rationem ad utilitatem ciuium duntaxat pertinere. Dic age, inquā, non ne?) Diuisio omnis fieri ex subiecta materia debet: quoniam ea indiuiduationis causa est. Quod si autē artes differunt, nulla est alia causa cur differāt, quàm diuersa materiæ ratio. Ex quo sequitur, unamquamq; facultatem, siue artem, propriam habere materiā, circa quā uersetur: nec eam circa aliud omnino uersari. Neq; enim, uir fœlix, præter opinionem respondeas) Hæc uerba parenthesi circumscribe, quasi dicat: Noli à proposito discedere, sed mecum animaduerte, artium discrimina inter se in causa id esse solum, quòd uniuscuiusq; diuersa est materia ab altera. Hoc ipso uidelicet altera.) Ad potentiam siue δύναμιν hoc refer, quasi dicat: Hac solùm de causa una ars ab alia differt, quòd diuersam facultatē siue potentiam habeat: potentia autem instar subiectæ materiæ est, in quā ars ipsa agit. Si quam igitur utilitatem cōmuniter.) Adhuc inductionem colligit ex diuersis, ut probet, unamquamq; artem circa unum subiectum uersari: quoniam si eundem usum præstent, unæ erunt: cum nulla sit distinctionis causa. Hoc statuto, docet deinceps, non solum uni subiecto unam artem addictam esse, sed etiam eidem conferre solum, nec alijs. Nam medicina curandis solum corporibus prodest, nō faciēdis calceis: eodemq; modo artes reliquæ. Ex quo sequitur, imperandi rationem, quæ ars est quodammodo, nimirum ciuilis, uni tantū rei preesse, eiusq; utilitatem quærere. id est, consulere tantum suorum ciuium commodis, nō proprijs: cum Princeps imperium nō sua causa suscipiat, sed subditorū. Atq; hoc concludit in his uerbis Socrates: Ob hæc itaq; nuper ego, ô chare Thrasymache.) Cum hoc esse magistratus ac principis consilium constet, suorum com-

modis consulere, non proprijs: idcirco antea dicebã, neminem magistratus sponte ambire velle: cum nemo laborem ultro suscipiat, nisi præmij causa. id est, honoris, qui administrationi inest Vnde Xenophon nihil causæ putabat esse, cur principes tantũ gubernationis laborem sustinere cuperent, nisi quod honor laboris molestias leuaret. Quam ob causam paulo post Socrates præmium aliquod rectè gubernantibus proponendum ait, in ijs uerbis: Quamobrem, ut uidetur, præmium ponẽdum est ijs, qui libenter gubernaturi sunt.) Atque hoc argumento etiam esse potest, quòd magistratus sua causa non sunt expetendi, sed subditorum, cum præmia rectè fungentibus dentur. Quomodo istud ais, ô Socrates' inquit Glauco.) Cum præmium magistratui bono statuendũ, aut pœnam laborem administrationis fugientibus constituendam, Socrates dixerit, nouum id Glauconi uidetur: ideoq; rogat, quomodo pœna statui possit, recusantibus magistratum? Duo præmia noui.) Id est, honorem & pecuniam præmia esse scio: pœnam uerò cur præmium appelles, nescio. Hanc obiectionem deinceps diluit Socrates: dicitq;, hominum alios esse probos & integros, adeò ut nulla ratione abduci ab officio possint. alios ambitiosos & auaros, qui uel honores, uel opes quærant ex magistratu. itaq; illos, si magistratum subterfugiant, cogendos pœna censet. quamq; si tales sint, non expectabunt, dum cogantur. hos uerò, ambitione & cupiditate ipsa incensos, per se nihil magis optare. Hic Plato iure posse quenquam magistratum expetere, atque ad Rempub. accedere putat, si id publicæ utilitatis studio faciat: sed ita hoc eũ faciendum censet, ut non ambiat honorem, quærat ue opes, sed impulsus accedat potius. quàm sese ipse offerens. Maxima uerò mulctarũ est.) Id est, si nulla alia pœna uiro probo magistratũ fugienti proponatur, illa sat magna est, quod eius animum augeat aliorum iniuste gubernantium dominatus, eoq; libentius ac citius Rempub. capesset. Alioqui si iusti, probiq; Rempub gerant, boni tantos labores subterfugiẽt, si sapiunt malentq; alijs subesse, quàm se ijs præfici: cum subesse, sit commodum accipere: imperare uerò, sit dare. Hinc ergo infert Socrates, magistratus boni officium esse, subditorum commodis consulere, non suis: ideoq; iustum non esse, quod potentiori congruat, quemadmodum Thrasymachus arbitrabatur. Verũ hoc deinceps considerandum.) Refutata superiori iusticiæ definitione, accedit ad id refellendum Socrates, quod in altera sermonis sui parte Thrasymachus dicebat, utiliorem esse iniusticiam iusticia: quòd iniusti maiora habeãt commoda, q̃ iusti. Quam sententiã pro Thrasymacho tueri quoq; uult Glauco. Vter tibi modus magis placet.) id est, Quomodo rẽ hanc propositam tractari uis? oratione cõtinenti, an frequẽtib. interrogationib. interrupta? Age igitur, ô Thrasymache responde nobis à principio.) Probare deinceps incipit Socrates, iusticiã esse uirtutẽ, iniusticiã uerò uitium: uitiũ autẽ nulli cõferre, ideoq; nec iniusticiã. In primis uerò sententiã Thrasymachi ipsam uidelicet proponit: deinde docere studet, iniusticiam uitium esse, uel negante id Thrasymacho, qui iniusticiam uitium esse negat: contrariam uerò illi iusticiam, generosam quandam, ac bonam stultitiam appellat: quòd iusti sint quidẽ simplices homines, & frugi, sed inepti, & stolidi, qui suas negligant utilitates. Atq; hac in sententia pleriq; hominum hodie sunt, cum probos ac sinceros uulgò contemptus causa bonos homines uocent. At bonum consilium, sagacitatemq;.) Thrasymachi uerba sunt, iniusticiam nolentis appellare nequitiã, sed bonum consilium, & sagacitatem: quod utilitatis studiosos homines faciat. Equidem quod uis intelligo, sed admodum miror.) A' contrarijs docere instituit, iniusticiã malum esse, quando contraria eius iustitia uirtus sit. eò enim deducit Thrasymachum, ut iusticiam uitium esse fateatur, quando iniusticiam uirtutem faciat, prũdentiæq; adiũgat. Huius autem erroris est causa, quòd utilitatem ab honestate non seiungit Thrasymachus: & quicquid utile sit, idem continuò putat honestum. Quandoquidem in uirtute, & sapientia.) Sapientiã appellat hic Plato prudentiam, ut aliàs non semel nec malè quidem ille: quia ut supremæ in quoq; genere causæ notitia sapientia dici potest, ita prudentia in rebus agendis, quòd ratio suprema sit, sapientia nominatur. Ponit autem Thrasymachus in uirtute ac sapientia iniusticiam, quòd illam bonam putat, & prudentiæ adiungit. An iustus uideatur plus iusto.) Incipit docere Socrates, iniusticiam esse uitium, hoc argumento: Iustus alium iustum superare non uult, ne iustè quidem agendo, esset enim sic iniustus: iniustum autem ille iustè agendo superare studet: ergo & iniustus contraria ratione, non modò iniustum superare iniusticia, sed iustum etiam uellet. Vel sic argumentum etiam conficietur: Iustus non cupit sibi amplius, quàm alius iustus, licet plus quàm iniustus, cui nolit esse similis: iniustus contrà plus sibi optat, quàm iusto, uel iniusto alteri: ergo iustus minus habebit, quàm iustus. At iniustus in pluribus optandis prudens est, & bonus: igitur prudenti bonoq; similis. Hac argumentatione urget Thrasymachum incommodo, ut fateatur, iniustum bonum esse, & iustum malum: quòd uterq; plus sibi assumat, quam alteri: quod ipsum iniusticiæ sit. Ideo concludit Socrates his uerbis: Sic itaque dicimus, iustum non plus simili habere uelle, plus autem dissimili.) Iustus quidem iusto superior esse non uult, sed iniusto, quia bonus bono non inuidet, nec eum superare nititur: malo autem bonus excellere studet. Hæc Socrates retulit, eo quòd paulo antè Thrasymachus dixit. Extimaret utiq;, dignumq; putaret, sed non posset) Id est, Quia iustus non assequetur id, quod iniustus, ob imbecillitatem. Atqui prudens & bonus, iniustus ipse est) Suprà nondum planè conclusit Socrates, id quod uolnerat, sed tam in illud statuebat, iustum iustè

stè agẽdo, nolle superare iustũ alium, sed iniustũ dun taxat: cõtrà uerò, iniustũ nõ modò iniustũ quenq̃ superare uelle, sed iustum quoq; ipsum: ideoq; utroq; plus habere, quando id nitcretur, atq; assequeretur tandẽ. Hinc deducit conclusionẽ hanc incõmodo urgentem, uidelicet iniustũ & prudentẽ & bonum esse, quãdo uel iustũ ipsum superet, nedũ iniustũ. Atque hoc ita ambiguè dicitur, prius quàm explicetur, quà nam in re alius alium superet ut infertur, iniustum prudenti bonoq; similem esse. Quod tamẽ Thrasymachus ipse admittit, nesciẽs quorsum Socratis ratio tendat. sic enim ait: Quid obstat, inquit, quo minus qui talis, talibus quoq; sit similis?) Nihil refert, quod iniustus prudẽti, bonoq; similis dicatur: cum in prudẽtia, ac bonitate, aliquid, cui assimilari possit, insit. Nam simile quid alteri dicitur, cum in eo, cui assimilatur, aliquid sibi cõgruens existit. Hoc statuto, docetur deinceps inductione ab ijs uerbis, Sed dicas Thrasymache, utrum musicum aliquem noces.) ad ea quæ sequuntur, fieri nõ posse, ut iniustus bonus sit, quod plus expetat quàm alius, aut superare alium nitatur. sic autem argumentatur: In unaquaq; arte, aut facultate, aliquis est eius doctus, & aliquis ignarus. Doctus autem omnis indocto similis esse non uult, sed docto: nec hunc superare, sed illum, studet: cõtrà uerò, indoctus illius artis docto assimilari, & excellere nititur, non indocto alteri: Ergo illius artis doctus, quando sapiens ac bonus est, nihil sibi amplius uendicabit, quàm is cui assimilatur: siquidem indocti est, plus sibi, quàm suo simili & dissimili uendicare. His ita constitutis pergit ad sequentia Socrates, ut idem in iusto & in iniusto ostẽdat, cum ait: Nónne iniustus, Thrasymache, plus usurpare contendit?) Quæ suprà sunt de omni facultate dicta, ad quæstionem de iusticia accõmodantur, ut iustus, sapiens ac bonus esse, iniustus uerò malus, doceatur. Tale enim est argumentum: Nullus bonus, ut antea est cõstitutum, bono excellere uolet, sed malo: Malus autem & malo & bono cupit excellere: iustus item, ut suprà dictum est, iniustum superare tantum uult nõ iustum alium: contraq; iniustus & iustum, & iniustum: ergo iustus est bonus, & iniustus malus. Hanc cõclusionem solita ironia Socrates, quasi ob oculos ponit Thrasymacho, his uerbis: Hæc omnia concessit Thrasymachus.) His constitutis, tota ferè Thrasymachi sententia de iniusti potentia, imbecillitateq; iusti, repetitur à Socrate: ut cum probarit, iniustitiã malum esse, doceatur deinceps, eandem imbecilliorẽ iusticia existere. Hoc interrogo nunc, quod paulo antè) Primò proponit sententiam suam Socrates, hoc est iusticiam iniusticia robustiorem esse: quod illa scientia, hæc ignorantia sit: scientia autem firma sit animi perceptio, ignorantia error atq; defectio. In quo animaduerte, uirtutes omnes à Platone sciẽtias nominari propterea, quòd uirtutes illæ omnes à ratione proficisci, non ab appetitu etiam, putauit, ut aliàs dicetur. Addit dein aliam rationem, ab effectu iusticiæ sumptam: uidelicet, nullam societatem uel ciuium, uel paucorum hominum, sine iusticia conseruari posse: quãdo seditionibus, odijs, & cõtentionibus societates dissipentur, quæ omnia parit iniusticia: conseruantur autem concordia, & amicitia, quam gignit iusticia. ex quo infert, iusticiam iniusticia esse potentiorẽ, quòd firmiorem efficiat hominum societatem, atq; adeò omne id cui insit. Primum quidem impotentem agendi.) Iniusticiæ incommoda omnia enumerat, ut imbecillitatem iniusti ostendat. Iusti autem sunt & dij.) Iniustus iustis est inimicus: ergo & dijs, qui iusti sunt, dum unicuiq; pro meritis reddũt uel præmia, uel pœnas.

Explere, ô Socrates.) Thrasymachi uerba, Socrati insimulantis pertinaciã, & contradicendi studiũ. Constat profectò sapiẽtiores.) Non modò iustos iniustis robustiores esse, Socrates docuit, sed rebus itẽ agendis aptiores: quia & sapientiores sint. contrà, iniustos nec per se, nec unà cum alijs quid posse omnino. cuius rei addit rationẽ: Non enim abstinerẽt.) Quæ ratio talis est. Iniustus nemini parcit: nã si parcat, aliquo modo est iustus: Qui nemini parcit, ne cũ alijs quidem uiuere potest. Ergo iniustus cum alijs nihil potest. Vtrum autẽ & melius uiuant iusti.) Transit ad docẽdum, iusti uitam commodiorem esse multo, quàm iniusti, quod suprà negauat Thrasymachus. Dic igitur, opus ne equi.) Inducit paulatim, omnia proprijs instrumentis uti debere, si commodè conficiantur: ut iusti uitam præstare uitæ iniusti doceat. Sic autem argumentatur. Vnicuiq; rei sua est actio definita, ut inductione patet: Virtus autem suam habet quoq; actionem, quam si non exerceat, uirtus non sit: Ergo uirtus sua semper actione utetur. Hac modo argumentando procedit Socrates, ut doceat, iniusti uitam incommodiorem esse, quàm iusti, quòd illa actionis priuatio sit, & priuatio cum habitu collata sit nihil. Nunquid oculi opus suum pulchrè aliquãdo.) À cõtrarijs docet, sine proprio instrumento nihil posse agere, quemadmodum nec sine materia. Cæcitatem namq; pro uisu dicis) Id est, Cum oculos cernere, negas eorum esse propriam actionem. Quæcunq; illorum sit uirtus.) Id est, Non quæro nunc de cernendi ui oculis insita, quod in Timæo docetur uberius: sed omnino, an aliqua sit actio oculorũ propria, qua nequeãt ij carere. Quid ipsum uiuere?) Vita etiã, prima et potissima animæ est in corpus actio: qua corpus prius uiuat, quàm animal existat. Concessimus'ne, uirtutem animi iusticiã esse?) Hactenus induxit, rem quamq; proprio agere instrumento, quasi ui sua. Nunc id assumit, iusticiam animi esse uirtutẽ, quod etiam antea docuit. Ex quo communem infert conclusionem, iniustum impudentiorem esse iusto: quòd iniustus, cum malè uiuat, infœlix, miser, & calamitosus sit. At miserum esse non prodest) Cum iniustum miserum esse docuerit, concludit, imbecilliorem iusto esse, propterea quòd infœlicitas noxia & mala sit: noxium autem

tem omne imbecillum id efficiat, cui insit. His epulis crassius fueris in Dionysijs.) Thrasymachi uerba nimium contradicendi, refutandiq; studiũ Socrates insimulãs. quasi dicat: Satiare ista tua nimia contradicendi consuetudine, atq; inebriare, uelut in Bacchanalibus quibusdã. Cui respondet Socrates, Apud te comedi. id est, Tu mihi causam præbuisti, qui falsa adduxeris Nondum abunde uesci cõtigit.) id est, Non planè tuum detexi errorem, quia superbire desiisti, ideoq; mitius tecum egi. Nam quemadmodũ epularum) similitudine quadam ostendit, quemadmodum a disputatione de iusticia ad quæstionem de iniusticia sit delapsus, in eoq; quæsierit, num illa uitium esset, & an iusticia esset firmior iniusticia, quæ res ab instituto quodam modo aliena fuit. Hic autem quasi in Epilogum, sic in breuem quandam summã omnia rediguntur. Ac postremò incidente ratione.) Cum tu assereres, iniusticiam præstare iusticiæ, non passus sum, id impunè te discreretsi à proposito discedendum fuerit. Quapropter mihi in præsentia.) Libri primi conclusio, in qua more solito ignorantiam suam Socrates profitetur, nihilq; ait de iusticia statuisse se, illam ob causam: ac proinde, ne definisse quidem eam.

ARGVMENTVM IN LIB. PLATONIS II. de Republica.

IN superiori libro Socrates Thrasymachi de iusticia sententiã refutans, quid nõ ea esset potius, quàm quid esset, docuit. In hoc autem inducitur Glauco, eandem opinionem defendens, quam Thrasymachus: uarijsq; de causis iustitiæ iniusticiam anteponens. qua de re longam & continentem orationem habet. Huic Adimantus sese opponens, simili oratione iusticiam laudat, atq; iniusticiæ anteponit. Quibus absolutis, Socrates, eius sententia comprobata, ad sermonem de ciuitatis iusticia transit, quando est de iusticia communi disputatum. Hic ciuitatis in primis originem tradit, ciuiumq; genera, gradus & conditionem: tum quemadmodum ijdem inter se tueri possint iusticiam, ostendit: postremò, quá nam in re cõmoditas sit Reipub. sita, indicat. Quibus propositis, uerum ipsam ad ciuitatis iusticiam ostendendam redit, idq; in duobus duarum ciuitatum exemplis declarat: uno iustæ ac moderatæ, altero iniustæ & abundantis Hinc ad institutionem custodum, seu ciuitatis præfectorum sese conuertens, eos robustos, mansuetos, philosophos esse denique uult. Atq, hanc ille institutionem ab ipsis pene incunabulis accersit, dum pietate custodes imbui præcipit, ne prauè de Deo sentiant, auditis poetarum cõmentis: siquidem pueris primùm legendi poetæ offeruntur. Primum ergo præceptum est, de custodum institutione, ac religione.

PLATONIS DE REPVBLICA
LIBER SECVNDVS.

HAEC quum dixissem, à disputatione liberatum me esse putabã: uerùm hoc, ut uidetur, procœmiũ modò fuit. Glauco enim, & semper aliàs uir certè ad omnia fortissimus, & tunc quidẽ Thrasymachi defatigationem haud probauit, sed dixit: Vtrũ ô Socrates, nobis persuasisse uideri cupis, an reuera persuadere, quòd omnino præstet iustum esse, quàm iniustum? Ego quidẽ, si in mea optione esset, reuera persuadere mallem. Non igitur facis, inquit, quod uis. Dic enim mihi, uidetúr ne tibi huiusmodi aliquid esse bonum, quod quidem eligeremus, haud certè quæ ex eo sequãtur cupientes, sed ipsum gratia ipsius amantes? quemadmodũ gaudere, & uoluptates quæcunq; sine nocumento sunt, & quæ in posterum nihil præter gaudium allaturæ sunt eas habenti. Mihi sanè uidetur, inquam, esse aliquid tale. Quid autem? Est'ne aliquid, quod & ipsum gratia ipsius, & eorũ quæ ab eo fluũt, amemus? Quẽadmodum sapere, uidere, ualere. hæc enim huiusmodi, propter utrumq; eligimus. Certè, inquam. Tertium autem uides, inquit, genus boni, in quo est exerceri, malè ualẽtem curari, medicationemq; & pecuniariã exercere? Hæc utiq; laboriosa fatemur esse, prodesse autem nobis. Et ipsa quidem, sui gratia nunquã expeteremus: sed quæstus, & aliorum quæ ab eis proficiscuntur gratia. Est hoc planè, inquam, genus tertium. Quid tum? In quó nam istorum, inquit, iusticiã ponis? Mea quidẽ sententia in pulcherrimo, quod tam propter seipsum, quàm propter ea quæ efficit, ab eo qui beatus sit futurus, expetitur. Haud ita multis uidetur: sed laboriosi generis esse, quod quidem

quidem propter præmia & honores & gloriam sit expetēdum, propter seipsum autem tanquam difficile fugiendum. Noui equidem isthuc multis uideri: quocirca iampridem à Thrasymacho, quasi tale quiddam sit, uituperatur: iniusticia uerò laudat. Sed ego hebes sum, ut uideor. Age itaq; & me audi, inquit, si tibi quoq; hæc uideantur. Thrasymachus nēpe, prius quàm oportet, tanquam serpens carminibus delinitus abs te fuisse uidetur. Mihi autem nondum ex sententia demonstratio utriusq; euenit. Cupio enim audire, quid sit utrunq;, & qualem uim habeat ipsum secundum seipsum existēs in animo: præmia uerò, & quæ ex ipsis proueniunt, mittere. Sic igitur faciam, si & tibi placet. Renouabo equidem Thrasymachi orationem, & primùm dicam quale quid iusticiam esse dicāt, & unde exortā fuisse uelint. Secundo uerò loco, omnes quicunq; iusticiam colunt, inuitos quodammodo eam sequi, tanquam rem necessariam, sed nō bonam. Tertio, meritò id agere. Multo ergo melior iniusti uita, quàm iusti, ut tradunt. Mihi quidem, ô Socrates, non ita uidetur. Ambigo tamen plerunq;, quia obtundor quotidie Thrasymachum alios'que innumeros audiens. Orationem uerò pro ipsa iusticia, quòd melior quàm iniusticia sit, ex nullo adhuc audiui ut uellem. Cuperem quippe iusticiam ipsam secūdum seipsam audire laudatam: maximè uerò ex te hoc me arbitror auditurum. Quapropter dicam latius, iniustam uitam laudans: dicendoq; ostendam tibi, quónam maximè modo audire te uelim, uituperantem quidem iniusticiam, iusticiam uerò laudantem. Sed uide an hoc tibi placeat. Maximè, inquam, omniū: de qua enim re quis sanæ mentis libentius & audiat, & dicat? Præclarè, inquit, loqueris. Enimuerò quòd primùm de hoc dicere pollicitus sum, iam audi quale sit, & unde sit orta iusticia. Natura quidem dicūt iniuriam facere bonum esse, iniuria autem affici malum: sed longè plus mali esse in patiendo iniuriam, quàm in inferēdo boni. Quamobrem postquam uicissim iniuriam & intulerint & acceperint, et utrunq; gustauerint, qui nequeunt uitare illud, id consequi operæ preciū fore ducunt, ut ita inuicē componantur, ut neq; inferri, neque accipi possit iniuria: hincq; uolunt originem habuisse leges constitutionesq;, & nominata esse præcepta legum legitima atq; iusta. Hanc itaq; iustitię originem & substantiam esse uolunt, quæ media quodammodo sit optimū inter et pessimum. Quandoquidem optimum est inferre iniuriam, nec dare pœnas: pessimum uerò pati, nec ulcisci posse. Iustum ergo horum in medio constitutum amari non tanquam bonum, sed ex imbecillitate iniuriandi tanquam iniuriarum inferēdarum obstaculum. Eum sanè qui hoc efficere posit, uereq; sit uir, cum alio pacisci nunquam, decernereq;, ne ultro citroq; iniuria inferatur, alioquin insaniret. Hæc est, ô Socrates, natura iusticiæ: atq; huiusmodi, & ex talibus, ut ferunt, progenita. Quòd autem qui iusticiam seruant, inuiti id agāt, cum ex imbecillitate iniuriam inferre nequeant, planè perspiceremus, si tale quiddam animo fingeremus: si utrique licentiam largiremur quodcunq; liberet agendi, & iusto pariter & iniusto. deinde ponè sequeremur, explorantes quò rapiat utrunq; libido: inueniremus profectò, iustum plus habēdi auiditate compulsum, ad eadem se, atq; iniustum, conferre. Hoc siquidem natura omnis ut bonum expetit, lege autem ac ui ad æqualitatē seruandam ducitur. Erit autem licentia, quam dico, talis, istis si detur, qualem aliquando ferunt fuisse Gygæ Lydi progenitori. Fuisse enim ipsum ferunt mercenarium pastorem, eius qui tunc Lydis imperabat. magna autem imbriū tempestate exorta, motaq; terra, ferunt terram hiatum fecisse in ea regione, ubi ille armenta pascebat. Quæ cum uidisset, mirabūdus in hiatum descendit, conspexitq; & alia quæ fabulantur miranda, & equum æneum cōcauum: & per fenestram cadauer in aluo equi animaduertit, maius quidem

humana forma. Hoc nihil habebat aliud, præter aureum digito annulum, quo sublato abijt, ac paulo pòst ad pastoralem peruenit cõuentum, in quo legatus de rebus peculij ad Regẽ per singulos menses referendis creandus erat, iuxtaq; alios assedit. Acciditq; ut, cum fortè gemmam introrsum ad manum uerteret annuli quem à cadauere arripuerat, subitò à nullo conspiceretur, alijq; de illo tanquam absente loquerẽtur. Admiratus ergo, gemmam rursus extrorsum conuertit. Quo facto, rursus apparuit. Hoc ille animaduertẽs, diligentius periculum fecit, utrum hãc annulus uim haberet. atq; ita illi compertum fuit, quod uersa ad se gẽma, à nemine uideretur: uersa autem ad alios, conspicuus fieret. Quod quidẽ expertus, curauit ut legatus ad regem unà cum alijs mitteretur: profectusq;, uxorem eius stuprauit, et de rege interficiendo cum ea consilium init. quo cæso, regnum assumpsit. Si igit duo tales annuli essent, alterumq; iustus, iniustus alterum possideret ac ferret, nullus profectò esset, ut uidetur, adeò adamãtinus, ut in ipsa iusticia permaneret, & ab alienis abstinere uellet, cũ liceret illi ex foro intrepidè quodcunque uellet arripere, ingrediq; alienas domos, & clanculum pro libidine cuiq; congredi, & pro arbitrio quemlibet interficere, et ex carcere soluere, & alia, quasi par Deo sit, inter homines pro arbitrio facere. Hæc igitur cum uterq; faceret, nequaquam alter ab altero in agẽdo differret, sed ambo eòdem tenderẽt. Quæ quidem maxima apud omnes esse potest coniectura, neminem uolẽtem, imò inuitũ esse iustum: quasi id secundum se, & priuatim non sit bonum. Quoniam ubicunq; iniustè agere quisq; se posse cõfidit, agit protinus: prodesse enim quisque priuatim multo magis existimat iniusticiam, q̃ iusticiam: recteq; sentit, quisquis ita iudicat, ut sermonis huius perhibent autores. Quod si quis huiusmodi facultatem nactus, uelit ab iniusticia abstinere, neq; aliena tangat, infelicissimus omnium & stolidissimus apud eos qui hoc aduerterent, putaretur. Laudarẽt tamen illum palàm, uicissim se decipientes: quia maximè timẽt ne afficiãtur iniuria. Atq; hæc quidem ita sint dicta. Vitam uerò utriusq;, iusti uidelicet & iniusti, ita planè dijudicabimus, si iustissimum uirum seorsum & iniustissimum distinguemus: aliter uerò nequaquam. Sit autem hæc discretio talis, ut nihil auferamus iniusticiæ ab iniusto, neq; quicquã ab iusto iusticiæ, sed perfectũ utrumq; in suo studio ponamus. Primùm igitur iniustus tanquam optimi artifices faciat: uidelicet quemadmodum gubernator summus, uel medicus, quæ in arte sua confici possunt, & quæ non possunt, sentit: & illa quidẽ aggreditur, ista relinquit: & si qua præterea in re peccauerit, corrigere potest: ita & iniustus rectè iniurias aggrediens, lateat, si maximè iniustus futurus est: sin autem deprehẽsus fuerit, iners existimandus est. Extrema enim iniustitia est, iustũ uideri eum qui non sit iustus. Danda est igit iniustissimo extrema iniusticia, neq; auferenda: sed permittendum, ut is qui iniustè multa patrauit, apud omnes iusti habeat opinionem: & si qua in re peccarit, corrigere possit: sitq; ad persuadendũ idoneus, si quid de ipso mali facinoris nũciatur: & ad uim, si opus fuerit, inferendã, fortitudine & robore, opumq; & amicorũ copia. Cum hunc talẽ finxerimus, iuxta ipsum uirum ponamus iustum, simplicẽ hominem & ingenuũ, qui secundũ Aeschylũ non uideri, sed esse bonus studeat. Remouenda quippe ab eo iusticiæ omnis opinio, ne iustus cuiquã uideatur. Si enim uidebitur iustus esse, aderunt sibi honores & præmia. Incertum igitur erit, iustine, an honorum munerumq; gratia talis sit. Priuandus itaque rebus omnibus, præterquàm iusticia: atque ita ponendus, ut superiori cõtrarium sit: cum nihil agat iniustè, iustissimus esse credatur: ut quasi quodam examine ad iusticiam sit probatus, ex eo quòd nec infamia, nec his rebus quæ eam sequũtur, à proposito suo dimoueatur, sed usq; ad mortẽ immobilis perseueret, dum

per om-

per omnem uitam iniustus existimatur, est tamen iustus: ut cum utriq; ad extremum peruenerint, hic quidem iusticiæ, ille autẽ iniusticiæ, iudicetur uter eorum sit beatior. Papè, quàm uehemẽter, ô amice Glauco, utrumq; uirum quasi statuam quandam in iudicium manifestum inducis. Quam maximè, inquit, possum. Cum ergo talis sit, nihil iam, ut arbitror, difficile narratu est, qualis utrumq; uita maneat. Dicẽdum igitur. quod si asperius aliquid dicatur, ne existima me, Socrates, hæc dicere: sed eos, qui præ iusticia iniusticiam laudãt. Dicent enim, quòd ita affectus iustus, cædetur, torquebitur, & uincula patietur: eruentur illi oculi, atque demum omnia mala perpessus suspendetur: atque cognoscet, non esse, sed uideri iustum, concupiscendũ esse. Aeschyli autem carmen rectius intelligi poterat de iniusto. Dicent profectò iniustum, ut pote ueritati consona sectantem, neque ad opinionem hominum uiuentem, appetere quidem non uideri, sed esse iniustum: profundum sanè sulcum & frugiferum, mentem habentẽ, ex quo gloriosa germinent consilia. Primùm quidem, magistratus capere in sua ciuitate, cũ iustus appareat: deinde, quam uelit uxorem ducere, & suas cui uelit elocare, cum quibuslibet congredi, communicareq;: atq; ad hęc omnia utilitatem capere, quæstum facientem, cum inferre iniuriam minimè uereatur: in certaminib. tum publicis, tum priuatis superiorẽ euadere, plusq; emolumenti q̃ aduersarios inde excerpere: atq; hinc effici diuitem, unde & prosit amicis, & inimicis obsit, Deos autem donarijs & sacrificijs magnificè colat, & multo melius q̃ iustus conciliare sibi possit quemlibet uel hominũ uel deorum: ex quo consentaneum esse uolunt, ut Deo charior sit, quàm iustus. Hac ratione aiunt, ô Socrates, & apud Deos, & apud homines, melius iniusto uitam institutam esse, quàm iusto. Hæc cum dixisset Glauco, egoq; ad hęc respondere aliquid cogitarem, frater eius Adimantus: Nondum, inquit, ô Socrates, satis de hac re dictum, Quid igitur? inquã. Quia id, inquit, dictum non est, quod maximè dici oportuit. Frater, inquam ego, adesto uiro, ut habet prouerbium. Quare tu si quid hic reliquit, adiuua. Quanquã me, quæ dicta sunt ab isto, conuincere possunt, atq; efficere, ut defendere iusticiam nequeã. Nihil est, inquit. Audi & hæc præterea. Decet enim et contrarias orationes inducere earũ quas hic attulit, quibus laudatur quidem iusticia, iniusticia contrà uituperatur, ut manifestius fiat quod mihi Glauco uelle uidetur. Præcipiũt sanè patres filijs, atq; omnes qui curam aliquorum habent, oportere iustum esse, nõ propter seipsam iusticiam laudantes, sed propter eos qui inde sequuntur honores: ut qui iustus habetur, ex ea opinione magistratus, & connubia, & quæcunque de eo qui iustus habetur, paulo antè dicebat Glauco, assequatur. Enimuero gloriæ illi præmium quoddam in primis inducunt. Nam inferentes deorum beneuolentias, summa referre possunt à dijs beneficia, sanctis uiris collata. quod generosus Hesiodus Homerusq; testantur. Ille enim iustis deos hoc cõcedere perhibet, ut quercus in ramis altioribus glandes ferant, in medijs apes: & oues lana onerentur, multaq; alia generis eiusdẽ bona. His similia dicit & alter. Quemadmodũ enim, inquit, probo regi, quiq; Dei similis sit, bonũ conferat nomen, ferat terra nigra triticum atq; hordeũ, pomis grauentur arbores, fœcundæ pecudes facilè pariãt, mare pisces subministret. Musæus itẽ, atq; eius filius, excellentiora etiã bona iustis ab ipsis dijs tribui uoluerunt. Apud inferos enim agentes, ipsosq; in sanctorũ conuiuijs collocantes, coronatos faciunt magna semper in uoluptate ebrios uiuere, existimantes pulcherrimum uirtutis præmium æternam ebrietatem. Qui autem longiora his præmia à dijs dari uolunt, filios dicunt posterosq; iusti fidelisq; uiri genus suum per secula propagare. His & huiusmodi iusticiã laudãt: prophanos uerò atq; iniustos, cœno quodam apud inferos obruũt,

& aquam cribro ferre cogunt. Viuentes etiam infamia notant. Ac demum, quæcunque supplicia eorum narrabat Glauco, qui iusti sunt, & uidentur iniusti, eadem insuper iniustorum enarrant, alia uerò non habẽt. Laus igitur & uituperatio sic utrorumque se habẽt. Præter hæc considera Socrates, aliam quandam de iusticia iniusticiaque orationis speciem & priuatim & à poetis inductã. Omnes enim uno ore canũt, bonum quid temperantiã et iusticiam esse, difficile autem & laboriosum. Intemperantiam uerò & iniusticiam, iucundum quidem & facile comparatu, opinione tantũ legeque turpe. Vtiliora quinetiam iustis iniusta, ut plurimum, uulgò dicunt. Et malos quidem diuites potentesque facilè honorant, priuatimque ac publicè beatos appellant: eos autem contemnunt, qui imbecilles & pauperes sunt, quamuis concedant ipsos meliores cæteris esse. Horum uerò omnium maximè mirãdi de dijs & uirtute sermones circumferũtur, deos plurimis bonis hominibus infelicem uitam dedisse, malis autem contrà. Vates insuper & arioli ad ianuas diuitum accedentes, persuadent uim habere, à dijs sacrificijs & carminibus acceptã, purgandi per celebritates & oblectamenta quædam, si quod scelus ab his, aut eorum maioribus patratũ fuerit: et nocendi paruo etiam sumptu, cuicunque uelint inimicorũ, & iusto pariter & iniusto. Afferunt quippe tum blandimentis quibusdam, tum uinculis se deos inducere, ut sibi in his hominib. obsequantur. Ad hæc omnia, poetarũ afferunt testimonia, partim quòd facilè labamur in uitium:

Mortales uitium penitus labuntur in omne
Præcipites, quoniã facilis uia ducit ad ipsum,
Hoc quia uel nobis iam tum nascẽtibus hæret.
Virtutem ante ipsam dij proposuere laborem,
Difficilesque uias cunctis adeuntibus illam.

Partim, quòd Deus precibus nostris muneribusque flectatur, Homerũ adducunt testẽ, qui inquit: Exorabiles conuertibilesque & Dei sunt. & hos quidẽ sacrificijs, uotis, libationibus: & homines, cum peccauerint, precãtes uertũt,

Sunt faciles superi, precibus flectũtur, & quidẽ
Sacrorum nidore pio placantur, & ipsis
Nimirum uotis hominum: quæ, si quis in illos
Errarit, ueniam rogitans, concepit in aris.

Libros autem circumferunt Musæi & Orphei, Lunæ & Musarum filiorum, secundum quos sacra celebrãt: persuadentes non priuatis solum, uerumetiã ciuitatibus, solutiones et purgationes scelerum per sacrificia cum ludorum oblectamentis fieri, & uiuentibus & defunctis: quas quidẽ Teletas, id est expiationes uocant, quæ nos ab illis quæ illic mala sunt, liberent: sacrificijs aũt prætermissis, grauia nos manent. Hæc omnia ô Socrates, talia ac tanta de uirtutis uitijque præmijs, quo ad deos & homines pertinet, dicimus. Quid putamus acturos hæc audiẽtes animos eorum iuuenum, qui solertes ingenio sunt, & ad omnia dicta cõmodè celeriterque conuersi ex seipsis deliberare possunt, qualis aliquis existẽs, & quorsum tendẽs quàm optimè uitam agat? Consentaneũ est, iuuenem talẽ Pindari illud animo uoluere: Vtrum iusticię cõscendam alta mœnia? an obliquas doli uias ingrediar, meque ita fulciens uitam agam? Ea enim quę dicta sunt, mihi quidem, si iustus sim, non tamen appaream, nihil prodesse dicunt; labores autem & pœnas certas esse. Iniusto uerò opinionem iusticiæ assequuto, uita diuina adesse dicitur. Nónne igitur, postquam existimatio hæc iusticiæ, ut sapientes tradunt, ueritatem cogit ac uiolat, & ad beatitudinem est præcipua, ad eam omnino tendendum est? Induere itaque imaginem oportet iusticiæ, & quandam præ se ferre uirtutis adumbrationem, à tergo uerò illam sapientis Archilochi uulpem astutam ac uariam trahere. At dixerit fortè quispiam, haud facile esse ut malus quis semper lateat. Nos uerò respondebimus, nihil magnum esse facile. Verumtamen si beati esse uolumus, hàc eundẽ est, quà rationum uestigia ducũt. Etenim ut nostra improbitas occulta permaneat, coniurationes societatesque inibimus. Adsunt quinenam persuasionis magistri,

stri, qui sapientiam cõcionatoriam & iudicialem tradunt: ex quibus partim persuadebimus, partim cogemus, ut dum nobis plura arrogamus, pœnas minimè persoluamus. Sed deos quidẽ neq; latère, neq; cogere, possibile est. Verùm si non sunt, uel humana non curant, haud nobis curandũ est ut eos lateamus. Sin autem sunt, & curant humana, nos nõ aliunde id nouimus, uel audimus, quàm ex multorũ sermonibus, & ex poetis genealogiam ipsorũ scribentibus. Iidẽ uerò ipsi perhibent, posse deos precibus sacris & muneribus flecti. Quibus uel utrunq; credendum est, uel neutrum. Si ita credendũ, & iniustè agendum, atq; ex ipsa rapina dijs sacrificandum. Iusti enim si simus, illæsi à dijs erimus: sed quæstus qui per iniusticiam comparantur, respuemus. Iniusti autẽ diuitias parabimus: sceleribusq; patratis, illos precibus flectentes, à pœna liberabimur. Sed enim apud inferos pœnas dabimus eorum quæ hic iniustè cõmiserimus, uel nos, uel nati natorum. At ô amice, dicere quadam ratione licebit: supremæ pro peccatis commissis expiationes multum possunt: exorabilesq; dij sunt, ut maxime ciuitates dicunt. Et deorum filij poetæ, prophetæq; deorum, hæc ita se habere testantur. Ergo quæ ratio ulterius nos inducet, ut præ summa iniusticia iusticiam eligamus: quandoquidẽ si iniustitiam sub adulterina specie honestatis occultauerimus, & apud Deos, & apud homines omnia nobis ad uotum succedẽt, et uiuẽtibus & defunctis, quemadmodum multorum excellentiumq; uirorum testatur oratio? Ex omnibus iam dictis, ô Socrates, quis crediderit eum hominem iusticiam seruaturum, cui sit aliqua uis aut fortunæ, aut opum, aut corporis, aut generis: ac non potius subrisurũ, si laudari eam audiuerit? Quinimmo si quis falsa ostendat quæ diximus, recteq; norit iusticiam optimũ esse, uehementer ignoscet, neque irascetur iniustis: cum intelligat, nisi quis diuina quadam natura iniquitatẽ oderit, uel doctrina abstinuerit ab iniusticia, neminem sua sponte esse iniustum: sed præ timiditate, uel senectute, uel alia quadam imbecillitate uituperare iniusticiã, cum eam exequi nequeat. Quod quidẽ ex eo patet, quoniam ut primùm quis potestatem adeptus est, primus pro uiribus agit iniustè: horumq; omniũ alia nulla est causa, quàm ea, unde hæc omnis oratio mihi & huic, ô Socrates, aduersum te profecta est. Quoniam ex uobis, ô mirifice Socrates, quicunq; laudes iusticiæ profitemini, à priscis illis heroibus incipiẽtes, de quibus aliqua extat memoria, usq; ad nostros homines, nullus unquàm aliter laudauit iusticiam, uel iniusticiam uituperauit, quàm ad gloriam muneraq; uel pœnas respiciens, quæ ab illis proficiscũtur. Ipsum uerò utrunq; suapte natura quid agat in habentis animo, latens deos & homines, nullus unquam uel in poematis, uel alio sermone ad sufficiẽtiam enarrauit: quòd uidelicet iniusticia sit maximum malorum omniũ quotcunque sustineat animus, iusticia uerò maximum bonum. Si enim sic ab omnibus uobis fuisset à principio dictũ, & nobis ab ipsa pueritia persuasum, non inuicẽ cohiberemur, ne quid in alium ageremus iniustè: sed unusquisq; suipsius custos esset, timens ne iniustè agens, maximo malo adhæreret. Hæc ô Socrates, hactenus. Fortè uerò & plura Thrasymachus, aut aliquis alius de iusticia & iniusticia, utriusq; cõuertentes uim, diceret, & onerose admodũ, ut mihi uidetur. Sed ego nihil abs te celari uolens, cupiensq; ex te audire contraria, orationem protraho. Ne ergo nobis solum ostendito iusticiã iniusticia præstantiorem esse, sed quomodo ipsa per se afficiẽs utraq; animum, hæc quidem malũ, illa bonum sit. Opiniones autem auferas, ut etiam Glauco iusserat. Si enim non abstuleris utrinq; ueras, falsas autem apposueris, non iustum dicemus laudare te, sed id quod iustum uideatur: neq; iniustum uituperare, sed quod uideatur iniustũ: iubereq; iniustũ iusticiã occultare, assentiẽte Thrasymacho: iustũ quidem

alienum bonum, potentiori cõferens: iniustum autem ipsum conferens atq; utile, imbecilliori tamen inutile. Postquam igitur assensus es, iusticiam his bonis annumerari, quę & propter illa quæ sequuntur, & multo magis ipsa propter se sunt expetẽda, uidelicet uidere, audire, sapere, bene ualere, & quæcunq; alia bona suapte natura fœcunda sunt & preciosa, non opinione constant: hoc utiq; ipsum lauda in ipsa iusticia, quòd per seipsam habentẽ iuuat, cum iniusticia lædat. Opiniones autem & præmia alijs laudanda relinque. Nam ego quidem cæteros, quoties ita iusticiam laudarent, uel uituperarẽt iniusticiam, ferre possem, ut opiniones & præmia laudare uel uituperare uiderẽtur. Te autem minimè, nisi fortè tu iusseris: quoniam omnem uitam nulla in re alia quàm in hac speculatione consumpsisti. Ne igitur nobis solum oratione ostende, præstantiorem iniusticia iusticiam esse: sed quónam modo utraq; ipsarum sui participem afficiens, siue lateat, siue non lateat deos & homines, hæc quidem bonum sit, illa malum. Hæc ego cum audissem, quamuis & aliàs semper Glauconis & Adimãti ingenium adamassem, tunc tamen uehementer admiratus sum, dixiq;: Non malè in uos, ô filij illius uiri, principiũ elegorum carminum amator Glauconis inscripsit, qui cum in Megarensi prælio fortiter pugnauissetis: O' filij, inquit, Aristonis inclyti uiri, diuinum genus. Hoc bene dici uidetur, amici. Diuinè enim affecti estis, si non estis persuasi, iniusticiã iusticia meliorem esse, cum adeò pro ipsa abundè loquamini. Videmini autem mihi persuasi non esse. Coniecturam capio ex uestris moribus: quoniã secundum orationem ipsam uobis minimè credidissem. Quo autem magis credo, eo magis quò me uertam ambigo: nam quo modo adiuuẽ nescio. uideor quippe non posse. Illud autem signum est, quòd ea quibus ego suprà aduersus Thrasymachum sufficienter ostendisse putabam, iniusticia meliorem esse iusticiam, non admisistis. Neque rursus quomodo nunc succurram inuenio: ueritus ne fortè impium sit, ut qui iusticiã coram uituperari intelligit, subterfugiat: neq; pro eius defensione uerba faciat, quamdiu spirare & loqui conceditur. Præstat itaq; pro uiribus suffragari. Tunc Glauco, & cæteri omnes rogarunt, ut omni ope auxiliarer: neq; disputationẽ relinquerem, sed perscrutarer quid esset utrũque, quæ'ue reuera utriusq; utilitas. Dixi igitur, ut mea erat opinio, quæstionem hanc quam aggredimur, non esse contemnendam, sed hominis acutè cernẽtis opus, ut mihi uideretur: ac postquam nos aliter nõ ualemus, perinde inuestigandam esse iusticiam, ac si, quis non acutè cernentibus literas paruas, procul'que positas legendas mandasset: deinde animaduertisset aliquis, easdem literas esse alibi in maiori quodam loco maiores: atq; inde operæprecium censuisset, ut eas primò legentes, ita demũ minores, si eædem sunt, considerarent. Ita prorsus, Adimantus inquit. Sed quid tu simile in hac de iusticia inquisitiõe uides, ô Socrates? Dicam, inquam. Dicimús ne iusticiã hominis unius esse? Dicimus totius ciuitatis? Planè, inquit ille. Atq; ciuitas nónne maior uno uiro? Maior, inquit. Fortasse igitur iusticia amplior in maiori inest, faciliorq; est cognitu. Quare si uultis, prius quæremus in ciuitatibus quid nam sit: idq; deinde in singulis cõsiderabimus, maioris ipsius similitudinem in minoris idea contemplantes. Scitè, inquit, loqui mihi uideris. Si ciuitatem oratione cõstitutam inspiceremus, iusticiam quoq; eius & iniusticiã uideremus. Fortassis, inquit ille. Quo pacto spes erit facilius cognoscendi, quod quærimus. Maximè. Opus est igit̃ istud efficere. nam non parua res est, ut arbitror. Considera itaq;. Ecce consideramus, inquit Adimãtus. Sed tu nec aliter facito. Fit utiq;, inquam ego, ciuitas, ut existimo: quandoquidem nullus nostrûm ex seipso sufficiẽs est, sed multorum indiget. An uerò tu putas aliud extitisse ciuitatibus constituen-

dis

dis initiũ. Nullum aliud, inquit ille. Sic itaq; alius alium aliumq; sibi, & ad usum alium adiungentes, cum multis indigeamus, multos in habitationem unam cõmunicatores adiutoresq; cõgregauimus. Quem cœtum, ciuitatẽ nos appellamus. Nónne? Omnino. Impertiunt ergo uicissim sua, & aliena uicissim accipiunt, conducere sibi uicissitudinem hanc existimantes. Ita prorsus. Age iam constituamus oratione nostra à principio ciuitatem. Faciet autem ipsam, ut uidetur, indigentia nostra. Quid ni? Prima uerò & maxima omniũ indigentia, est præparatio uictus, ut & simus & uiuamus. Certè. Habitationis, secunda. tertia, uestitus, & huiusmodi. Est, ut dicis. Age igitur. Sed quónam modo ciuitas ad hanc præparationem sufficiet? An non unus erit agricola, ædificator alius, alius textor? Nunquid & coriarium ibidem annumerabimus, uel aliquem alium rerum ad corporis usum pertinentium curatorem? Maximè. Erit itaq; ipsa ciuitas saltẽ ex quatuor aut quinq; uiris. Apparet. Quid igitur? Vnumquemque istorum oportet suum opus alijs communicare? uidelicet agricolam unum uiris quatuor uictum præparare, & in quadruplo tempus & laborem in agricultura consumere, atq; illis communicare? An potius aliorũ cura neglecta, quartam sibi soli partem comparare, præparationẽ uidelicet alimentorum in quarta temporis parte? Reliquarum autem partium temporis unam in construenda domo, aliam in uestitu, aliam in calceis conficiendis conterere, neq; curiose alijs rem suam communicare, sed ipsum sibi sine alterius auxilio prouidere? Fortè hoc modo, ô Socrates, inquit Adimantus, facilius esset, quàm illo. Minimè per Iouem, inquã. absurdum enim. Nam te loquente considero, nasci nos quidem nõ admodum similes, sed differentes inuicem, singulosq; ad singula opera prõptos natura produci. An non tibi uidetur? Mihi uerò. Quid autem? ageret'ne unus aliquis melius omnes simul artes, uel singuli singulas? Singuli singulas. Atqui & hoc manifestum esse existimo, quòd si nobis in alio quodã negocio occupatis, opportunitas alicuius operis præterit, eiusdem perit & actio. Patet. Non enim quod faciendum est, facientis ocium expectare uult: sed necessitas cogit facientem, opus ipsum obseruata semper occasione prosequi. Necesse est. Ex his patet, singula fieri & plura, & melius & facilius, quando singuli singula secundum naturam occasione seruata ab alijs cessantes efficiũt. Sic est omnino. Pluribus igitur, ô Adimante, opus est ciuibus, quàm quatuor, ad ea quæ diximus comparanda. Non enim agricola, ut uidetur, sibi aratrum cõficiet, si commodum operi futurum est, neq; ligones & rastros, neq; alia instrumẽta quibus agricultura indiget: neq; rursus ædificator, multis enim & huic opus est. Idemq; de textore & coriano dicendum erit. Idem. Fabri igitur lignarij et ferrarij, alijq; huiusmodi plures artifices, nostri in eo oppido conciues facti, frequentius ipsum efficient. Vera loqueris. Sed nondum satis amplum hoc esset, nisi ipsis bubulcos, & opiliones, & pastores alios adderemus, ut & agricolæ ad arandum boues haberent, & architecti iumentis ad conuectandum materiem uterentur, textores autem & coriarij pellibus ac lanis. Haud sanè parua esset ciuitas, quæ omnia hæc haberet. Atqui cõstituere ciuitatem in eo loco, in quo aduectionibus non indigeat, fermè impossibile est. Impossibile certè. Indigebit igitur & alijs, qui ex alia urbe importent, quibus & hæc indigeat. Indigebit. Vanus autẽ esset minister, nihil adducens earum rerum, quibus indigent hi, à quibus affert ea quorum sua ciuitas indiget. uacuus enim rediret. Nónne? Videtur. Oportet igitur non solum ea confici quæ illi ciuitati sufficiant, sed qualia & quot ijs quibus illa indiget. Oportet sanè. Pluribus igitur agricolis & alijs artificibus nobis opus est in ciuitate. Pluribus certè. Et alijs insuper ministris, qui & importent & exportẽt singula,

gula. Isti autem mercatores sunt. An non? Sunt. Mercatoribus igitur indigebimus. Certè. Et siquidē maritima mercatura erit, multis etiā opus erit, qui maritimæ mercaturæ periti sint. Multis planè. Quid aūt in ipsa ciuitate? quomodo inter se impertiēt ea quæ singuli operanſ? cuius impertionis gratia, cōmunicationē induximus, ciuitatemq; cōstruximus. Patet q; emendo & uendēdo. Forum itaq; nobis, & nummus in commercijs, ex hoc permutationis gratia instituetur. Omnino. Num igitur ferēs in forum agricola aliquid ex his quæ facit, uel aliquis alius artifex, si non in eodē tempore uenit, quo & illi quibus cum est hæc permutaturus, cessabit ab opere, in foro consistens? Nullo modo: sed sunt qui cum hoc animaduertant, seipsos ad hoc ministerium præparent. In ciuitatibus enim rectè institutis id agunt homines quidā imbecilles corpore, & ad aliud opus inutiles, qui illic constituti circa forum, partim quidem argento commutant cum his qui aliquid uēdituri sunt, partim res dāt pro argēto his qui empturi. Hæc ergo necessitas nobis cauponum genus in orbe procreat. An non caupones eos uocamus, qui se in foro ad uenditionem emptionemq; constituunt? Qui uerò ad alienas urbes migrant, mercatores? Proculdubio. Sunt & alij præterea, ut arbitror, ministri, qui cum huic societati parū animi uiribus conferre possint, robur corporis sufficiēs ad labores habent. Isti ergo roboris usum uendentes, quia ipsum præmium mercedem appellant, mercenarij nuncupantur. Nonne ita? Ita prorsus. Complemētum itaq; ciuitatis & mercenarij sunt. Videtur. Nunquid ô Adimante, ita iam à nobis adaucta est ciuitas, ut sit perfecta? Fortè. Vbi'nam in ipsa, iusticia erit & iniusticia, & cui simul innata atq; insita ex his rebus quas tractauimus? Equidē, ô Socrates, nescio: nisi fortè cōsistat in mutuo quodā usu eorum quę diximus. Forsitā bene dicis: considerandū tamen, neq; desistendū. Et primùm quidē intueamur, qua ratione uictu utenſ, qui ita instituti sunt ciues. An nō cibos parabūt, et uinum, & uestes, & calceamenta, & domos? Aestate quidem ut plurimum, sine ueste, & sine calceis erunt: hyeme autem uestibus & calceis sufficienter ornati. Nutrientur autem, ex hordeo & frumento farinam cōficientes: & partim quidem pinsendo, partim congerendo, placentas egregias, panesq; super calamis aut puris frondibus imponentes, in lectisq; ex herbis smilace atque myrto factis discumbentes, comessabuntur ipsi & eorum filij, uini pocula sumentes coronati, et deos laudantes, iucundè simul uiuēt: nec ultra censum filios generabūt, cauentes & paupertatem & bellum. Et Glauco respondens: Sine obsonio, ut uidetur, inquit, conuiuas fecisti. Verum dicis, inquā. Oblitus enim hoc eram, quod quidē habituri essent obsonium, sal uidelicet & oleas & caseum & porrū. præterea holera, quasi agrorum pulmenta suscipient. Et bellaria ipsis addemus, ficuū, cicerum, & fabarum, & baccas myrti, & phaginas glandes prunis torrebūt, modestè bibentes. Sicq; quietè & salubriter uiuentes ad senectutem usq;, aliam eiusmodi uitam posteris suis relinquent. Si suibus, ô Socrates, ciuitatem instituisses, quæ'nam alia ipsis cibaria præparasses? Quid ergo agendum, ô Glauco? Quod multi solent, inquit, super thoris discūbendū, nisi misere uelimus uiuere: epulisq; ex mēsa uescendum, obsonijsq; & bellarijs, quibus his temporibus utunſ. Esto Glauco, inq; ego: intelligo. non enim urbem, ut uideſ, consideramus solum quomodo fiat, sed delicatam urbem. Fortè igiſ nō malè se habebit. Hanc enim intuētes, forsitan deprehēdimus, ubinam iusticia & iniusticia ciuitatibus innascantur. Vera utiq; mihi ciuitas esse uidetur, quā diximus, tanquā sana. Verùm si uultis, ciuitatē quoq; turgidam consideremus. Nihil enim prohibet. Profectò hæc, ut uidetur, quibusdam nequaquam sufficient, atque hic uictus nō placebit: sed & thori addentur, & mensæ, & alij apparatus,

tus, & uasa, & obsonia, unguentaq; & suffitus, scorta, aromata, condimenta, oblectamentaq;, & hæc omnia profusè. Neq; solũ ea quæ suprà retulimus, necessaria ponenda sunt, domus, uestes & calcei: sed addẽda rursus pictura, & uarietatis artificia, aurũ & ebur, cæteraq; eiusdẽ generis omnia. Nónne? Omnino, inquit. Nónne igitur maiorem ciuitatem oportet cõstitui? illa enim sana, non amplius sufficiens est, sed mole quadam & multitudine replenda est, eorum qui non amplius necessitatis causa in ciuitatibus sunt: quales sunt uenatores omnes, & mimi, imitatoresq; partim circa figuras atq; colores, partim circa musicã: poetæ scilicet, eorumq; ministri rhapsodi, recitatoresq; carminum, actores, cantores, saltatores, redemptores, & apparatuum instrumentorumq; uariorum artifices, tum aliarũ rerum, tum earum quæ ad muliebrem ornatum pertinẽt. Quinetiam ministris pluribus indigebimus. An non opus esse tibi uidetur, pedagogis, nutricibus, educatoribus, tonsoribus, cæterisq; ornandi ministris? His preterea, qui obsonia & culinam parẽt, præterea & subulcis egebimus. Hæc enim nobis in priori ciuitate nõ erant: nõ enim erat opus. In hac autem, & hac, & alijs escis cõpluribus ex animalium carnibus indigebimus: an non? Quid ni? An non & medicis indigebimus multo magis ita uiuentes, q; ut antea dicebamus? Valdè quidem. Atqui & regio quæ tunc eos homines sufficienter alebat, parua erit, an quo modo dicimus? Est ut dicis. Nónne igitur de finitimorum regione nobis aliquid usurpabimus, ut satis agri habeamus ad pascendum atque arandum: & finitimi quoq; de nostra, si & alij ad cumulum diuitiarum se conferent infinitum, necessitatis terminos excedentes? Longè necesse erit, ô Socrates. Pugnabimus ergo, uel quid agemus? Pugnabimus. Atqui nõdum dicimus, quid aut mali aut boni bellum afferat: sed solum hoc, quòd originem bellorum inuenimus: ex quibus, cum eueniunt, & publicè & priuatim magnæ urbem calamitates inuadunt. Sic prorsus accidit. Igitũ & maiore ciuitate opus est ad exercitum maximum comparandum, qui ob ea quæ dicta sunt, incurrentibus hostibus obuius sit. Nónne ad pugnãdum isti sufficiunt, quos narrauimus? Non. Siquidem tu atq; nos omnes rectè superiora concessimus, cum urbem constituentes, in hoc conuenimus, impossibile esse unum plures artes bene exercere. Vera loqueris. Certamen bellicum non artificiosa facultas est? Est, & maximè quidem. Nunquid igitur de coriaria magis, quàm de bellica, est curandum? Minimè. Prohibuimus autem, ne coriarius opera simul aggrederetur agricolę, uel textoris, uel architecti: & in sua dũtaxat arte uersari pręcepimus, ut opus ipsius quàm optimè nobis conficeretur: singulisq; alijs singula pro cuiusq; ingenio tribuimus, ut quisq; id unum ad quod natura ducit, aggrediatur, ociumq; à cæteris agens, & temporis opportunitate seruata, optimè illud efficiat. An uerò parum quid interest, utrum bellica rectè peragantur, necne? An fortè usq; adeò facile hoc studium, ut possit quis bellicosus simul uir esse, & agricola, uel coriarius, uel aliquis alius artifex? lusor autem talorum uel alearum, nullus quidem idoneus esset, ni à pueritia studiũ illi arti adhibuisset, sedulusq; incubuisset? Et scutũ quidem accipiens, uel alia quædam militaria arma & instrumenta, uno die idoneus miles erit in quouis certãdi genere, aliorum autem instrumentorum nullum aliquem artificem faciet, uel athletam: neq; utile erit illi qui in eo studio penitus non fuerit, & sufficienter exercitatus. Preciosa admodũ instrumenta essent. Nónne quanto maius custodiæ opus est, tãto maiori ocio indigebit, arteq; & exercitatione maiori? Ita existimo. Nónne & natura ad studiũ ipsum idonea? Quid ni? Nostrũ igitur erit officium, ut uidetur, quoad fieri possit deligere, quę & quales naturę sint ad urbem custodiendam idoneę. Nostrum planè. Per Iouem, nõ humile negocium sumpsimus:

psimus: non tamen est formidandum, quatenus uires suppetunt. Non certè. Existimas'ne differre naturam generosi canis, & generosi adolescentis, ad custodiam agendam? Quorsum hæc? Vtrunq; ipsorum sagacem oportet esse ad sentiẽdum, & uelocem: deinde ad insequendum: ac demũ robustũ, cum assecutus fuerit, ad pugnãdum, capiendumq;. Opus certè est omnibus istis. Atqui audax & fortis sit oportet, siquidẽ bene pugnaturus sit. Quid ni? An uero fortis erit & audax, qui iracũdus nõ sit, siue equus, siue canis, seu quoduis animal? An nõ animaduertisti, inexpugnabilem inuictamq; esse iram? qua præsente, anima omnis intrepida ad omnia est, & inuicta? Animaduerti. Manifestum est, qualem corpore custodem esse oportet. Manifestum. Quinetiã qualem & anima, scilicet iracundum. Et hoc. Quomodo ergo, ô Glauco, asperi nõ erunt aduersus se inuicem, ciuesq; alios, cũ tali natura prędìti sint? Haud facile istud per Iouem. Verumtamen oportet erga suos, mansuetos: aduersus autẽ hostes, immites esse: alioquin haud expectabũt, donec ipsos alij perdant, sed ipsi seipsos perdent. Sic accidet. Quid igitur faciemus? Vbi'nam mansuetum simul & iracundum ingenium reperiemus? Contraria namq; iracundę naturę mitis apparet. Verum qui altcrutro horũ carebit, custos bonus non erit. Hæc autem in unum congredi non posse uidentur. Atq; ita sequitur, ut bonus custos inueniri non possit. Videtur, ut dicis. Et ego hæsitans, mecumq; ipse animo superiora reuoluens, Meritò, inquã, dubitamus amice. Nam ab ea, quam suprà induximus, comparatione digressi sumus. Quo pacto id ais? An non inuenimus tales quasdam esse naturas, quales minimè putaueramus, habẽtes hęc simul in se contraria? Vbi'nam? In alijs animalibus hoc utiq; uidere licet: & nõ minimè in eo custode, cum quo nostrum custodem cõparabimus. nosti enim, generosi canis hunc à natura morem esse, ut aduersus familiares & notos mitissimus sit, cõtrà uerò aduersus ignotos. Noui certè. Ergo neq; impossibile est, neq; præter naturam, quod quærimus, talem uidelicet esse custodem. Sic apparet. An uidetur præterea tibi opus esse, ut qui futurus sit custos, ad ferocitatem illam addat ut natura philosophus sit? Quomodo istud ais? non enim intelligo. Atqui & hoc in canibus intueri licet, quod quidem in bestia dignum admiratione sit. Quale istud? Quem enim ignotũ uiderit, grauiter fert, etsi nihil mali ab eo sit perpessus. Noto autem blãditur, quamuis nihil boni ab eo susceperit. An nondum hoc admiratus es? Haud ualde hucusq; animaduerti. quòd autem hoc facit, manifestum est. At enim uidetur hic naturæ ipsius effectus ingenuus, ac uerè philosophus. Qua ratione? Quoniam aspectum nulla re alia amicũ & inimicum discernit, quàm quod hunc quidẽ nouit, illum autẽ ignorat. Nónne igitur meritò dicendum erit discendi cupidum, atq; studiosum, quòd cognitione & ignorãtia discernit domesticum ab extraneo? Erit: quid ni? Porrò discendi studiosus & philosophus idem. Idem. Cur igitur audacter nõ ponamus & in homine, siquidem aduersus familiares & notos mitis futurus est, philosophũ ipsum esse & discẽdi cupidum oportere? Ponamus. Philosophus igitur, & iracundus, & uelox, & robustus natura erit, qui ciuitatis custos optimus est futurus. Sic est omnino. Talis utiq; custos sit. At quo pacto nutrientur à uobis, erudientur q; custodes? Atq; hęc cõsideratio nunquid uobis cõferet ad id, cuius gratia considerauimus omnia, cõperiendũ, quomodo scilicet in ciuitate iusticia insit, & iniusticia? Id certè cogitandum est, ne forte uel necessaria dimittamus, uel superuacua prosequamur. Reor equidem, inquit Glauconis frater, disceptationẽ hanc summopere ad id quod nobis propositum est, conducere. Ita & ipse per Iouem, ô amice Adimante, existimo. Non igitur desistendum, neque etiam si hæc lõgiora essent. Non

certè,

certè, inquit. Age itaq;, quemadmodum in fabulis ocium agentes, confabulantesq́;, oratione hos homines instruamus. Nempe sic decet. Quæ igitur erit disciplina? Num difficile erit inuenire meliorem illa, quæ hactenus longo tempore est inuenta? est autem hæc ad corpus quidem pertinẽs gymnastica, ad animũ musica. Est planè. An non à musica erudirio hæc prius, quàm à gymnastica, incipere debet? Certè. Cum musicã dicis, sermones etiam ponis, néc ne? Pono. Orationis autem species duæ, uera & falsa. Ita est. Erudiendus utiq; in utraq; custos futurus, priusq́; in falsa. Haud intelligo quid dicas. Nescis quòd pueris fabulas prius narramus? hæc autẽ, ut simpliciter dicã, falsa sunt, licet quędam etiam ueridica iudicentur. prius autem fabulis ad pueros, quàm gymnasijs, utimur. Est ut dicis. Hoc ergo uolebam, cum dicerem, attingendam esse prius, musicam, quàm gymnasticam. Probè. An nescis, in unaquaque re maximum quid principium esse? præsertim iuueni, & tenero cuiq;. Maximé enim tunc formatũ induiturq; figura, quam quis unicuiq; imprimere uelit. Omnino quidem. An adeò facilè permittemus quaslibet fabulas à quibuscunq; formatos audire pueros, animisq́; imbibere opiniones ut plurimum contrarias illis, quas cum adoleuerint, habere illos debere existimamus? Nullo modo id permittemus. Primùm igitur, ut uidetur, fabularum fictoribus præficiẽdi sunt, qui si quam bonam fabulam fecerint, eligant, reliquas autem abijciãt. Quas deniq; elegerimus, per nutrices et matres pueris narrandas curabimus, ut ipsorum animi fabulis multo magis informentur, quàm corpora manibus. Ex his uerò quas nunc recẽsent, multæ erunt abijciendæ. Quales? inquit. In maioribus, inquam ego, planè minores uidebimus. oportet enim eandem figurã esse, eandemq́; potẽtiam, & maiorum pariter & minorum. An non censes? Censeo equidem: uerùm quas maiores appelles, nequaquam intelligo. Quas Hesiodus & Homerus, reliquique poetæ scripserunt. hi nanq; hominibus falsas fabulas effinxere, quæ quotidie circũferunt. Quas fabulas dicis? quidue in ipsis dãnas? Quod & primò & maximè dãnari oportet, præsertim cum aliquis non bene mentitur. Quid istud? Quando quis uerbis malè fingit, quales dij & heroes sint, instar pictoris nulla ex parte similia figurantis, ad ea quæ imitari conatur. Atqui talia meritò uituperantur. Verùm quo modo dicimus? & quæ apud eos talia reperimus? Primum quidem & maximum, & de maximis rebus mendaciũ, quod nõ probè mentitus est Hesiodus, quando gesta illa à Cęlio fingit: additq́;, quemadmodum Saturnus eum puniuit, quę ue egit Saturnus recenset, & quæ à filio perpessus est. Quæ quidem etsi uera essent, non tamen putarem tam apertè ad homines mentis inopes adolescentesq́; proferẽda, sed tacenda potius. Sin autem necessitas adesset loquendi, in arcanis audienda paucis, nõ porcum sacrificãtibus, sed preciosam quandam raramq́; uictimam, ut quàm paucissimos audire contingat. Profectò duri sunt hi sermones. Neq; dicendi, ô Adimante, in ciuitate nostra: neq; dicendum iuueni audienti, quòd qui iniquissima facinora perpetrat, nihil mirum committat: aut qui peccantem patrem supplicio afficit, non multũ præuaricetur, imò faciat quod primi maximiq; deorum fecerunt. Non per Iouem. nam neq; mihi quidẽ digna hæc uidentur, quæ dicantur. Neq; omnino, quòd cum dijs dij bellum gerant, insidientur, & pugnent. neq; enim uera: siquidẽ oportet futuros apud nos ciuitatis custodes turpe putare, inter se inuicem dissidere. Quare nec ullo pacto narrandum illis, Gigantum bellum, prælia ue permulta deorum & heroum, cognatis suis proximisq́; indicta: sed si quo pacto persuasuri sumus, nullum unquam ciuem ciui aduersatũ esse, neq; esse hoc sanctum, talia quædam potius & pueris statim, & adolescentibus à senioribus aniculisq́; nar-

randa sunt, cogendiq́; poetę ut ad hęc fabulas suas dirigãt. Vincula autem Iunoni à filio iniecta, & Vulcanum cœlo à patre proiectũ, cum ille matri uerberatę subuenire uellet, aut deorũ pugnas quotcunq; Homerus scripsit, minimè in ciuitate recipere debemus, siue per allegoriam dicta hæc sint, siue sine allegoria. nõ enim adolescẽs hæc dignoscere potest. sed quæ in ea ætate opinionibus accipiuntur, altius inhærere, difficillimeq́; eradicari consueuerunt. Quorum fortè gratia danda omnino est opera, ut hæ fabellæ quas primas audient, optimè institutę ad uirtutem sint. Non est procul à ratione quod dicis. Verùm si quis interroget, hæ quæ sint, & cuiusmodi fabulæ, quid nam dicemus? O' Adimante, poetæ quidem nos in præsentia, neq; ego, neq; tu sumus, sed ciuitatis institutores. hos autẽ nosse oportet figuras, in quibus fingere poetæ fabulas debeãt: quas si excesserint, fabulæ huiusmodi admittendæ non sunt. Neq; tantum ad ciuitatis institutores pertinet, fabulas fingere. Rectè loqueris. Sed hoc mihi declara, quales istæ circa theologiam figuræ. Tales quædam: qualis ipse Deus est, talis semper est describendus, siue carminibus describatur, siue cantibus, siue etiam tragœdia. Ita decet. Nónne bonus & ipse Deus est, & ita dicendum? Proculdubio. Atqui nullum bonum noxiũ est. Nullũ, ut arbitror. Quod innoxium est, nunquid nocet? Nequaquam. Quod non nocet, nunquid malum facit? Neq; istud quidẽ. Quod autem nihil mali facit, nullius mali est causa. Nullius. Item, nónne conducibile bonum est? Prorsus. Ergo bene feliciterq́; agendi causa est. Est. Non igitur omnium causa bonum est, sed eorum quæ bene se habent causa: eorum uerò quæ malè, nequaquam. Sic est omnino. Non igitur Deus, quum bonus sit, omnium causa est, ut multi dicunt: sed paucorũ quidem hominibus in causa est, multorum uerò extra causam. Multo enim pauciora nobis sunt bona, quàm mala. Et bonorũ quidem solus Deus causa est dicendus: malorum autem quamlibet aliam, præter Deũ, causam quærere decet. Verissima loqui mihi uideris. Neq; Homeri igitur, neq; alterius poetæ accipiendum est peccatũ, stultè de dijs dicentis, in Iouis limine duo iacere dolia plena sortibus, bonis unũ, malis alterum: cumq́; ex his Iupiter inuicem commixtis impertit alicui, aliâs hunc bene, aliâs malè est: cui uerò ex altero datur, hunc uesana fames super terras exagitat. Neq; uerò admittendũ est, Iouem nobis penuarium esse bonorum atq; malorum. Confusionẽ uerò iuramentorum induciarumq́; à Pandora factã, si quis per Iouem & Mineruã factam fuisse dixerit, nequaquã laudabimus: neq; deorum cõtrouersiam, dissensionemq́;, & iudicium per Themin atq; Iouem. Neq; quod dicit Aeschylus, adolescentes audiant, Deum mortalibus caussam prębere, quãdo uult funditus domũ subuertere. Verùm si quis iambica inducat, in quibus passiones Niobes referantur, uel Pelopidarum, uel Troianorum, aut aliquid huiusmodi, uel sinendũ non est eum dicere hęc Dei esse opera: uel si Dei sunt, educenda est in his ea quam nunc quærimus ratio, dicendumq́;, Deum quidem bona iustaq; egisse, atq; eos puniendo iuuisse. Quod uerò miseri sint qui pœnas pendũt, sitq́; Deus qui sic affligit, poetam dicere non est permittẽdum. Sed si diceret malos homines, utpote miseros, pœnis egere, easq́; soluentes à Deo iuuari, permittendũ. Malorum autẽ alicui causam esse ipsum Deum, quum bonus sit, refellendum est omnino: neq; permittendum hoc quenquã dicere in sua ciuitate, si bonis institui legibus ciuitas debet: neq; insuper quenquam audire, siue sit ille iunior, siue senior, siue carminibus hæc inferantur, siue soluta oratione narrentur, tanquã quæ neq; dictu sancta sint, neque nobis utilia, neq; inter se cõsona. Consuffragator tibi sum hac in lege ferenda. mihi nempe hęc placent. Hæc itaq; una sit lex atq; figura ex his quæ circa Deos ferendæ sunt, in qua cogatur u-

cui adeò utile est, ut non sit odio dignum? Nónne aduersus hostes, atque eos qui uocantur amici, quando ob furorem atque aliquam inscitiam malum aliquod facinus aggrediuntur? Tunc porrò auertendi gratia tanquam medicina quædam utile est: & in his quas modò dicebamus cõfabulationibus, eo quòd non cognoscamus in quo antiquarum rerum consistat ueritas, assimilantes ueritati mendaciũ, ita enim maximè id utile facimus. Sic est prorsus. Secundum ergo quid istorum, mendaciũ est utile Deo? An quia non cognoscat uetera, sub ueritatis imagine mentiatur? Ridiculum istud quidem. Poeta igiṫ mendax in Deo non est. Non mihi uideṫ. Nunquid metu hostium mentietur? Longè abest. An propter familiarium dementiam atque insaniam? At nullus stultorum & insanorum, Deo amicus est. Non igitur est cur Deus mentiatur? Non. Ergo omnino sine mendacio est deorum dæmonumque natura. Omnino. Quare & simplex omnino Deus, & uerax dictis ac factis, neque mutaṫ ipse, neque alios decipit, neque per uisiones, neque per sermones, neque per signa, neque nobis dormientibus, neque uigilantibus. Ita quoque mihi de hoc, te dicente, uidetur. Cõcedis ergo hanc secundam esse figurã, in qua oportet de dijs ita dicere, & audire, tanquam qui neque præstigiatores sint, neque se mutent, neque mẽdacijs nos, aut dictis, aut factis seducãt? Concedo. Multa igitur ab Homero dicta laudãtes, somnium ab Ioue Agamẽnoni missum nequaquã laudabimus, neque Aeschylũ, cum Thetidem inducit dicẽtem, quòd Apollo filium eius interemit; qui tamẽ in eius nuptijs discumbens cecinerat, bonam Thetidis stirpem fore longæuam, morbisque intactam. Cecinit quippe multa Apollo, inquit, fortunasque meas Deo amicas fore prædixit, & lætitia me laudationibus suis affecit. Atque ego os Phœbi sperabam diuinum, ueridicũ, fatidicumque esse. Ipse uerò idẽ qui laudabat, in mensa et ipse discumbẽs, ipse hæc fatus, ipse idem mihi filium interfecit. Talia quædam quoties de dijs dicentur, protinus reclamabimus, exsibilabimusque: neque permittemus, ut ludorum magistri ad iuuentutis disciplinã istis utantur, si custodes apud nos pij atque diuini, quoad homini possibile est, futuri sunt. Accipio equidẽ hanc formam, proque legibus ubique utar.

SEBASTIANI FOXII IN LIBRVM II.
Annotationes.

DEfatigationem haud probauit.) Quanquã disputãdo Thrasymachus defatigatus ab incœpto destiterit, ego tamen abs te adhuc persuaderi nolo. Hic Glauco Thrasymachi suscipit sententiã defendendam, ideoque Socratem ad disputandum inuitat. *Videtur'ne tibi huiusmodi bonum.)* Proposita definitione boni, eiusque diuisione, Socrates quærit sub quo'nam bono iusticia constituatur? ut doceat, eandem iniusticiæ præferendã esse. Bonum, & expetendum, pro eodem hic capitur à Socrate: siquidem bonum nihil est aliud, quàm id, quod propter se expetitur. et in ipsa boni ratione expetitio includitur, quòd illa ad finem pertineat, qui propter sui bonitatem semper expetitur. Duplex autem hĩc bonum à Platone ponitur: unum, quod per se expetatur: alterum, quod ob aliud. illud honestum, aut iucundum, hoc utile dici solet: quia honestas & iucunditas finis rationem habent, utilitas uerò medij ad finem. Primum genus boni, id est iucunditas, in ijs uerbis ponitur: Videtur'ne tibi huiusmodi aliquid esse bonum? Secundum, id est honestas, in ijs: Est'ne aliquid, quod & ipsum gratia ipsius? Tertium, id est utilitas, in illis: Tertium autem uides genus boni. His boni formis propositis, docet præterea, sub honestatis formã iusticiam cadere, accommodata illi definitione honestatis siquidẽ honestas est, quæ propter se, effectusque suos desideratur: eodemque modo iusticia. *Noui equidem isthuc multis.* Scio quidem iustitiam, adeoque uirtutem omnem, laboriosam esse, eamque tanquã honestum propter se esse expetendam: quamuis labor Thrasymachum deterruerit, quo minus fateretur esse propter se cupiendam iusticiam. *Tanquam serpens carminibus.)* Aiunt serpentes incantationibus adeò commoueri, ut obstupescant nonnunquam: sic quoque à Socrate discessisse dicitur Thrasymachus. *Cupio enim audire, quid sit utrunque.)* Petit hic à Socrate Glauco, ut quando Thrasymachus disputationem intermiserit, doceat ipse, quid sit utrunque, id est iusticia & iniusticia: tum quid sit illud, quod per se in animo existit: omittat uerò sermonẽ de præmijs,

& effectibus utriusq;. Renouabo equidem.) Propositio est eorum quæ à Socrate sunt aduersus Glauconem quærenda: quæ ipsa tria sunt. primum, quid sit iusticia, ut uulgus existimat secundum, num iusticia inutilis sit, ac difficilis. tertium, rectè ne ob difficultatem eadem deseratur. Orationem uerò pro ipsa iusticia.) Glauconis sunt uerba, cupientis à Socrate nosse iusticiæ definitionem, ac laudem, quæ in dubio posita uideatur, cum et iniusticiã nõnulli anteponant. Enimuerò quod primum.) Glauco hinc iniusticiam laudare, iusticiæq; præponere, oratione continenti incipit: id quod in lib. de Repub. quoque Ciceronem, inducta Carneadis sententia fecisse, Firmianus scribit in libro de Iusticia. Iniuria autem affici malum.) Hanc quoq; tuetur Gorgias sententiã, in eius tituli Dialogo: sed eam refellit Socrates, docens iniuriam pati esse melius, quàm facere: itemq; Aristoteles lib 5. Ethic. Hincq; uolunt originem.) Leges ex hominum iniusticia natas ait, ut illam laudet: sed non animaduertit, aliud esse occasionem, aliud efficientem causam hominum quidem iniusticia occasioni est, ut leges condantur: ipsa uerò leges non efficit, sed recta ratio. Quæ media quodammodo.) Iustum legitimum cum absolutè iusto confundit, mediamq; statuit iusticiam inter iustum & iniustum, sicut inter bonum ac malum. Hæc est, ô Socrates.) Originem iusticiæ ipsis in hominibus iustis iniusticiam esse, docere hic uult. Quò rapiat utrunq; libido) Superiorem sententiam ab impetu humanæ naturæ, ac procliuitate ad malum confirmat: quòd hæc facultas homini haud temerè data uideatur. Erit enim licentia, quam dico.) Quanta sit iniusticiæ uis, exemplo fabuloso Gygis ostenditur: quod ipsum argumẽtum à Cicerone lib. 3. Offic. refutatur. Si igitur duo tales annuli.) Exemplum quæstioni accõmodans, iusticiam utilitatis causa deferendam esse putat: in quo discrimẽ inter Glauconẽ ac Socratem est. Quod si quis huiusmodi facultatem nactus.) scilicet malè faciendi Vulgari sententia suam opinionem confirmat Glauco, quòd iusticia quidem à cunctis laudetur, occultè autem et iniusticia præferatur. Laudarent tamen illũ palàm.) Quamuis iustus laudetur uulgò, quòd homines iniuria timore sponte se decipi sinant, dum iusticiam laudant: tamen utilior à singulis iniusticia putatur, cum ea eligatur potius quàm iusticia, in ijs quæ agunt. Sit autem hæc discretio talis.) Hypothesis est Glauconis, statuentis, nihil iniustum ab iniusto differre, ut iniusticia utilior iusticia esse demonstretur Sumitur autem argumentũ à subiecto. Primum igitur iniustus.) Puniri quidem aliqua pœna eos qui deprehensi in facinore sint, uult. iniusticiam uerò eorundem latêre, occultariq; præcipit, quia id solum in ijs sit reprehendendum, quod apertè sint iniusti, non quòd iniusti. Hunc talem finxerimus.) Antithesis, comparans iustum cum iniusto, ut collatione hac iniustus anteponatur iusto. Si enim uidebitur iustus.) A repugnantibus docet, iustũ ab iniusto distingui non posse, hoc modo: Iustus omnis esse, ac non uideri debet: Qui autem in rebus agendis iustum esse se ostendit non magis iustus, quàm iniustus uidetur: Ergo iustus ab iniusto discerni non potest. Sententiã hanc Cicero lib. 3 Offic. attingit obiter, atq; refutat. Vehementer o amice Glauco.) Iusti & iniusti descriptionem à Glaucone factam, Socrates miratur. Existima me hæc Socrates dicere.) Tanta est uirtutis uis, ut rationes omnes superet. ideo nequaquam, ait Glauco, se hæc sentire, sed referre tantum uoluisse. Dicent enim, quod ita affectus iustus.) Ex persona iniustos laudantium, incommoda iustorum recenset, ut his illi anteponantur. Aeschyli autem.) Cum iniustus malit quis esse, q̃ uideri: rectius et accõmodabitur Aeschyli sententia, dicentis, iustum esse quidẽ, nõ uideri. Profundũ sanè sulcũ, et frugiferũ.) Similitudine quadã mentẽ sulcũ appellat, quòd ueluti semina, sic recta proferat consilia. Primũ quidẽ magistratus.) Sorites, docens, iniustum placere magis Deo, quàm iustum. quæ conficitur hoc modo: Qui iniustus est, plura acquirit: itaq; ditior cum sit, offerre dijs plura, & amicis prodesse magis potest. Talis autem Deo placet: Ergo & iniustus. Hæc cum dixisset Glauco.) Absoluta Glauconis oratione, in qua iniustus iusto præferebatur: Adimãti subiungitur oratio, contrà sententiis, ut in utranq; partem Academicorum & Peripateticorum more de iusticia disseratur. Frater, inquam ego.) Socratis uerba sunt, Glauconem hortantis, ut Adimanto fratri opem in hac disputatione ferat. Quanquam me, quæ dicta) Socratis est, Glauconi cedentis, ironia. Ex ea opinione magistratus.) Inuersio Glauconianæ sententiæ, in qua honores & præmia iustis proposita esse, non iniustis dicuntur: id quod Homeri, Hesiodi, aliorumq; poetarum testimonijs confirmatur. Aeternam ebrietatẽ.) Id est, alienationem à corporeis rebus, & affluentiã bonorũ. Qui autem longiora his præmia.) Huiusmodi præmia non semel Iudæis, à Deo per Mosem proponũtur. Præter hæc considera.) Alia præterea iusti bona recensentur: quæ paulatim exponuntur. Omnes enim uno ore.) Hesiodus uirtutem à dijs ait in arduo positam, quòd difficilè comparetur. Tum uinculis se Deos inducere.) Id est, dij se faciles præbent hominibus, quasi capiendos, ut opem non denegent. Paretum quòd Deus precibus.) gratam esse dijs iusticiam, ex eo docet, quòd dij precibus nostris flectantur. Libros autem circumferunt Musæi) Scelerum purgationẽ ait gratam esse dijs, ideoq; iusticiam ipsam: quòd homines quærant remedia, quibus à uitijs purgari possint: cuius generis sunt libri hi, ac teletæ siue expiationes, ab Orpheo cæterisq; Magis inductæ: de quibus abundè Porphyrius lib 11 de Abstinẽtia animalium, & Rhodiginus lib. 9. cap. 23. Lect. antiq. Animos eorum iuuenum.) Si qui à iusticia deflectũt, ij sunt præcipuè iuuenes, qui plurimis perturbantur affectibus;

a ſe ſibi : igitur his etiam teletæ atque expiationes maxime congruũt, ut iuſti fiant. quod Pindari quoq; docetur teſtimonio, qui eandem uirtutem iuuenibus tradi uult in primis. Nonne igitur, poſtquam exiſtimatio) Id eſt, quando ſimulatio omnis praua, tanquam ueritatis occultatio, uitanda eſt: & iuſticiæ exiſtimatio, eſt ſimulatio. eadẽ fugienda erit etiam. Induere itaq; ad imaginem) Exhortatio eſt ad iuſticiam amplectendam. Vt fortè dixerit quiſpiam) Quid ſi innatam obiiciat aliquis) omne latère diu non poſſe? Certè cum aliquid occultari ſit difficile, quacunq; id ratione fiat, fieri hoc nequit, cum dij humana curent, ac prouideant. Perſuaſionis magiſtri) Rhetores ac ſophiſtas tacitè reprehendit, quòd ueritatem occultent, dum nimium ſtudeant dictioni. Verùm ſi non ſunt.) Sic probat, occultari nihil diu poſſe. Si dij ſint, prouidentia mundus regitur: Si regitur, ergo nihil latère diu poteſt, Deum ſaltem nunquam Quod autem prouidentia ſit, teſtimonijs antiquitatis confirmat, ut alijs facit non ſemel. Quibus uel utrumq; credendum.) Dilemma eſt huiuſmodi: Vel Dei prouidẽtiam aſſerentibus eſt credendum, uel minime: Si credendum, certè immunes erimus à ſupplicio, ſi boni ſimus: ſi iniuſti autem, iuſtis ſupplicijs afficiemur. At, ô amice, dicere quadam ratione libebit.) Alterius obiectionis dilutio, quæ talis eſt: Cum noſtris precibus Deos exorari ſciamus, non eſt uerendum, ut puniamur: quod autem exorentur, patet ex diuerſorum ſententijs. Ergo quæ ratio ulterius.) Eandem obiectionem Adimantus ex aliorum ſentẽtia adducit, quòd ſcilicet omnes, cum Deus moueri precibus, factisq; noſtris dicatur, ſponte tamen iniuſticiam commodorũ ſuorum cauſa ſequantur. Quinimo ſi quis falſa oſtendat, quæ diximus.) Cum hæc ita credantur, quæ diximus, nulla erit alia reſponſio, quam ut irrideantur tales iniuſtorum prætextus Ad iuſticiam uerò iidem excitari nõ poterunt, cum id ægrè ſibi perſuadeant, quòd omnes uitia citius ſequantur. Diuinam agnoſce Platonis ſententiam, dicentis, nullam nos iuſticiam ſponte ſequi, ſolo uoluntatis impulſu. Quod quidem ex eo patet.) Docet, omnes ad iniuſticiã eſſe procliues: quòd occaſiones illius quærant, datasq; amplectantur. Quoniam ex nobis, ô mirifice Socrates) Iuſticiã nequaquam ſatis laudatam, inquit, nec eius uim planè indicatã: cum tamen omnes de illius præſtantia prædicent multa. Ipſum uerò utrumque.) Id eſt, quid uerò faciat in eo iuſticia, uel iniuſticia, cui inſit, non dicunt. Quod uidelicet iniuſticia ſit maximum.) Ob id pleroſq; in uitia labi ait, quòd quid ſit iuſticia, & iniuſticia, non planè intelligant: quanquam communes quaſdam utriuſq; notiones teneãt, quas ſingulis rebus accommodare ſit difficillimum Ne ergo ſolum nobis oſtendito) Cum multa de iuſticia retulerit Adimantus, petit nunc à Socrate, ut eius uim demum declaret: non, quod Glauco fecit, aliorum tantum proferens ſententias, aut iuſticiam cum iniuſticia conferens. Si enim non abſtuleris.) Id eſt, Si falſas retuleris ſententias, non laudare ueram iuſticiã, ſed fucatam uideberis. Hic incommodum putat eſſe, aliorum recitare ſententias, falſas præſertim, ac turpes. Poſtquam igitur aſſenſus es) Adhuc Socratem hortatur, ut iuſticiæ uim exponat, quãdo illam ex eo genere bonorum, quæ propter ſe expetantur, eſſe docuerit. Quæ & propter illa) Hic uera bona, & propter ſe expetibilia, tum ob honeſtatẽ, tum ob utilitatem, intelligit. Hoc utiq, ipſum lauda.) Id eſt, ſic de iuſticia diſſerito, ut falſas aliorum ſententias omittas. Quoniam omnem uitam.) Ad Socratis ſtudium alludit, qui deſerta phyſica, ad Moralem ſe philoſophiam tranſtulit. Glauconis et Adimanti ingenium.) Laus eſt Glauconis & Adimanti habita à Socrate, tum ob ſuperiores duas orationes, tum quòd iidẽ ardenter de iuſticia diſputari noluerint. Non malè in uos, ô filij.) Cum duos hoſce fratres laudare uelit Socrates, meritò uerſus illos à Glauconis amatore ſcriptos congruere ijs ait. Alludit autem ad Græciæ morem, ut iuuenũ amatores eſſent quidam, qui carmina & elegos in illos frequenter ſcriberent. Illius uiri.) id eſt, Ariſtonis filij. initium autem elegorum fuiſſe hoc dicit, παῖδες Ἀρίστωνος κλεινοῦ θεῖον γένος ἀνδρός. Diuinè enim affecti eſtis.) diuino quodã afflati ſpiritu, de Iuſtitia hæc retuliſtis, cũ noſtra per ſe mens id nequeat. Coniecturam capio ex ueſtris.) quòd afflatu diuino id uobis acciderit, cõiectura ueſtro ex uitæ genere ac probitate, noſco. Nam hæc indicant animum. Illud autem ſignum eſt.) Cauſam reddit Socrates, cur de iuſticia apud illos non libenter diſputet. quod ſibi iidem non ſint aſſenſi ſuprà, cum Thraſymachus refelleretur. Neq; rurſus quomodo nunc.) Ab alia autem parte, cũ ueſtra contradictione deterrebar, nunc ſentio impiè me facturum, ſi iuſticiam non tuear, cum ei uideã anteponi iniuſticiam. Dixi igitur, ut mea erat opinio) Quæſtionẽ Socrates hanc à Glaucone, Adimantoq; tractatam, quaſi difficilem, ſe ſubterfugere uelle fingit: poſtea tamen rogatus ſuſcipit. Quare ſi uultis, prius quæremus.) Propoſitio eſt ſequentis diſputationis, de iuſticia ciuitatis. Nam hactenus de iuſtitia generatim eſt dictum, nunc autem de priuata et peculiari ciuitatis agitur : in qua cum plus ſit difficultatis, eo ſe ægrius diſputationem hanc ſuſcipere ait. Si ciuitatem oratione.) Iuſticia aut eſt uniuerſa, aut particularis. hæcq; rurſus aut unicuiq, homini peculiaris, aut toti ciuitati. de ciuitatis igitur iuſticia Socrates diſputaturus, ipſam in primis ciuitatem tanquam ſubiectam materiam, conſtituit: cognita enim materia iuſticiæ, quid ea ſit facilius noſcetur. Animaduerte de ciuitatis iuſticia hic diſſeri, id eſt, de iuſta Republica : idcoq; de ipſius ortu prius, ac partibus, mox de officijs agi, ut tota diſputatio ſibi melius conſtet. Fit itaque ciuitas.) Quæ cauſa ciuitatum conſtituendarum fuerit, docetur, quando de illius origine agitur : & in effectione quacunque efficiens

cauſa

causa semper præcedat. Qua de re plura Arist. lib. 1. Polit. Quem cœtũ ciuitatē.) Ciuitatis definitionem planiorem apud eundem Aristotelem quære, lib. 3. Polit. Faciet autem ipsam.) Postquam quid sit ciuitas, seu quid eadem dicatur, constat, ne de nomine sit controuersia, illius cōdendæ causæ enumerantur: quarum prima est egestas, eaq; non unius tantum rei, sed multarum, & ad uitæ usus diuersos pertinentium. Est præparatio uictus.) Victus uitæ necessarius est, ut alamur, atque uiuamus. Sed quo nam modo ciuitas.) Cum causa cōdendæ ciuitatis sit uitæ necessitas, tria sint rerum genera, quibus egemus: cibus, habitatio, uestitus. his accommodatæ totidem hominum formæ in eadem ciuitate habitantium erunt, qui parare illa possint: quando propter hanc mutuam diuersorum operam consociantur homines. An non unus erit agricola?) Ciuitatis partes, id est ciuium genera enumerat, quando hi pro uitæ humanæ usibus constituti fuere, qui usus in condenda etiam ciuitate spectatus fuit tanquam finis. Ex quatuor aut quinq; uiris.) Quia singulis usibus uitæ humanæ ciues apti esse debent, tot erunt in Republica hominum genera, quot opificiorum formas necessitas poscit. An potius aliorum cura.) Cum anni quatuor sint tempora, agricola suo semper fungetur munere, non uno tantum tempore, sed in omnibus, cum eius semper necessaria sit opera. Hîc Plato docere uult, unumquemq; opificem seu ciuem eorum, quibus de dixit, suo semper opificio usurũ, nō alieno, ne ordo ciuium ac ciuitatis perturbetur. Nam te loquente considero.) Vnum in urbe quauis ciuium ordinem esse posse negat, sed diuersos, ut diuersa sint munia, & opificia. Non enim quod faciendum est.) Docet, singulos curaturos melius singula, quàm unum omnia: ut concludat, diuersos in ciuitate ciuium gradus esse debere. Pluribus igitur, ô Adimante.) De numero ciuium utilitati publicæ necessariorum adhuc agit, quoniam unus sibi omnia facere nequeat, multisq; humana uita rebus egeat: quapropter necesse sit, diuersos in una ciuitate homines esse. Per quaternarium autem hunc ciuium numerum summa genera intelligit, ad quæ redigi formæ diuersæ possint. Nam ad agriculturæ rationē diuersa requirũtur opificia: eodemq; modo ad uestiendi, ædificandiq; artem, cum alius artem ipsam exerceat, alius instrumenta faciat, alius præparet, alius deniq; aliud agat. Atqui constituere ciuitatem.) Ciuitatis origine & partibus essentialibus, id est, ciuibus, eorumq; numero et ordine propositis, sequitur, ut eiusdem materia describatur: id est, situs, ædificiorum ratio, cæteraq; huius generis alia, quæ ad plenam ciuitatis constitutionē desiderantur. Quamobrem de situ hic ciuitatis agitur, quia magni refert, quo loco eadem sita sit ad habitãdi commoditatem, tum ad agriculturæ et mercaturæ usum: quæ duæ artes maximè sunt rebus publicis necessariæ. Quid autem in ipsa ciuitate.) Ad ciuitatis rationem pertinet, imò necessaria est, ciuilis uitæ communio, quæ in cōtractibus, uenditionibus, emptionibusq; cernitur. Quam quidem ad rem forum, mercatus, pecuniæ usus, cæteraq; id genus alia pertinent, in quibus iusticiæ quoq; ratio consistit. de qua non pauca Aristoteles libro 3 Ethic. Quidam imbecilles corpore.) Cum distincta sint ciuium munera, uidendum est in Repub. bene constituta, ut unicuiq; muneri apti homines adhibeantur: ut imbecilles & ignaui ad sedentarias artes, uel ad mercaturam mittantur: robustiores & prudentiores, ad publica negotia, & bellicam rem: eodemq; modo ad reliquas artes, aptissimi quiq; deligantur. Vbi nam in ipsa iusticia erit.) Constituta iam adumbratè ac ruditer ciuitate (nam latiùs id fiet postea) quæritur à Socrate deinde, quæ nam sit eius iusticia: quando ea solum de causa breuis hæc ciuitatis descriptio facta est, ut tanquam materia propositæ rei inuestigaretur. Equidem, ô Socrates, nescio.) Iusticiam ciuitatis in mutuo hominum usu, et commutatione rerum sitam esse ait: ut intelligas, commutatricem tantum iusticiam ad ciuitatem pertinere. Ex hordeo & frumento.) Non siligineum, sed rudem, & sanitati commodum panē fieri oportet, ne luxui detur locus. Si fictibus, ô Socrates.) Cum ciuitatis iusticiam Socrates in temperatione quadam, & frugalitate ponendã dixerit, eiusmodi nunc Rempub. Glauco irridet. Quamobrē duas continuò ciuitatum duarum formas subijcit Socrates: alteram moderatæ, alteram immoderatæ: ut quæ sit earum præstantissima, doceat. Turgidam.) id est, inflatam, & rerum copia affluentem, quasi morbido quodam humore. Neq; solum ea quæ suprà.) Conuiuiorũ, cœnarumq; formas diuersas, lege apud Athenæum lib. 11. Quales sunt uenatores.) Cum opulentæ, intemperãtisq; urbis describatur hic forma, multa hominum genera inutilia, ad amplitudinem tamen ac luxum ciuitatum pertinentia, commemorantur. An non medicis indigebimus?) Exemplo sunt Romani, qui diu medicis caruere, cum austeriorem uitam tunc agerent. Sufficienter alebat.) Quia ubi hominis luxus multa poscit, externa multa quæruntur: quia propria non uidentur satis esse. Nónne igitur de finitimorũ.) Præter luxum huius ciuitatis, auaritiam addit, cupiditatemq; imperandi. Non: siquidē tu, atq; nos rectè.) Verba sunt Socratis, Glauconi respondentis, qui eo ampliorem putabat fore ciuitatem, quòd plures haberet ciues: in ijs autem, multitudinem ait ciuium ad bellum non multum cōferre: quòd pauci ad bellum apti, tantum efficiant, quantũ inepti multi, id quod hoc argumento probatur. Artem unam unus exercere tantum rectè potest: ratio autem bellica ars est: ergo ad unum hominum genus pertinet tantum, à quo possit exerceri: quapropter nihil ad belli usum refert, pauci ne, an multi ciues in urbe sint. Simul aggrederetur agricola.) Colligit ea exempla, quibus docuit, unam artē ab uno rectè coli, non à multis, aut ab uno mul

tas. Aut uerò parū quid intersit.) Cum docuerit, uniam artem ab uno solum commodè exerceri posse: bellicam nunc rationem & artem difficilem ait esse, eamq; à paucioribus administrandam. Nonne quanto maius custodiæ.) Concludit, custodes ciuitatis esse debere paucos illos, qui bellicam rationem administrent, quando ea sit à paucis colenda. Nostrum igitur erit officium.) Ab hoc loco usque ad librum quartū, quæ de urbis institutione traduntur, digressione quadam dicantur, occasione sumpta describendæ nunc ciuitatis obiter, & adumbratæ, ut ea ciuitas postea ostendatur: id quod à Platone ipso eo in loco significatur apertè. Existimas' ne differre naturam?) Quales esse custodes debeant, similitudine quadā canis ostendit eleganter: quod animal hoc sagacissimum, & uigilantissimum sit. An non animaduertis inexpugnabile?) Fortitudini iracundiam adiungit, tāquam eius sedem, ut Arist. item libro 4. Ethic. Comparat autem hic ciuitatis custodes cū irascibili animi parte, quod hæc uelut robur uiresq; illius omnes contineat. Verumtamen erga suos.) Duas hic fortitudinis partes proponit cum Aristotele, mansuetudinem, & acrimoniam: alterā ad excitandam animi uim, alteram ad mitigandam, cum res ita poscat. Comparatione digressi.) Scilicet iuuenis cum cane. In eo custode, cum quo nostrū) id est, Cum cane domus alicuius custode, nostræ ciuitatis custodem comparauimus. Talem uidelicet esse.) id est, & mansuetum, & minime asperam, ac difficilem. Si nihil mali ab eo sit.) Canis ingenium in notis, ignotisq; internoscendis, adscribit philosophi officio, qui ciuitatem sit temperaturus. Philosophus igitur, & iracundus.) Philosophum sciendi studiosum esse ait, ut à Pythagora dictum citat M. Tullius lib. 1. Tusc. Huiusmodi autem philosophum debere inquit esse ciuitatis custodem, non deditum cōtemplationi solum, cum ea sint ab eo præcipuè discenda, quæ ad ciuitatem pertineant. Talis utiq; custos sit.) Hactenus ciuitatis custodis officium descripsit: quem robustum, fortem, diligentem, mitem, doctum in suis & alienis dignoscēdis, philosophum denique esse uult. Atq; hæc consideratio nunquid.) Hinc docere incipit, quemadmodum à prima infantia educandi ciuitatis custodes sint. In fabulis otium agentes) Transitio ad docendū, quemadmodū fabulis sit utendū: quandoquidē ea res pueris primū traditur, uel Quintiliano autore. Quæ igitur erit disciplina?) Artiū diuersarū enumeratione, qua nam earū imbuēdi custodes sint, quærit. Orationis aūt species duæ.) Musicam orationem, id est, concentu quodam harmonico factam, tanquam genus constituit. Huius duas facit formas: unam ueram, id est orationem rhetoricam. siue cantiones ueris de rebus: alteram falsam, id est poesim. Erudiendus utiq; in utraque.) Poesim, siue fabulosam orationem custodi ciuitatis primum ediscendam, uel Quintiliani testimonio, idem oratori suo præcipientis, constat. Nihil enim puerili ingenio magis congruit, quàm poesis: ideoq; musica in eorū institutione ab Aristotele lib. 8. Polit. & à Platone in Legibus traditur. Veridica iudicentur.) Veridica quædam ait in fabulis esse, quod eæ plerumque aliqua ex re uera ortum habuerint, id quod in Phædone dicitur ab eodem latius. Hoc ergo uolebā, cum dicerem) Cum hactenus qualis esset ciuitatis custos, dixerit: nunc præcepta singula ad eius institutionem pertinētia persequitur. quorum primum est, de pietate in Deum: cuius caput est, de Deo benè sentire, audireq; nō fabulas, aut mendacia, turpia præsertim, sed ueros sermones, & honestos. Fabulis multo magis informētur.) Maioribus hæ fabulæ de dijs tradēdæ sunt, quàm aliud quicquam, ne & falsa & turpia doceantur pueri, maneantq; illa perpetuo quæ tenera ætate quis comprehenderit. Ex his uerò, quas nūc) Cum doceat, quis fabularum sit delectus, unam ait omnium esse formā, tam maiorum quàm minorum fabularum, quādo ex maioribus intelligatur, quales minores sint: quæ autem sint maiores minoresq; fabulæ, quales' ue, ipsemet explicat Socrates. Neq; iuueni audiendū dicendum.) Propterea quòd prauo exemplo sunt, turpes fabulæ damnari debent: et cum omnibus, tum pueris prohiberi. Hic diuersa genera fabellarum commemorantur: ut quantum ea incommodi afferant lecta, audita ue, ostendat. Verùm si quis interroget hæc) Quales demū fabulæ sint pueris proponēdæ, docere incipit, quādo suprà nō omnes tradi oportere retulit. Tales quædā, qualis ipse Deus.) Pleræq; fabulæ falsa de dijs confingunt, id quod puerorū animos impietate sæpe imbuit: ergo nihil de Deo fingendum est, nullæq; de eo fabulæ admittendæ, quæ non illius probitatem prædicent: cum idem bonus autorq; boni sit. Multo enim bona sunt nobis pauciora quàm mala.) Cum boni autor Deus esse dicatur, occurrit tacitæ obiectioni Plato. Quid si dicatur, multa esse mala, bona uerò pauca? Respondet, omniū quidem bonorū Deum esse autorē, quādo illius bonitate omnia bona sint: malorum uerò, nos ipsos. Hic nascitur quæstio: Num Deus mali alicuius autor sit, uec ne' quam Plotinus, & Plato in Timæo, alijq; studiosè pertractāt. Hi enim nullius mali causam Deo adserebunt, cum malum sit corruptio, et non ens: idemq; ex materia rei nascatur, nō ex causa efficienti, quæ rei potius essentiam, quàm carentiam illius dat. Neq; uerò est admittendū, Ionē nobis, &c.) Postquā docuit, Deum boni autorem, non autem mali esse, nunc id ad quæstionem propositam de fabularum delectu accōmodat: id est, docet, Deo, siue Ioui, nullum commentum turpe adscribendum: quippe cum idem bonus sit. Pœnis egere, easq; soluentes adrò iuuari) In eo ipso, quòd quis puniatur, beneficio afficitur: quoniam criminis quasi labe purgatur, ut à Socrate in Gorgia, et in Legibus docetur. Hæc itaq; una sit lex.) Conclusio superioris argumenti, quod ad pietatem, qua sunt imbuendi custodes, pertinet. Quid

autem

autem hæc secunda.) Addit aliam rationem eodem pertinentem id est, docentem, de Deo nihil fabul. sunt esse fingendum, cum is immutabilis sit. Non ne necesse est, si quid ab specie sua.) Axioma ad sequenté argumenti formam huiusmodi, quod é sua forma mutatur, uel à seipso, uel ab alio mutatur siquidem omnia uel interno, uel externo principio corrumpuntur, aut conseruantur. Haudquaquam quæ optimè. Superius axioma accommodans ad rem, de qua disserit, Deum immutabilem esse docet ut cõcludat, nihil fabulosum & caducum illi adscribendum, cum id ei non congruat. Quicquid igitur bene se habet) Bene se habere, est, constans & perpetuum esse. Conclusio superioris argumẽti talis est. Quæcunque mutantur, uel à se, uel ab alijs mutantur: res autem stabilis non mutatur. ergo nec à se, nec ab alijs. Argumentum a diuisione sumitur. At uerò Deus ipse & quæ Dei sunt) Superius argumentum Deo accommodatur, ut doceat, eum tanquam immutabilem nõ suscipere formas diuersas, ideoq; nec fabellas de illo fingendas. Credis ne tu, sua sponte aliquẽ.) Alludit ad id, quod in Timæo, ac lib. 5 de Legib. dicitur, neminem sponte malum esse: qua de re nos alias plura retulimus. Deos hospitibus similes.) Nam hospites uagantur, nec usquam manent. adeo inconstantes, & diuersas personas induentes, hospites cuiusq; rei dicũtur. Deos quosdam nocte uagari.) Ad Larvas hoc pertinet, quæ noctu fingũtur uagari, terroremq; incutere. Quid uerò, mentiri ne Deus uult? Aliud argumentum, quo probatur, fabulas de dijs non fingendas esse: quòd Deus uerax sit, nihilq; fingi de se uelit, præsertim cum per se turpe sit mendacium, nemoq; illud sponte sequatur. Quod ipsa anima circa res ipsas) Siquidem mens fallitur nunquam in rebus sibi subiectis, aut planè nõ intelligit. Nam ut Peripatetici docent, intellectus habet pro obiecto proprio ipsum ens: in hoc autem noscendo nunquam errat. si quando autem errat, id fit ex eo, quòd addit, subtrahit ue illi aliqua, quæ ipsi non congruant. Quod est in sermone mendacium.) Mendacij turpitudinem à paribus ostendit. nam mendacium in oratione, simile est mentis mendacio, seu errori, qui longè est turpißimus, itemq; odiosißimus. Tunc porrò auertendi gratia) Sumpta occasione à fabularum usu, & mendacio in fabulis expresso obiter etiam docet, quatenus mendacio uti liceat. sed id breuiter, cum suo loco id latius sit explicandũ. Secundum ergo quid istorum.) Quæ de mendacio sunt dicta, Deo accommodantur, ut eum esse mendacem neget, ac proinde fabellas nõ esse ipsi ascribendas. Quare & simplex omnino Deus.) Deum non modò mendacem non esse ait, sed ne mendaces quidem ferre, quippe qui decipi à nullo poßit. Ex quibus omnibus concludit, nullam de Deo fabulam fingendam: ideoq; fabulas de dijs custodibus futuris prohibendas. Deorum, dæmonumq; natura.) Quatuor esse deorum genera, Plato in Timæo inquit: é quibus, dæmonis quidem omnes bonos putauit: posteriores uerò Platonici, ut Porphyrius, Psellus, ac cæteri, eosdem tum bonos, tum malos esse arbitrantur. Quam etiam sententiam Augustinus, in libris de Ciuitate Dei, illis attribuit. Secundam esse figuram.) τύπον δεύτερον, id est, formam secundam quasi dicat, Vides'ne, quid secundo loco de poetis, eorumq; fabulis dictum sit? nam primò de fabulis, secundò de sermonibus Deo ascribendis retulimus. Atq; diuini, quoad homini.) id est, tales à pueris futuri sunt ciues, ut optimè instituantur custodes ciuitatis.

ARGVMENTVM IN LIB. III. PLATONIS de Republica.

CVm libro superiori custodum ciuitatis institutionem Plato auspicaretur, de religione eorundem, tanquam iusticiæ fundamento, egit. Nunc autem, siquidem hanc institutionem non ex professo, sed obiter, ut ciuitatis iusticia describatur, affert hoc loco: de fortitudine eorundem, temperantia, cæterisq; artibus ad perfectionem iusticiæ pertinentibus disserit. Quapropter cum ad fortitudinem pertineat, animos nõ emolliri prauis opinionibus, commenta mollia poetarũ damnat. Idem in descriptione temperantiæ facit, cum poetas ciuitate sua pellit, quòd intemperantes ac effœminatos homines reddant. Quoniam uerò temperantiæ est, nõ modò nimias uoluptates uitare, sed ijs etiam aliquando mediocriter uti: de musica item, atque gymnastica disserit, ostendens quantam uim artes duæ illæ habeant ad animum custodis roborandum ac moderandũ. Quo in loco, musicæ, atq; instrumentorum institutioni huiusmodi aptorum genera describuntur: tum gymnasticæ formæ, medicinæ, ac uictus ratio perscribitur. Proposita hoc modo breuiter custodum ciuitatis institutione puerili, ad eiusdem iudices ac magistros describendos progreditur. dein totius ciuitatis in unum iam congregatæ, rectéq; formatæ descriptionem breuem subijcit, ut hoc modo, quemadmodum dixi, iusticia Reipub. inuestigetur, proposita eiusdem tanquam materia.

tur unusquisque & dicere, & inducere Deum nō omnium causam, sed bonorum. Sufficit. Quid autem hæc secūda? Num existimas præstigiatorem esse Deum, & tanquā ex insidijs aliàs alia sub specie apparere? & aliàs quidē in multas formas speciem suam mutantem, aliumq; effectum: aliàs autē nos decipientem, uanasq; de se nobis imagines offerentem? uel simplicem potius, minimeq; omnium sua ex specie discedentem. Nescio quid in præsentia de his dicam. Quid autem hoc? Nonne necesse est, si quid à specie sua discedat, uel ipsum à se mutari, uel ab alio? Necesse. Haudquaquam ab alio quæ optimè se habent, mutantur atque uertuntur: quemadmodū corpus à cibis, & poculis, & laboribus, & plantaria omnia ab æstu tempestatibusq; uentorum, & huiusmodi passionibus: ubi quod integerrimū est, & robustissimum, minimè permutatur. Ita certè. Nonne animū quoq; fortissimū & sapientissimū externa perturbatio minimè permutaret? Sanè. Quinetiā cōposita omnia uasa, ædificia, uestimēta eadē ratione bene cōstructa, ac bene se habētia, minimè uel tēpore, uel passionib. alijs immutantur. Est, ut dicis. Quicquid igitur bene se habet, uel natura, uel arte, uel utrisq;, minimū permutationem ab alio suscipit. Videtur. At uerò Deus ipse, & quæ Dei sunt, omni ex parte quàm optimè sese habent. Quid ni? Hac igitur ratione minimè formas plures Deus susciperet. Minimè. Nunquid autem se in se uerteret, mutaretq; Deus? Manifestum hoc est, siquidem mutaretur. Vtrum igitur in melius & pulchrius, uel in peius ac turpius? Necesse est in peius, si modò mutatur. Non enim indigum pulchritudinis & uirtutis esse Deum dicimus. Rectè nimiū loqueris. Verùm cum hæc ita se habeant, credis ne tu sua sponte aliquem, siue Deum, siue hominem, deteriorem se facere? Impossibile certè istud. Impossibile igitur, Deum mutare se uelle. Sed ut uidetur, pulcherrimus optimusq; cum sit deorum quisq;, quoad fieri potest, omnes sua in forma sempiterna & simplici perseuerant. Necessariū esse omnino hoc arbitror. Nullus igitur poetarum nobis, ô uir optime, dicat, deos hospitibus similes, uarijs in formis urbes adire. Neq; aliquis de Protheo & Thetide similima mentiatur. Neq; in tragœdijs, aut alijs poematis inducat Iunonem, in sacerdotis speciem permutatā, Inachi Argiui fluminis filijs uita donatis munera colligentem: cætera'que talia nemo audeat fingere. Neq; matres uanis his fabulis pueros terreant, deos quosdam nocte uagari, peregrinis quibusdam uarijs sub formis persimiles: ne simul & in deos malè dicant, & ipsos pueros timidiores reddāt. Nullo modo. At uerò nunquid dij ipsi immutabiles sunt, sed quibusdā præstigijs nos decipientes, uarias in formas mutari uidētur? Forsitan ita. Quid uerò, mentiri ne Deus uult, aut uerbis aut re falsam obiectans imaginem? Nescio istud. An nescis, quod ipsum reuera mendaciū, si modò dici id potest, omnes homines dijq; oderunt? Quid istud ais? Sic inquā. Nullus enim sponte uult ipso quodam sui præcipuo præstantissimoq;, & circa res præcipuas præstātissimasq; mentiri, sed summopere illud sibi mendaciū timet. Neq; nunc etiam intelligo. Putas me magnum aliquid dicere. Ego autem dico, quod ipsa anima circa res ipsas mētiri, & mentitum esse, & inscitia falli, atque in ea habere accepisseq; mendacium, nullus unquam eligeret. Mendaciū quippe habere in animo, summopere omnes oderunt. Summopere. Atqui rectè, quod modò dicebā, hoc reuera mendacium uocaretur, in animo mentientis inscitia. Quoniā quod est in sermone mendacium, imitatio quædam est passionis eius quæ est in animo, & posterius procedens simulacrum, haud omnino purū mendaciū. Nonne ita? Ita prorsus. Ipsum itaq; reuera mendacium nō solùm dijs, sed hominibus etiam est odiosum. Mihi quidem uidetur. Quid autem ipsum in uerbis mendaciū, quandò nam, &

AEC igitur sunt, ut mihi uidetur, quæ de dijs audienda, aut nō audienda sint, ab ipsa statim pueritia, his qui deos & parentes honoraturi sunt, cōmunemq; amicitiam non paruifacturi. Existimo, inquit Adimantus, nobis sic rectè uideri. Quid autē his qui fortes futuri sunt? nónne ea dicenda, quæ ipsos mortem minimè metuentes reddant? an putas aliquem fortem esse unquam, qui hāc timeat? Minimè per Iouem, inquit. Sed & qui ea quæ de inferis dicuntur credat, & terribilia esse existimet, putas'ne eum intrepidum ad mortem futurum, in ipsaq; pugna mortem seruituti & captiuitati præpositurum? Nequaquam. Oportet itaq; nos, ut uidetur, præcepta dare etiam his, qui de his rebus fabulantur, precariq; ne ita simpliciter quæ apud inferos sunt uituperent, sed magis laudent: tanquam neq; uera dicant, neq; utilia his qui pugnaces futuri sunt. Oportet sanè. Delebimus igitur eiusmodi omnia, ab hoc uersu sumentes exordium: Mallem equidem in re rustica conseruo inopi seruire, quàm defunctis omnibus imperare. Et illud: Domus profectò mortalibus immortalibusq; horribilis, uasta, fœtensq; uideatur, quam etiam dij odio habēt. & illud: O miseri, nūquid nam apud inferos anima atq; imago? At uerò mens adest nulla. & illud: Soli sapiunt, cæteri umbræ uolitant. Item: Anima soluta membris ad inferos uolat, suam deplorans calamitatem, cum & fortem & teneram ætatem reliquerit. Item. Anima sub terras ueluti fumus, eiulans abijt. Item: Quemadmodum noctuæ uasto sub antro ululantes uolāt, postquam aliquæ de ordine ceciderunt ex petra in qua cohęrebāt, sic illæ simul stridentes ibant. Hæc utique & cætera talia, bona Homeri et reliquorum poetarū uenia abijciamus: non quia poetica nō sint, & apud multos auditu iucunda: sed quoniā quanto magis poetica sunt, tanto minus audienda pueris atq; uiris quos liberos fore oportet, seruitutem magis quam mortem timentes. Sic est omnino. Nónne insuper nomina quę his imposita sunt, horrēda terribiliaq; abijcienda sunt? Cocytos inquam, & Stygā, & inferos mortuos, aliaq; eiusdem generis nomina. Terrent uehementer quippe omnes quicunq; audiunt, ac fortè ad aliud quippiā conferunt. Nos autem custodibus nostris ab huiusmodi nominibus ualde metuimus, ne ex hoc pauore molliores quàm decet reddantur. Et meritò formidamus. Auferenda sunt igitur. Auferenda. Forma uerò his cōtraria dicenda, & inducenda est. Videlicet. Ergo lamentationes cōmiserationesq; magnorum uirorū auferimus. Necesse est, si quidē superiora sublata sint. Contēplare igit, rectè ne an contrà id faciamus. Dicimús ne moderatū uirū, moderato uiro amico suo orbatū, non malum quid illi mortem existimaturū? Dicimus quidē. Nō igitur in morte illius tanquam grauia passus lamentabitur. Non. Enimuero & hoc asserimus, hominem huiusmodi se ipso ad bene uiuendum contentum esse, minimeq; omnium alio indigere. Vera narras. Minimè igit molestè feret liberis, aut fratribus, aut diuitijs, reliquisq; huiusmodi priuari. Minimè certè. Itaque neq; lamentabitur, sed moderatissimè feret, cum in aliquam huiusmodi fortē inciderit. Certè. Meritò igitur clarorum uirorum ploratus è medio tolleremus, relinqueremus autem mulieribus: neq; his quidem inter mulieres aliquid egregiū sapientibus, ac uiris nisi per duntaxat muliebribus & ignauis, ut dedignentur apud nos illi quos ad regionis custodiam educamus, similia istis facere. Probè. Rursus Homerum, & cæteros poetas orabimus, ne Achillem deæ filium nunc in latus cubantem faciat, nunc supinum, nōnunquam etiam in faciem: aut exurgētem

errare

errare tristitia affectum in littore maris: aut utraq; manu ardentem puluerem capientem in caput funderem: neq; alia eiulantem & lamentantem, quot et qualia ipse facit. Neq; Priamum, qui iuxta Deos fuit, supplicantem, & luto se prouoluentem, singulosq; nominatim clamantem. Multoq; magis Homerum eundem orabimus, ne Deos in hunc modum plangentes inducat, Hei mihi miseræ, Hei mihi quàm infeliciter optimum filium peperi. Quod si quos Deos, saltem non deorum maximum usq; adeò dissimili figura imitari audeat, ut eum ita inducat dicentem: Heu quàm charũ mihi uirum circa urbem meis oculis profligatum cerno. Vnde mihi cor mœret. Atq; item: O me miserum, quandoquidem dilectissimum mihi omniũ Sarpedonem fatum cogit à Patroclo Menetiade domari. Si enim, ô amice Adimante, studiose iuuenes hæc audirent, neq; ridicula putarent tanquam præter dignitatem dicta, nunquam, cum se homines esse scirent, aut illa se indigna existimarent, aut se continerent, cum quid illis eiuscemodi uel dicendum, uel faciendum in mentem ueniret. Quinimò sine ullo uel pudore, uel tolerãtia, in minimis etiam quibusq; iacturis in maximos ploratus eiulatusq; erumperent. Vera nimium loqueris. Neq; uerò id decet, ut ratio nobis paulo antè dictabat: cui nisi quid melius interim nacti fuerimus, credendum est. Non decet profectò. Sed neq; in risum nimium profusos nos esse oportet. Nam effusum risum uehemẽs mutatio sequitur. Ita mihi quoque uidetur. Non igitur admittendum est, quãdo quis summæ autoritatis uiros in risum solutos inducit: & multo minus, quando Deos. Multo certè minus. Ergo neque Homerum audiemus, cum dicit: Inextinguibilis risus dijs concitatus est, dum Vulcanum per domũ properantẽ uiderẽt, utpote qui claudus esset. Haud enim admittendum est hoc secundum tuum sermonem. Si meum uis sermonem hunc ponere, nequaquam admittere decet. Quinetiam pluris facienda ueritas est. Si enim rectè paulo antè dicebamus, dijs inutile est mẽdacium, hominibus autem pro medicamento est utile, quare publicis medicis concedendum, priuatis autem hominibus minimè attingendum. Patet. Igitur rempublicam administrantibus præcipuè, si quibus alijs, mentiri licet, uel hostium, uel ciuium causa, ad communem ciuitatis utilitatem: reliquis autem à mendacio abstinendum est. Sed aduersus huiusmodi principes priuatim mentiri, maius peccatum est, quàm ægrotũ mentiri erga medicum, uel se exercẽtem erga ludi magistrum circa sui corporis uitia, uel erga nauis gubernatorem de naue & nautis minimè uera dicere, quemadmodum uel sua cuique, uel sociorum sese res habeat. Vera narras. Si quem ergo deprehenderis alium in ciuitate mentiẽtem, ex eorũ genere qui artifices sunt, uatem uidelicet, uel morborum medicum, uel lignarium fabrum, eum puniro, tanquam rem quandam inferentem, ex qua ciuitatis ipsius ueluti nauis submersio & pernicies sequitur. Sic planè agendum: siquidem sermone opera peragunt. Quid præterea? nónne temperantia nostris adolescẽtibus opus erit? Absq; dubio. Temperantiæ autem nónne hæc talia quoad subditos maxima sunt, ut uidelicet obtemperent magistratibus: quo ad ipsos autem principes, ut ad uenereorum, epularumq;, & compotationum usum continentes sint? Mihi sanè uidetur. Hæc itaque talia bene dicta asseuerabimus, qualia apud Homerũ Diomedes ait: Eia age, silentio confide, ac meis uerbis obtempera. & alia his similia: Ibant, robur spirantes Achiui silentio duces timẽtes. Et alia quæcunq; in hanc sententiam dicuntur. Probè. Quid autem hæc? Vinolente, canis oculos habens, cor autẽ ceruí: & cætera quæ sequuntur, nunquid rectè? & alia huiuscemodi ipsorũ priuatorum in superiores superbè dicta, siue quis soluta in oratione, siue poemate inferat, an rectè dicuntur? Nequaquam. Non enim existimo ad iu

uenum temperantiam hæc, ut audiantur, cõferre: nihil autem mirum, si quo modo delectent. Vel quomodo tibi uidetur? Ita. Quid autem? uidetúr ne tibi idoneũ esse hoc iuueni ad continentiam consequendam, si quando audierit uirum sapientissimum apud poetam ita loquẽtem, Pulcherrimum omnium esse mihi uidetur, cum plenę sunt mensæ dapibus carnibusq́;. Vinũ autem è cratere hauriens pincerna poculis infundit atq; circumfert? Vel illud, Miserrimũ esse fame perire, & sortem subire aduersam? Siue cum dicitur, Iouem cæteris tum dijs, tum hominibus dormientibus omnium quæ uigilando tractauerat coitus cupiditate oblitũ, & usqueadeò libidine & amore Iunonis perculsum esse, ut nec cubile ipsum ascendere sustinuerit, sed ibidem humi cõgredi statim uoluerit, dicens, uehemẽtiori se cupidine inflammari, quàm olim cũ primùm clàm parentibus inuicem congressi fuerunt? Siue cum narraĩ, quemadmodũ Vulcanus Martem ac Venerem coeuntes reti comprehendit? Non per Iouem mihi uidetur idoneum. Verùm sicubi modestè, & cõstanter uirorum excellentium facta uel dicta narrantur, animaduertẽda & audienda hęc sunt. Veluti cum dicitur: Pectus percutiẽs increpuit dicẽs, Perpetere ô cor, nam longe aliâs grauiora tulisti. Omnino sic est agendum. Neq; etiam muneribus corrumpi ipsos ciues permittendum est, neq; auaros esse. Nullo pacto. Non ipsis igitur canendũ, Munera (crede mihi) placant hominesq́; deosq́;. Neq; laudandus Phœnix Achillis præceptor, quasi probè locutus fuerit, dum consuleret ipsi, munera accipienti Achiuis auxiliũ ferre: non accipienti uerò, ab ira nequaquam recedere. Neq; rursus Achillem ipsum dignum existimabimus, cõsentiemusq́; adeò pecunię cupidum esse debere, ut ab Agamẽnone recipiat munera, atq; ut Hectoris cadauer sine precio reddere nolit. Certè talia laudare non decet, inquit. Vereor equidẽ, inquam ego, propter Homerum dicere: neme non esse fas hęc de Achille asseruisse, alijs' ue asserentibus credere. Et eundem rursus aduersus Apollinem dixisse, Perdidisti me Apollo deorum perniciosissime omnium, quem certè ulciscerer, si mihi potestas esset. Itẽ ad fluuium Deum quàm peruicaciter se habuerit, etiam pugnare paratus. Rursus alteri flumini Sperchio sacratis comis, Patroclo (inquit) heroi, mortuo iam, comã ferendam dabo. Nec credẽdum est hoc illum egisse. Tractus autẽ Hectoris circa Patrocli sepulchrum, & iugulationes captiuorũ supra rogũ, cunctaq; huiusmodi, neque uera esse affirmabimus: neq; sinemus nostris persuaderi, quòd Achilles deę filius, & Pelei, temperatissimi uiri, & ab Ioue tertij, à Chirone sapientissimo educatus, tanta perturbatiõe agitatus sit, ut duobus contrarijs morbis animi laborauerit, illiberalitate cũ auaritia, atq; item deorum hominumq́; cõtemptu. Rectè admodum loqueris. Rursus neq; hæc credamus, neq; dici sinamus, Theseum Neptuni filium, & Pirithoum filiũ Iouis, in rapinas adeò maximas irruisse: neq; alterius Dei filium, siue heroem, ausum esse unquam tam grauia impiaq́; patrare, qualia de his quotidie mentiuntur. Verùm poetas ipsos cogamus uel negare, horum hæc esse opera, uel nõ affirmare filios deorum esse: ambo uerò hæc simul nequaquam asserere: neq; operam dare, ut nostris iuuenibus persuadeant, quòd ex dijs mala aliqua oriantur, quod' ue heroes hominibus nihilo meliores sint. Quoniam, ut iam dictũ est, neq; sancta hęc sunt, neq; uera. Ostendimus enim, ex dijs mala aliqua prouenire non posse. Ostendimus planè. Quinetiam audientibus hęc nocent. Omnes quippe prauitati suæ ignoscent, persuasi talia quædam facere, fecisseq́;, & illos qui proximè ex deorum genere nati sunt, de quibus illud dicitur: Dijs proximè nati, Ioui propinqui, quorum circa Idæum uerticem Iouis patrij ara extat in æthere: &, Neque dum ipsis euanuit sanguis deorum. Quamobrem fabulę huiusmodi recipiendę nõ sunt,

nesa-

ne facilem occasionem ad nequitiam nostris adolescentibus præbeant. Sic prorsus agendum. Quę deinceps reliqua nobis species est sermonum, differētibus quales cuique narrandi, uel non narrandi sint? De dijs enim, quēadmodum loqui decet, est dictum. Itemq; de ipsis dæmonibus & heroibus, & his quæ sunt apud inferos. Satis abundè. An esset fortasse reliquū, ut de hominibus diceremus? Certè. Impossibile istud in præsentia, ô amice, disponere. Cur nam? Quoniam existimo nos dicturos, poetas oratoresq; de hominibus circa ea quę maximi momēti sunt, malè dicere, cum scribunt, Iniustos quidem multos felices esse, iustos autē infelices: conducereq; iniustè agere, si clam. Ipsam uerò iusticiam alienum bonum esse, iacturā uerò propriam. Hæc inquā & cætera huiusmodi nos uetaturos esse ne dicant, contraria uerò ut canant & fabulis inserant mādaturos esse puto. nunquid? Certè non. Nónne igitur, si confitearis, rectè me dicere: dicam te cōcessisse, quæ iam diu quærimus? Rectè, inquit, prorsus accepisti. Nónne & de hominibus, quòd talibus oporteat sermonibus uti, tunc concedemus, cum qualis iusticia sit inuenerimus? & q; natura ipsa prosit habenti, seu uideatur esse iustus, siue non uideatur? Vera loqueris. De his ergo quæ dicenda sunt, quæ ue non, satis est disputatum: deinceps de discendi ratione, ut arbitror, est differendum: atq; ita nobis, & quæ, & quomodo discenda sint, compertum erit. Quid dicas, inquit Adimantus, non satis intelligo. Oportet tamen id te intelligere, atq; ita fortasse clarius hoc intelliges. An non quęcunque à poetis uel fictoribus fabularum dicuntur, narrationē esse dicimus uel præteritorum, uel præsentium, uel futurorum? Quid enim aliud? inquit. Num ergo uel simplici narratione, uel per imitationem facta, uel etiam utroque modo narrant? Clarius hoc quoque exponi requiro. Ridiculus equidem præceptor, & in primis obscurus uideor. Quemadmodū igitur, qui dicendo parum ualent, efficere solēt: ita ego nūc, nō uniuersum ipsum, sed partem aliquam sumens, in ea tibi quod uolo, conabor ostendere. Et primùm mihi dicito, nostin' Iliados principia, in quibus ait poeta Chrysem Agamēnoni supplicasse, ut sibi filiam restitueret, Agamemnonem uerò turbato animo denegasse? Quod, postquam non impetrauit, imploratū ipsi contra Achiuos Deum? Equidē. Et illud, credo, nosti, quòd usq; ad hos uersus, Precatus est omnes Achiuos, in primis Atrei filios, gentium duces: ipse poeta loquit̃, neque tentat aliò mentem nostram cōuertere, tanquam alius quàm ipse loquat̃. Deinceps uerò ita loquitur, ac si Chryses ipse sit: conaturq; nō Homerum se nobis, sed sacerdotem illum senem ostendere. In cæterisq; ita semper exponit, tum reb. gestis apud Ilium, tum apud Ithacam, in Odyssea cantatis. Sic est omnino. Nónne igitur narratio est, & quādo orationes continuas affert, & quando ea quę inter ipsas intercedunt? Quî ni? Verùm cum orationē profert tanquam alius quidam sit, nónne tunc dícemus orationem suam ei quàm simillimam reddere, quem loquentem introduxerat? Quid ni dicamus? An non alteri se similem reddere uel figura, uel uoce, est eum imitari, cui facit se similē? Proculdubio. In hoc igitur, ut uidet̃, & ipse, & reliqui poetæ per imitationem narrant. Assentior. Vbi autem se non celat poeta, uniuersa illa poesis & narratio sine imitatione est. Ne autem dícas, te neq; hoc quidē intelligere, quomodo fiat, ego dicam. Si enim Homerus, cū dixisset, Chrysem uenisse filiam redempturū, & supplicasse Achiuis, præcipueq; regibus, deinceps non tanquam Chryses, sed Homerus esset locutus: nosti profectò imitationem illam non fuisse futuram, sed simplicem narrationem. Sic uerò se res habuisset. Dicā enim sine uersu, cum non sim poeticus. Profectus sacerdos precabatur, ut dij eis darēt, qui incolumes ipsi Troiam caperent, sibiq; acceptis donis filiam restituerent, Deum Apol

linem

linem ueneriantes. Hæc cum dixisset, reliqui sacerdotis dicta probarunt. Agamemnō uerò nimium perturbatus, ipsum protinus abire iussit, ita ut ne rursus rediret. neque enim ipsi Dei uel coronam, uel sceptrum profutura: asseruitq́, priusquā ipsi filiam redderet, fore ut illa secum in Argo consenesceret. Quamobrem abiret, seq́ ut saluus abire posset, non irritaret. Quæ cum audisset senex, extimuit, tacitusq́ discessit. Castra autem egressus, supplex Apollinē, multa eius agnomina commemorās, orauit, si quid unq́ aut in ædificādis templis, aut hostijs litādis illi gratum fecisset, ut puniret Achiuos, easq́ lachrymas sagittis ulcisceretur. Hunc in modū, ô amice, simplex narratio sine imitatiōe ꝓcedit. Intelligo iam. Et illud præterea scito, cōtrariam huic esse, cum remotis poetæ uerbis quæ inter orationes intercedere solēt, orationes ipsæ uicissim continuatæ relinquunt. Id quoq́ intelligo. Est enim huiusmodi tragœdia atq́ comœdia. Rectè admodū accepisti, existimoq́ tibi iam nunc aperiri, quod in superioribus percipere nō ualebas: poesim uidelicet, fabularumq́ figmēta, aut esse omnino per imitationē, quemadmodum ipse dicebas, in tragœdia atq́ comœdia: aut per enunciationem poetę profeni, quod maximè in dithyrambis inspicitur: aut per utraq́ confici, ut in heroicis, alijs que multis apparet, si modò intelligis. Intelligo iam, quod tunc inferre uolebas. Atqui etiā ante hoc memēto, quod dicebamus, quę dicenda essent, iam expositū esse: quo autem modo dicendū esset, deinceps exponere oportere. Memini quidē.

Hoc igitur erat, quod oportere dicebam inter nos conuenire, utrum sinamus poetas imitatione perpetua uti, an partim imitari, partim minimè, & qualia utraq́ sint, an nihil penitus imitari. Auguror equidem, consideraturum te, utrum recipiēda sit comœdia & tragœdia in ciuitate, néc ne? Forasse autem & his plura. Nondū enim noui: sed quò ratio, ut uentus feret, eò eundū est. Præclarè loqueris. Hoc igitur ô Adimante cōsidera, utrum imitatores nos habere custodes oporteat, néc ne? Vel hoc ex superioribus pendeat, quòd singuli singula rectè conficere possunt, plura uerò minimè. quod si quis plura tractare aggrediatur, in singulis ita deficiet, ut in nullo euadat egregius. Sic prorsus accideret. Nónne & de imitatione eadem ratio, quòd plura aliquis æquè ac unū bene imitari nō potest? Non certè. Nunquam igitur studio alicui æstimatione digno quis simul incumbet, & imitabitur multa, erit ue imitator idoneus: quando neq́ duas quidem imitationes, quæ parum differre inter se uidentur, ijdem homines bene simul tractare possunt, ut comœdiam simul & tragœdiā. An nō imitationes quasdam pauloantè istas esse dicebas? Equidem. ac uera dicis, quòd ijdem nequeant. Neque etiam rhapsodi, id est cantores heroicorum simul esse, & histriones possunt. Vera. Sed neque tragœdis aut comœdis, tragici aut comici ijdem. Hæc autem omnia imitationes quædam sunt, an non? Imitationes. Quinetiam in minora his uidetur ô Adimante, natura hominis esse concisa, ut nullo modo possit bene plura imitari, uel etiam ea facere, quorū imitatiōes ipsæ similitudines quædam sunt. Est ut dicis. Si ergo rationem superiorem ratam haberi uolumus, custodes nostros à reliquis omnibus artificijs alienos patriæ libertatis artifices esse oportet ualde quidem solertes: neq́ aliud quicquam curare, quod huc non tendat: nihil aliud agere eos, uel imitari oportet: uel si imitentur, imitari quæ istis consentanea sint, statim à pueritia, fortes scilicet, temperatos, sanctos, liberales, & reliqua eiusmodi: illiberalia autem neq́ facere, neque imitari posse, neque aliud quicquā turpe, ne ex ipsa imitatione tales efficiantur, quale id quod æmulantur. An non animaduertisti, imitationes, si à teneris annis incipiāt, perseuerentq́, in mores & naturā abire, tum quantum spectat ad corpus, tum ad uocem, tum ad cogitationē ipsam?

Et maximè quidem. Non permittimus igitur ullo modo eos, quorum habere curam dicimus, quós ue præstantes uiros fore desideramus, cum uiri sint, mulierem imitari, puellam uetulámue, uel marito conuiciantem, uel cum dijs contendentẽ, exultantemq́; cum se felicẽ esse putet, uel quæ ærumnis circumuenta fleat atq; eiulet, doleat, amore accendatur, dolore partus opprimatur. Nullo modo. Neq; seruas & seruos, ea quæ seruorũ sunt facientes. Neq; hoc quidẽ. Neq; uiros item prauos, ut uidetur, timidos, & contraria eorũ quæ diximus facientes, cõuiciantes, iurgãtes, turpiáq; inuicem obloquẽtes, siue ebrios, siue uigiles sobriosq́; & alia quęcunq; homines isti & in uerbis, & in operibus, tũ in seipsos, tum in alios peccant. Neq; etiam debent, ut arbitror, similes per imitationẽ, uel uerbis, uel actionibus insanientibus reddere. Cognoscendi enim insani & mali sunt, tã uiri quàm mulieres: nihil tamen ex eorum dictis & factis, uel agendum est, uel imitandum. Verissima loqueris. Quid autem, artificés ne ex ære aliquid fabricantes, uel aliud quippiam molientes, uel remiges nauium, uel præcipientes istis, uel aliud aliquid circa hæc imitari eos decet? Quo nam pacto, cum neque rebus ullis huiusmodi mentẽ adhibere his liceat? Numquid equos hinnientes, uel mugientes tauros, aut fragorem immurmurationemq́; fluuiorum, aut maris fremitum, uel tonitrus, uel cætera eiusdem generis imitabuntur? Atqui prohibitũ illis est, aut insanire, aut insaniẽtibus se similes reddere. Si igitur, quæ dicis intelligo, est quædam orationis & narrationis species, in qua uir optimus, cum quid dicturus est, enarrat: & alia quædã huic dissimilis, quam seruat, qui cõtrà ac ille, natus atq; nutritus est. Quales uerò hæ sunt? Videtur mihi uir moderatus, quando in narratione deuenerit ad aliquam uiri boni uel orationẽ uel actionem, perinde ac si ipse ille esset pronunciaturus, & sine ullo rubore aut dedecore imitationem huiusmodi susceptururs: maximè quidẽ, & ut plurimum imitans uirum bonum, prudenter, & sine errore agentẽ: rarius autem ac minus, morbis uel amore labẽtem, aut ebrietate, aut casu quouis alio. Quãdo autem ad aliquem indignum se uenerit, nolet, ut arbitror, dedita opera similem se deteriori præbere, nisi breuiter quidẽ, & cum boni quicquã peragit: sed erubescet, cum rudis sit ad hos imitãdos, & ægrè feret deteriorũ formam induere, spernens imagines huiuscemodi, nisi fortè ioci oblectamentiq; causa id fecerit. Non iniuria. Nónne igitur narratione utetur tali, qualem paulo antè in uersibus Homeri dicebam? eritq; oratio ipsius particeps utriusque, imitationis uidelicet, & narrationis alterius? Exigua uerò pars imitationis lõga in oratione erit? Dicó ne aliquid, an nihil? Dicis certè, qualem necesse est esse rhetoris istius figuram. Nónne igitur, qui talis non erit, quo erit ineptior & indoctior, eo plura narrabit, & omnia imitabitur, nihil que se indignum esse existimabit? Quare omnia imitari aggredietur, & in cõspectu quidem multorũ, ea præsertim quæ paulo antè commemorabamus, tonitrus, murmura uentorum & grandinis, axis rotarum, tubarum, tibiarum, fistularum, & omnium deniq; organorum sonitus: præterea canum, pecudũ, & auium uoces. Eritq; huius oratio uniuersa penè per imitationẽ, uoce ac gestu, uel paulum quid narrationis habebit. Necessarium quoq; istud. Atq; hæ sunt orationis species duæ, quas suprà dicebã. Sunt planè. Nónne ipsarũ una quidem parũ quid mutationis habet? & si quis decẽtem consonantiam & rhythmum orationi tribuat, fermè ad eãdem orationis formam semper dicendũ est rectè loquẽti, atq; in una insuper consonantia? exiguæ nanq; mutationes, eodemq́; modo in rhythmo fermè consimili? Omnino sic se res habet. Quid autem alterius species? nónne contrarijs indiget, omnibus uidelicet consonantijs, omnibusq́; rhythmis, si propriè dicenda est, cum multas et uarias habeat mutationum

rationum formas? Sic est omnino. Nónne & poetę, & alij omnes qui aliquid dicunt, uel harum una dicendi figura utũtur, uel altera, uel utrisq; commixtis? Necesse est. Quid igitur faciemus? Vtrum has omnes in ciuitate suscipiemus, uel alteram simplicium, uel permixtã? Sì in mea optione constiterit, simplicem decori imitatricem. Atqui, ô Adimante, mixta quæq; iucũda est: multo autem iucundior pueris et pædagogis cõtraria illius, quam tu eligis, & plurimæ turbæ. Iucundissima prorsus. At fortè, ut arbitror, reipub. nostræ conuenire eam non existimabis, quoniã non sit duplex uir, neq; multiplex apud nos, quandoquidem singuli singula faciunt. Non conuenit certè. Nónne igitur sola in ciuitate huiusmodi coriarium inueniemus duntaxat coriarium esse non gubernatorem præterea? Et agricultorem duntaxat agricultorem, non in super iudicem? Militem quoq; militẽ, nõ etiam nummularium? cæterosq; eodem modo? Vera hæc sunt. Si quis ergo in nostrã urbem uenerit, qui animi sapiẽtia in omnes possit sese uertere formas, & omnia imitari, uolueritq; poemata sua ostentare, uenerabimur quidem ipsum, ut sacrum, admirabilem & iucundum: dicemus autem non esse eiusmodi hominem in Repub. nostra, neque fas esse ut insit, mittemusq; in aliam urbẽ, unguento caput eius perungentes, lanaq; coronantes. Nos autem austeriori, minusq; iucundo utemur poeta, fabularumq; fictore, utilitatis gratia, qui decori nobis rationẽ exprimat, & quæ dicũtur, dicat in his formulis, quas à principio pro legibus tulimus, quãdo milites erudire aggressi sumus. Ita prorsus, si esset in nobis, efficeremus. Videmur iã, ô amice, satis de ea musicæ parte dixisse, quę circa orationes fabulasq; uersãt. Nam & quæ dicenda sunt, & quomodo, exposuimus. Mihi quoq; idem uidetur. Restat de cantus & melodię ratione disserere. Certè. An nõ omnis iam inueniet, quæ nobis de his dicenda sunt, qualia esse oporteat, si quidem antedictis concinere debeamus? Tum Glauco arridens: Ego, inquit, extra omnes esse uideor. Non enim satis in præsentia possim conijcere, qualia dicenda sint. Opinamur tamen omnino, hoc primum nos posse dicere melodiam ex tribus cõstare, oratione, harmonia, rhythmo. Hoc equidem possum. Nónne melodiæ pars oratio nihilo differt ab oratione illa quę sine cantu est, quo ad hoc, ut oporteat, in eisdẽ formulis exprimi, de quibus paulo antè dicebamus, & eodẽ modo? Vera loqueris. Atqui harmonia & rhythmus orationẽ sequi debẽt. Quid ni? Quin etiam lamẽtatione luctuq; dicebamus in orationib. nos minimè indigere. Non certè. Quæ nam igiť quęrulę harmonię sunt? Dic mihi. Tu enim musicus es. Lydiæ mixtæ, Lydiæq; acutæ, cæteræq; huiusmodi. Nónne remouendę hæ sunt? Inutiles enim etiam mulieribus, bonis saltem, nedum uiris. Valde quidem. Præterea uinolẽtia, mollities, & pigritia custodes minimè decent. Minimè. Quæ nam igiť molles & temulentæ harmoniæ? Ionicæ & Lydiæ, quotcunq; relaxę remissæq; & resolutæ uocantur. His igitur, ô amice, num quoquo modo uteris ad militum utilitatẽ? Nullo modo. Sed uidetur iam tibi reliqua esse Dorica et Phrygia harmonia. Haud equidem, inquam, harmonias noui, sed eam relinque harmoniam, quæ ut decet, imitatur fortiter euntis in prælium, & ad quodlibet negotium uiolentum uiriliter se gerentis, uoces atq; accentus, & periclitantis, siue in uulnera, siue in mortem ruentis, siue in aliam grauẽ sortem incidentis, in omnibus istis fortunam constanter atq; uiriliter propulsantis. Aliamq; iterũ relinque harmoniam, quæ uoces imitať atq; accentus hominis in tranquilla, & minimè uiolenta actione uersantis, uel aliquid alicui persuadẽtis, uel supplicãtis, uel uotis Deo, uel doctrina & admonitione homini, uel econtrà hominis alij supplicanti, aut docenti, aut dissuadẽti facilem se præbentis: & qui licet uoti cõpos sit factus, non tamẽ superbia efferatur,

ratur, sed in his omnibus temperatè & modestè se gerat, fortemq; iniancq; rectè ferat: hasq; duas sequitur harmonias, uiolentam, uoluntariam, fortunatorum, infortunatorũ, temperantium ac fortium: & omnino quæcunque ipsorum accentus pulcherrimè imitantur, has omnes relinque harmonias. At uerò non alias eligi iubes, quàm eas quas ego suprà dicebam. Non igitur opus erit nobis in cantib. & melodijs harmonia, quæ multis cõstat chordis, omnibusq; cõcentibus. Non, ut mihi uidet. Ergo trigonorum, pactidarum, et quorumcunq; instrumentorum, quæ multis constant chordis, & plurimis consonantijs, fabros nõ nutriemus. Non, ut uidet. Quid autem? tibiarum fabros, & tibicines in ciuitate relinques? an non instrumenta multarum chordarum, harmoniarumq; omniũ, tibiam imitant? Patet, inquit ille. Lyra itaq; restat, & cithara in ciuitate utilis, & fistula in agris pastoribus cõmoda. Ita ratio nobis ostendit. Nihil alienum inducimus, ô amice, dum Apollinem ipsum, & Apollinis instrumẽta, Marsyæ ipsi, & organis quæ Marsyæ sunt, præponimus. Non per Iouem, ut mihi uidetur. Per canem ipsum, sensim & clanculum purgare cœpimus ciuitatem, quam suprà nimijs delicijs deditam dicebamus. Ipsi nos uidelicet tẽperatè agẽtes. Age, purgemus & reliqua. Sequitur ad ea quæ de harmonijs dicta sunt, ut rhythmos ita prosequamur, ne per uarios admodũ circũuagemur, neue per quoslibet motus: sed qui uitæ fortis & temperatæ rhythmi sunt, dignoscamus. Quibus cognitis, pedem cantumq; cogamus orationẽ huiusmodi uiti sequi, non orationem sequi pedem, & cantũ. Qui uerò sint rhythmi tales, tua interest declarare, quemadmodum harmonias exposuisti. Per Iouem, quid dicam non habeo. Quòd enim tres quædã species sunt, ex quibus motus isti texũtur atque plectunt, quemadmodũ in uocibus quatuor, unde omnes harmoniæ conficiuntur, animaduerteram, dicere possem. Quales autem qualis uitæ imitationes sint, aperire nequeo. At de his quidem cum Damone deliberabimus, qui'nam pedum motus propriè sint illiberalitatis, petulantiæ, insaniæ, ac reliquæ prauitatis, qui'ue rhythmi contrarijs congruant. Arbitror autem audiuisse, quamuis non satis apertè, cum ipse motum quendã pedum bellicosum nominaret, compositũ dactylum heroicumq;, quẽ nescio quomodo digerebat, supraq; infraq; æqualẽ, & in breuem longumq; euadentem: utq; existimo, iambum, & alium quendam trochæum appellabat. Longitudines autem et breuitates adhibuit. Et in aliquibus istorum arbitror eum uituperare uel laudare ductiones pedis, non minus quàm rhythmos ipsos, uel aliquid ex utrisq; commixtum. Neq; enim declarare satis hæc possum. Verùm hæc, ut dicebã, in Damonẽ ipsum reiecta dilataq; sint. Prolixa quippe oratione ad hæc distinguenda opus esset. Nunquid putas? Prolixa, per Iouem. Hoc autẽ ita discernere potes, quod cõcinnitas atq; ineptitudo congruitatem & incõgruitatem rhythmi sequũtur. Quidni? Atqui congruũ quidem pulchrã orationem sequitur, & tanquã simile imitatur: incõgruum uerò, cõtrariam. Quinetiã consonum ipsum, & dissonum, eodẽ modo: quandoquidem rhythmus & harmonia, ut paulo antè dictum fuit, orationem sequuntur, nõ ipsa oratio rhythmum & harmoniam sequitur. Certè orationem sequi hęc debent. Quid uerò loquendi modus, ipsaq; oratio? nónne animi affectionem sequitur? Absque dubio. Orationem uerò cætera quoque sequuntur? Nempe. Sermonis itaq; decor, consonantia, uenustas & rhythmi cõgruentia, affectionem animi moderatam sequuntur, quã εὐήθειαν appellant. Non eam dico, quam sæpe, cum inscitia quædam sit, blanda quadam derisione bonitatẽ nominamus, hoc nomine fatuitatem quandam significãtes: immò uerò eam εὐήθειαν inquam, quæ reuera cogitationem significat moribus optimis præditam. Sic

est omnino. Nonne igitur ubiq; hæc iuuenes sequi debent, si rem suam agere uolunt? Debent equidem. Est autem ars pingendi uniuersa huiusmodi plena, & omne huiusmodi artificium: plena quoq; texẽdi facultas, & uariorum ingeniositas operum, studiumq; ædificandi, omnis prætetea cæterorum supellectilium instrumentorumq; effectio: quin & corporum plantarumq; natura. Porrò in omnibus istis, aut condecentia quædam inest, aut indecentia. Et indecentiæ quidem & rhythmi inconcinnitas atq; dissonantia sermonis, turpis & improbi moris sorores sunt: contraria uerò contrarij, temperati & optimi germana, et imitationes quædã sunt. Est, ut dicis. Nunquid poetis solis insistẽdum, cogendumq; ut imaginẽ boni moris in suis poematis exprimant, uel apud nos non scribant? An prætetea curandum, ne artifices alij, mali moris simulachrum aliquod, non bene castigatum opus, illiberale, deforme, & indecens, siue in figuris animalium, siue in ædificijs, siue in quouis alio artificio faciant? Vel si quis hoc præstare nõ potest, ne quid apud nos agat prohibendus est, ne in prauitatis imaginibus nobis enutriti custodes tanquam noxio in gramine, & multa quotidie paulatim à multis decerpentes, pascẽtesq;, unũ aliquod maximũ malum ignari in animo contrahant? Quamobrem illi inquirendi sunt artifices, qui naturali quadam industria possint tanquam per uestigia exprimere pulchri ipsius decoriq; naturam, ut tanquam in loco salubri habitantes iuniores undiq; adiuuentur: quandoquidem à pulchris honestisq; operibus siue ad oculos, siue ad aures eorum honesti aliquid peruenit, ueluti suauis aura quædã à locis salubribus afferens sanitatem: quę quidem statim afflare à primis annis incipiens, sensim animos hominum in similitudinẽ, amicitiam & concordiã, honestæ orationi rationiq; conciliat. Egregiè admodũ isto pacto nutrientur. Ob hanc igitur causam, inquam ego, ô Glauco, ex ipsa principali secundũ musicam nutritione rhythmus & harmonia interiora animi penetrãt, pulsantq; uehementissimè animum, decoram quãdam figuram ferentia, per quam decorus & pulcher efficitur, quisquis rectè in musica eruditur: contra uerò, si cõtrà quis fuerit educatus. Et quoniam rursus deficientia, neque rectè fabricata, aut non bene orta acutissimè sentiet, qui illic, quemadmodum oportet, nutritus fuerit: meritò ægrè hæc ferens, pulchra quidẽ laudabit, eaq; amãs, aiudeq; accipiens, ipsis aletur, ac bonus inde efficietur & pulcher. Turpia uerò iure uituperabit, oderitq;, etiam in ea ætate in qua rationem nondum susceperit. Aduentantem deniq; rationem, qui ita nutritus erit, libenter amplectetur, eam ex ipsa propinquitate, familiaritateq; prorsus agnoscens. Mihi quoq; harum rerum gratia in musica nutriendi uidentur. Quemadmodum tunc profectò literas satis rectè callemus, quando elementa nos non fugiũt, pauca quidem in omnibus quibuscunque insunt, neq; in paruis, neq; in magnis ea spreuimus, tanquam non oporteret intelligere: sed ubiq; discernere illa proposuimus, utpote qui prius grammatici futuri non simus, quàm nos ita comparauerimus. Vera loqueris. Imagines præterea literarum sicubi uel in aquis, uel in speculis appareãt, non prius cognoscemus, quàm ipsas literas nouerimus. Est enĩ hoc artis & exercitationis eiusdẽ. Est, ut dicis, omnino. Quorsum hæc inquã? Nempe eadem ratione neq; musici prius erimus, uel nos, uel ipsi quos ad urbis custodiam erudimus, quàm temperãtiæ species, & fortitudinis, liberalitatis, & magnificentiæ, & quæcunq; harum sorores sunt, ipsisq; contraria cognouerimus, ubicunq; insint: ita ut & hæc, & ipsorum imagines quibuscũq; insunt, persentiamus: neq; in paruis, neque in magnis contempserimus, sed eiusdem esse putauerimus & artis & studij. Necesse est omnino. Si quo in homine hæc concurrant, ut in animo pulchri mores insint, & in corporis specie illis singula correspondeãt, consentiantq;

eandem

eandem suscipiētia rationem, pulcherrimum hoc erit ei qui inspicere posit, spectaculum. Valde quidem. Atqui quod maximè pulchrū, & amabile maximè. Prorsus. Tales quosdam homines maximè uir musicus adamaret: si quid uerò absonum aduerteret, minimè. Non certè si defectu animi dissonaret: si quid uerò dūtaxat deesset corpori, sufferret quidē adeò, ut diligere gratulariq; uelit. Intelligo equidem, quia tales quidam uel amantur abs te, uel amati iam sunt: atque assentior. Sed hoc mihi dicas: Est'ne ullum temperantiæ cum solutanimiaq; uoluptate commercium? Quó nam pacto? Quippe cum uoluptas huiusmodi nō minus quàm dolor, mentem è suo statu dimoueat. Alijs uerò uirtutibus? Minimè. Quid autem? petulantia intemperantiaq; habent cum excedente uoluptate communionem? Maximè omnium. Habés ne maiorē & uehemētiorem uoluptatem, quàm quæ circa uenerea? Neq; uehementiorem ullam habeo, neq; furiosiorē. Rectus autē amor ipsa sui natura temperatè & musicè amat pulchum atque decorum. Prorsus. Nihil ergo furiosum, uel intemperantiæ proprium, recto amori est admouendū. Non certè. Neq; igitur iungenda illi est uoluptas ipsa uenerea: neq; in ea communicare debēt amatores, cum legitimè dilectis adolescētibus, amātesq; cum amatis. Per Iouem nullo modo, ô Socrates. Sic igitur, ut uidetur, in ciuitate rectè instituta legem cōdes: amatorem amare, unà esse, & tangere amatum, si persuaserit, tanquam filium, honestorū causa: atq; in omnibus sic uersari cum eo quem amat, ut nihil unq; præter honestum uideatur ab adolescente requirere. Si contrà faciat, ignominiam subeat, tanquam qui nihil omnino sapiat musicum, pulchrúm ue. Sic prorsus. Nónne tibi uidetur finem suum iam sermo de musica consecutus? Quo enim finiri debet, iam applicuit. Oportet enim musicā in amatoria pulchri finiri. Assentior equidem. Post musicam uerò, gymnastica exercendi sunt iuuenes. Quidni? Oportet enim & in hac per omnē uitam diligenter à pueris educari. Id autem ita se habet quodā modo, ut opinor. Animaduerte & tu. Mihi quidem non uidetur bene affectū corpus, uirtute sua bonum animū facere: sed contrà bene affectus animus, uirtute sua corpus, quo ad fieri potest, optimum reddere. Tibi uerò quid'nam uidetr? Quod & tibi. Nónne si postquam mentem sufficiēter instruxerimus, trademus ei, ut quę ad corpus pertinent, diligenter & exactè inquirat & curet: nos autem quasi quasdam formulas proponemus, ne longiores simus, rectè utique faciemus? Omnino. Ab ebrietate itaq; ipsis diximus abstinendum. Vnicuiq; enim magis concedit, quàm custodi, ut ebrietate grauatus, ubi terrarū sit nesciat. Nempe ridiculum esset, custode indigere custodem. De his autem quid dicemus? Athletæ enim hi uiri sunt, & maximi quidem certaminis. Nónne? Maximi planè. Nunquid aliorum athletarum habitudo custodibus cōueniens esset? Fortasse. At uerò somnolenta hæc est, & ad ualetudinem dubia. An non uides quòd uitam edormiunt? & si parum quidem ab instituto uictu discedunt, grauiter ægrotāt exercitatores huiusmodi? Video equidē. Elegantiore igitur aliqua exercitatione opus est bellicosis athletis, quos tanquam canes insomnes esse oportet, & quàm acutissimè uidere atq; audire, & multas mutationes in exercitu aquarum, ciborū, æstus & frigoris ita perpeti, ut se à morbis defendant. Ita mihi uidetur. Optima igitur gymnastica soror esset simplicis musicæ, de qua paulo antè tractauimus. Quomodo istud? Simplex utiq; & conueniens gymnastica, militū exercitatio. Quo pacto? Ab Homero quidē id discere possumus. Nosti enim, quemadmodum in belli expeditionibus in heroū mensis, neq; pisces ipsis parat, quamuis ipsi in Hellespōto mari essent: neque elixas carnes, sed assas, quæ facilius à militibus præparantur. Vbiq; e-

nim facilius est, ut ita loquar, ipso igne uti, quàm uasa circumferre. Neq; unquam uariorum condimentorum, ut arbitror, Homerus meminit. Sed hoc & alij sciunt, quicunque exercentur, quod cui corpus robustū esse debet, à cunctis huiusmodi rebus est abstinēdum. Rectè quidē & sciunt, & abstinent. Syracusanas itaq;, ô amice, mēsas, & Siculā, ut uideris, admodum uaria non laudas obsonia: si quidem hæc ita tibi rectè se habere uidentur. Nō certè, ut mihi quidem uideor. Vituperas & Corinthiū luxum blandientium puellarū, in his qui optima corporis habitudine futuri sunt. Summopere. Quinetiā Attica bellaria, cōdimentaq;, quæ iucunda plurimis & delicata uidentur. Necesse est. Omnem enim, ut existimo, huiusmodi uictum, si similē esse dicemus melodiæ & cantilenę, quæ in omni genere harmoniæ, omnibusq; rhythmis uersantur, rectè nimium comparauerimus. Planè. Ibi quidem intemperantiam uarietas parit, hic morbum: simplicitas autem, secundum musicam, in animis temperātiam, secundū uerò gymnasticam, in corporibus sanitatem. Verissima loqueris. Intemperantia uerò & morbis in ciuitate multiplicatis, & iudicum & medicorum ope plurimùm indigemus. Vnde iudiciaria & medicina in precio habentur, quando & liberi multi his summoperè studeāt. Quid ni? Igitur malæ & turpis disciplinæ in ciuitate nullam maiorem potes cōiecturam capere, quàm summis iudicibus ac medicis indigere, nō modò abiectos homines & mechanicos, sed eos etiam qui liberali disciplina educatos esse se gloriantur. Nónne turpe uidetur, & malæ educationis magna coniectura, ut cogamur ob propriæ uirtutis inopiam iustitia uti externa, ab alijs uidelicet tanquam dominis & iudicibus iustè operari compulsi? Omnium profectò turpissimum. An nō hoc quoq; turpius esse putas, quando aliquis non modò omne uitæ tempus in iudicijs, tum accusando, tū defendendo cōterit: sed & rudi quadam elatus iactātia, in his ipsis negotijs gloriatur, quasi sit potens ad iniuriam inferendam, suisq; uersutijs usqueadeò tergiuersari ualeat, ut nullas iniuriarū soluat pœnas: qui sæpe minimarum uilissimarumq; rerū causa tam anxium subit negotium, ignorās quanto præclarius ac melius esset, ita se comparare ut nullo obseruatore egeat, etiamsi stertat iudex? Certè hoc illo turpius est. Absurdum præterea existimandum est, homines medicis egere non ad uulnera sanāda dūtaxat, morbosq; curandos intemperie aeris, & pro anni tempore aliter atq; aliter incidētes: sed plurimum ad distillationes, & spiritus interioris intumescentis impetum ob mollitiem atque desidiam, et quem in uictu suprà damnauimus, luxū. Quibus effectū est, ut homines lacunarum instar aqua flatuq; exuberantium, nimis oppleti, coegerint peritos Aesculapij successores morbos quosdam nouo nomine, distillationes, inflatiōesq; appellare. Noua sanè hæc morborū, inquit, nomina, nimiumq; absurda. Hæc, ut arbitror, Aesculapij tempore non erant. Quod hinc planè conijcio, quòd eius filij apud Troiam, poculum Patrocli iussu oblatum saucio Eurypylo non damnarunt: cum tamen in eo mixta esset Prannio uino farina, et insuper attritus caseus, quæ pituitam augent. Profectò absurdū id poculum, minimeq; ita affecto cōueniēs. Non. Quia si aduertis, inquā, hac nostra medicinaria facultate, morborum pedissequa, Aesculapij sectatores ante Herodicum, ut fertur, minimè sunt usi. Herodicus autem quum esset exercitandorum magister iuuenū, essetq; ualetudinarius, miscens gymnasticam medicinæ, primò quidem seipsum, deinde & posteros multos tædio affecit. Quo nam pacto? Longam quippe sibi mortē præstitit. Nam dum morbū qui lethalis erat, subsequeretur, neq; curare, ut opinor, se poterat, & medelæ studio occupatus, omissis reliquis omnibus, uitam in hac corporis indulgētia conterebat, malè quidem affectus si paulo à consueto uictu discederet,

ægrē

ægrè tamen moriens, hac sapientia sustinuit se, senexq; è uita decessit. Egregiam palmam ex arte sua reportauit. Nempe quã decebat reportare illum, qui ignorabat Aesculapium, nõ ignorantia quidem & imperitia medelę huius posteris genus hoc non ostendisse: sed quoniã uidebat in ciuitate optimè instituta, suum cuiq; opus assignatum esse, quod perfici necesse sit, nec ulli superesse ocium, ut per omnem uitam ualetudinarius in corpore curando occupetur. Quod quidem, modo quodã ridiculo in artificibus animaduertimus: in illis uerò, qui opulenti felicesq; censentur, nequaquam. Quomodo istud? Faber, si quando in morbum incidit, breuem à medico curationem exigit, uel per uomitũ, uel defluxum uentris, uel ustionem, uel incisionem. Si quis autem diuturnam illi uictus obseruationẽ præcipit, capitisq; suffarcinationes, cæteraq; huiusmodi, statim obijcit non esse sibi ad ægrotandum ocium, neque præstare sibi ita uitam trahere cõtinuis curationibus incumbenti, suumq; opificium negligẽti. Deinde medico hoc dimisso, ad cõsuetum uictum reuertẽs, si cõualescit, opus suum exequitur: sin autẽ sustinere corpus morbum non potest, uita functus, negotijs liberatr. Ita profectò medicinis uti artifici conuenire uidetur. Atq; idcirco opus illi propositum esse dixi, quod nisi peragat, uiuere ipsi nõ præstat. Constat. Diues autem, ut diximus, opere nullo urgetur, à quo si quando ui arceatur, non amplius sit ei uiuendum. Nullo prorsus, ut fertur. Phocylidem fortè non audis dicẽtem, oportet uirtutem exercendã esse, dum uiuendi facultas iam suppetit. Arbitror autem & prius. Nihil in hoc illi aduersemur, sed ipsi nos doceamus, utrũ id hoc pacto meditari diues debeat: aut si minus in alẽdis morbis tempus terat, non sit illi uiuendum. Fabrili siquidem arti ac cęteris impedimento id est. Nam ab opere mentem diuertit. Præceptum uerò Phocylidis nihil impedit. Per Iouem, inquit, fermè omnium maximè, siquidem magis quàm gymnastica superuacua ista curatio corporis ubi producitur, nos occupat. Etenim rei familiari & militari, & urbanis omnibus magistratibus obest plurimum, quod ũe deterrimũ est, discendi studium, et omnem intelligendi meditandiq; diligentiam impedit, dum capitis dolores semper, & uertigines suspicatr: studiumq; sapientiæ causatur, quasi ex ista nascantur. Quamobrem ad uirtutis exercitationem, probationemq; nobis omnino impedimento est. Efficit enim, ut semper ægrotare putemus, neque desinamus unquã de habitu corporis queri. Consentaneum est. Hæc cum uideret, arbitor Aesculapiũ, hominibus natura educationeq; bene ualẽtibus, deinde uerò morbo quodam exterius lato & subito ægrotãtibus, eam ostendisse medicinã, qua pharmacis & incisionibus infirmitas tolleretr, uidelicet consueto deinde uictu seruato, ne ciuilia negocia disturbaret. Corpora uerò penitus interiori corruptione morbosa nequaquam aggressum fuisse, diligentia uictus, & diuturna obseruantia in uita producere, ita ut & ægrè uiuerent homines, & ualetudinarios, quod inde sequitur, filios generarent. Neq; uerò censuit curandum, qui non possit in constituto & solito uictu ac regula uiuere, tanquam neque illi ipsi, neq; ciuitati id conferret. Ciuilem uirum dicis Aesculapiũ extitisse. Constat planè, filijq; ipsius talem eum fuisse testantr. An ignoras, illos apud Troiam in rebus bellicis claruisse? quanquam & medicinæ studio, quẽadmodum ego dicebam, utebantr. Non meministi, quòd Menelao Pandari manibus uulnerato, cruorem uulneris absterserunt, & unguentis mitigantibus perunxere: legem uerò certam circa cibos ac potus nihilo magis quàm Eurypylo præscripserunt, quasi pharmaca ad curandos sufficerent homines, qui ante accepta uulnera & firmi corporis habitu & uictu moderati fuissent, licet protinus dictum illud poculum ebibissent: homines autem & natura & incontinentia morbosos uiuere,

re,

re, neque iis ipsis, neque aliis conferre putabant, neque circa illos uersari artem, neque esse curandos, etiamsi Mida locupletiores essent. Scitos admodum uiros fuisse perhibes Aesculapii filios.

Decet sanè. quanquã nobis tragici, & Pindarus parum adstipulãtur. Aesculapiũ enim ferunt Apollinis filium extitisse, atque auro inductum, ut hominem pecuniosum, cum extrema ægritudine ad mortem ferente opprimeretur, in uitam restitueret. Vnde & fulmine percussum. Sed nos propter illa quæ suprà diximus, illis hæc utraque nõ concedimus. immò si Dei filius fuit, lucri turpis auidũ fuisse negabimus: sin turpis auidus lucri, Dei fuisse filiũ reiiciemus. Probè quidem ista dicũtur. Sed de hoc quid ais, ô Socrates? An non bonos medicos habere oportet in ciuitate? Essent autẽ tales maximè, quicunque fuissent cum sanis plurimis, plurimisque ægrotantibus conuersati. Iudices item similiter, qui uaria hominum ingenia essent experti. Et ualde quidem bonos dico. Sed nunquid intelligis, quos tales esse arbitror? Si dixeris. Tentabo equidem. Tu tamen non similem rem sermone eodem interrogabas. Qua ratione? Medici quidem sufficientissimi euaderent, si ab ineunte ætate ultra discendæ artis studium inter plurimos corpore malè affectos conuersarentur, ipsique omni morborũ genere laborarent, naturaque imbecilla essent. Neque enim corpus, ut arbitror, corpore curant. Impossibile namque esset, ipsa quandoque mala uel fuisse, uel esse. sed anima corpus curat. An non fieri potest, ut quæ fuerit sitque mala, bene aliquid curet? Rectè quidem. Iudex autem, ô amice, ipsi animo imperat. Nónne possibile est, à pueritia animũ aliquem cum malis animis conuersatum, & iniusta quæque facinora operatum, acutè denique ex seipso aliorum scelera coniectare, quemadmodum ex ipso corpore morbos? Num insontem ipsum imperitumque malorum morum, dum esset iuuenis, extitisse oportet, si bonus & honestus existens, iustè sincerè est iudicaturus? Quapropter modesti homines, dum iuuenes sunt, stolidi esse uident, & qui facilè ab iniustis decipi possint, tanquam qui non habeant in seipsis eadem quæ habent improbi, affectuum exempla malorum. Omnino certè id patiuntur. Verũ enimuero, non iuuenem, sed senem esse bonum oportet iudicem, qui serò, quale quid iniusticia sit, didicerit: tanquam qui non propriam in animo suo eam senserit, sed alienam in alienis animis longo tẽpore nouerit: atque idcirco cuiusmodi sit malũ, discernat, scientia potius quàm propria experiẽtia iudicis. Generosissimus certè iudex huiusmodi esse uidetur. Et bonus præterea, quod ipse quærebas. Qui enim bonũ habet animum, bonus est. Versutus autem ille ac mala suspicans, qui multa agit iniustè, sagaxque & sapiens habetur, quãdo cum sui similibus uersatur, cautus callidusque apparet, cum ad exempla quæ in eo sunt, mentẽ dirigẽs, sibi satis caueat. Quãdo uerò bonis senioribusque adhæret fatuus, cũ ultra quàm decet, diffidat, sanumque & sincerũ morem ignoret, quippe qui exẽpla illius non habeat. Cum uerò frequentius cũ malis quàm cum bonis uerset, sæpius quoque sapientior quàm insipientior sibi aliisque uidetur. Vera proculdubio loqueris. Non ergo talem quęrere oportet iudicem, tanquam bonum & sapientem, sed qualem paulo antè dicebam. Prauitas enim neque se, neque uirtutem cognosceret unquam. Virtus autem naturę tempore addita disciplina, & seipsam simul, & prauitatem intelliget. Non igitur malus, ut mea fert opinio, sed hic sapiens euadit. Mihi quoque ita uidetur. Nónne igitur & medicinã, qualem diximus, unà cum huiusmodi iudiciaria æquitate in ciuitate lege constitues, quę quidem eos ciues qui natura, tum animo, tũ corpore bene se habẽt, enutriãt: eorum uerò, qui tales non sunt, quotcunque corpore deficiunt, mori sinãt: quotcunque malo ingenio procreati, insanabiles sunt, morte mulctent? Hoc fortasse & ipsis qui talia patiuntur, & ciuitati conducit.

Constat

Constat quinetiam, curaturos iuuenes, ne in iudiciariæ usum indigentiam'que descendant, simplici illa utentes musica, ex qua nasci diximus temperantiam. Cur non? An non per eadem hæc uestigia musicus gymnasticam sequens, si uolet, aget, assequeturq; ut nihil egeat medicina, nisi necessitas cogat? Assentior equidem. Exercebit autem in gymnasijs corpus, respiciens magis ad animositatem naturæ, illamq; excitans, quàm ad robur: neque quemadmodum athletę alij, corporei roboris gratia uictum instituet, laboresq; adhibebit. Rectè admodum. Qui ergo constituunt, ô Glauco, musica & gymnastica homines erudire, non ea causa qua multi existimant, studia hæc aggrediuntur, ut hac quidem corpus, illa animum curent. Cur non? Videntur enim utraque animi gratia plurimum exercere. Quo pacto? An nō uides, ut afficiant animū, qui gymnasticam per omnem uitam exercent, musicam non attingunt, uel qui contrà faciunt? De quo nam dicis? De rustica, inquam, duritia ferocitateq;, atque item de mollitie, & mansuetudine. Noui equidem eos qui sola utuntur gymnastica, agrestiores quàm oportet euadere. Qui autem duntaxat musica, molliores quàm eos deceat, effici. Atqui uis ipsa agrestis ad iracundæ naturæ animositatem pertinet: quæ si rectè nutritur, fortis euadit: sin autem suprà quàm decet, excrescit, ferox, ut consentaneum est, ac dura. Assentior. Quid autem uim ipsam mitem & mansuetā, nónne philosophi natura habet: quæ si nimium coalescit, mollior fit quàm decet: bene autem si enutritur, suauis atque modesta? Est ut dicis. Dicebamus autem, oportere ipsos custodes utrasq; naturas habere. Oportet sanè. Nónne congruere inuicem, & concinere oportet? Quid ni? Eiusq; animus in quo hæc cōsonant, temperatus est, & fortis? Omnino. Eius autem animus in quo dissonant, timidus & agrestis? Et maximè quidem. Quicunque permittit, ut musica animum suum assiduè circumsonans, occupet & demulceat, perq; aures ueluti per infundibula harmonias infundat, quas suprà commemorauimus, suaues, blandas, molles ac flebiles, atq; ætatē suam in modulis animum delinientibus cōsumit, is primùm quidē, si quid iracundum habebat, tanquā ferrū demollit, & utile ex inutili duroq; efficit. Quando aūt incūbit diutius, magis demulcet: post hoc iam liquefacit animum, & resoluit, donec destillando exhauriat animositatem omnem, excidatq; tanquam neruos ex animo: ex quo animum quasi segnem militem efficit. Sic est omnino. Ac si à principio hominem nacta sit natura sine animi robore, citò hoc perficit. Sin autem animosum, uires animi frangens, id iram reddit præcipitem, ut nimis quibusq; offensiunculis irritet, ac facile iterum efferuescat. Vnde ex animosis iracundi atq; morosi effecti, sunt molestia & fastidio pleni. Ita prorsus accidit. Quod si quis gymnasticæ uictui exercitationiq; se dedat, musica philosophiaq; neglectis, primùm quidem firmum corporis habitum consequutus, animi uiribus magnitudineq; replet, fortiorq; quàm esset, euadit. Valde quidem. Deinde si in hoc ita perseueret, ut nihil aliud agat, neq; musicam prorsus attingat: certè si quis erat eius in animo instinctus discendi flagrans cupiditate, imbecillus, surdus, ac cęcus efficitur: utpote qui neque doctrinam gustauerit ullam, neq; indagationem rerum, neq; ullam penitus rationem, neq; musicam aliam unde expergisci potuerit, coalescere'que, sensusq; suos puros accipere. Sic planè. Rationi aduersus, ut arbitror, uir huiusmodi, & à Musis redditur alienus, ac nulla alterius persuasione rationibus inducta utitur: sed ui & agresti immanitate tanquam fera quædā ad omnia fertur, inq; inscitia & ruditate sine rhythmo & gratia & urbanitate uiuit. Omnino sic se res habet. Postquam duo hæc sunt, ut apparet, artes duas afferentem Deum aliquē hominibus

tribuisse musicam & gymnasticam, ad animositatem, philosophicámue naturam, nõ ad animum & corpus, nisi per accidens fuerit: sed ad illa, ut inuicem consonarent, intensa uidelicet atq; remissa, quatenus deceat. Sic apparet.

Eum igitur qui pulcherrimè gymnasticam cum musica miscet, moderatissimeq; hæc animo adhibet, meritò absolutissimum musicũ diceremus, et summa harmonia cõpositũ, magis quàm eum qui chordas unà contemperat.

Et meritò quidem, ô Socrates. Nónne ergo huiusmodi aliquo præside semper in ciuitate nobis opus erit Glauco, si debet salua fore Respublica? Erit certè summopere. Hi ergo disciplinę, educationisq; modi essent. Choreas enim huius generis esse, rectè dicat aliquis, uenationesq; cæteras, & quę canibus fiũt, gymnica item certamina & equestria. Fermè enim cõstat, sequi eum ista debere, neq; inuentu difficilia fore. Fortè non sunt difficilia. Quid nobis præterea distinguendum? Nónne horum omnium quí nam imperare debeant, qui parére? Cur non? Constat quidẽ, seniores imperare oportere, iuniores subesse. Cõstat profectò. Et hoc liquet, ex his esse optimos eligendos. Liquet certè & istuc. Agricolarum optimi nónne hi sunt, qui maximam agrorum habent colendorum peritiam? Prorsus. Nunc autem cum ex custodibus optimos eligi oporteat, nónne eos qui maximam custodiendæ ciuitatis peritiam habent? Eos planè. Prudentes ergo ad hoc esse eos oportet, potentesq;, & qui Reipub. curam habeant. Et ista. Curat autem quisq; maximè id, quod maximè diligit. Necesse est. Atq; ad hoc diligit maximè, cui conferre eadem ac sibi existimat, & ex cuius fœlicitate suam arbitratur felicitatem infelicitatémue pendere.

Sic est. Eligendi igitur ex omnibus custodibus hi maximè, qui nobis considerantibus uideantur per omnem uitam summo studio ea facere, quæ è Republica esse ducunt: quæ uerò contrà, cauere. Commodissimi certè hi sunt. Obseruandi itaq; sunt, ut arbitror, in singulis ætatibus, utrum præceptum hoc seruent, neq; tanquam præstigijs quibusdam decepti, neq; ui ulla compulsi, suiq; ipsorum obliti ejciant eam opinionem, qua ea sola censentur agenda, quæ sunt optima Reipub.

Quam eiectionẽ dicis? Dicam tibi. uidetur mihi opinio mente excedere, uel spõte, uel inuitè. Sponte quidem falsa, in eo qui dediscit falsa, uera discit: inuitè aũt, uera quæq; opinio. Quod de uolũtario abscessu dicis, intelligo: quod autem de inuito, discere cupio.

Nónne putas bonis homines inuitè priuari, malis autem sponte? An non mentiri, uerumq; nescire, malũ est: uerè autem iudicare, bonum? Nónne opinari ea quæ sunt, uerè putare tibi uidetur? Probè loqueris, mihiq; uidentur homines inuiti uera opinione priuari. An' non uel surreptione, uel deceptione, uel in hoc patiuntur? Neq; istud intelligo. Tragicè porrò loqui uideor. Surripi enim opiniones ijs dico, qui sententiam mutant, uel sensim tempore obliteratam, uel clàm aduersa ratione subtractã. Nunc intelligis?

Intelligo equidem. Vim autem illis inferri, quos dolor, cruciatus, aliter sentire cogunt. Istud intelligo equidem, ac rectè dicis. Subduci autẽ quasi præstigijs eos, ut arbitror, tu quoq; diceres, qui priorem deponũt opinionem, uel uoluptate permulcti, uel metu perterrefacti. Videntur sanè quæcunq; decipiunt, præstigijs nos seducere.

Quod igitur nuper dicebam, quærendum est, quí nam constanter seruant eam quę apud ipsos est sententiam, id uidelicet semper agendam esse, quod Reipublicæ conducere arbitrantur. Obseruandi sunt igitur statim à pueritia, eaq; illis opera proponẽda, ex quibus aliquis maximè præceptum illud obliuisci, fallíq; possit. Atq; is qui seruat illud memoriter, neq; subducitur, eligendus: qui contrà, abijciendus. an non? Certè. Ergo & labores & dolores illis, & certamina opponẽda, in hisq; hæc eadem obseruanda. Scitè. Nonne secundum speciem illam ter-

tiam,

tiam, hoc est, quasi quandã præstigiorum hallucinationem pugnandũ est? & quemadmodum qui inspicere cupiunt, nũquid pulli pauidi sint, necne, ad strepitum illos, & tumultũ ducunt: sic iuniores in terribilia quædã impellendi, atq; item oblectamẽta, in hisq; multo magis quàm igni aurum examinandi? ut ita comperiamus, si extet aliquis inter eos, qui nõ facilè irretiatur, sitq; compositus in omnibus, sui ipsius custos optimus, & eius quam didicit musicæ conseruator, concinnumq; & cõsonum se in his omnibus præbeat. Qualis uir esset, & sibi & patriæ utilissimus. Atq; is qui singulis ætatib. semper pueritia, adolescẽtia, matura ætate probatus est, & immaculatus extitit, custos et princeps est ciuitatis constituendus, honores huic tribuẽdi, & uiuenti & mortuo sepulchrorum & aliorum monimentorum maxima munera sortiẽti. Qui uerò talis nõ sit, abijciendus est. Huiusmodi igit, ô Glauco, delectus & institutio principũ & custodum esse debere mihi uidetur, ut summatim potius quàm exactè sit dictum. Idem & mihi uidetur. Igitur uerissimè uocabuntur hi quidem custodes omni ex parte, tam externorum hostium, quàm internorum amicorum, ut isti nolint, illi nequeant malum aliquid machinari. Iuuenes autẽ quos paulo antè custodes nominabamus, rectè auxiliarij defensoresq; institutionum ipsorum principum appellabuntur. Sic & ipse sentio. Quis itaq; modus erit, quo ex his mendacijs quæ aliquando decent, quemadmodum & nos in superiorib. generosum quiddam mentientes induximus, persuadeamus prius quidẽ principibus? sin minus, saltẽ reliquis ciuibus? Quale istud ais? Nihil noui equidem, sed Phœnicium quiddã: quod antè quidem apud multos factum est, ut poetę dixerunt & persuaserunt, nostris uerò temporibus minimè nec scio, si futurũ unquam. persuadere certè est arduũ. Quàm pigrè ad dicendum uideris accedere. Videbor equidem tibi, postquam dixero, haud ab re piger. Dic age, nec timeas. Ecce iam dico, quanquã nescio, qua audacia quibusq; uerbis fretus dicam: atq; aggrediar primũ ipsis principibus & militibus suadere, deinceps aũt & reliquis ciuibus, quòd ea quibus nos ipsos enutriuimus erudiuimusq;, tanquam somnia uisi sunt circa seipsos omnia habere. Erant autem tunc reuera sub terra, intus formati & enutriti ipsi, & arma eorum & supellex omnis. Postquam uerò omnino perfecti fuerunt, terra ipsos ut mater eduxit. Et nunc quidem tanquam matri ac nutrici, regioni huic in qua sunt, cõsulere debent, atq; succurrere, si quis eam inuaserit, deq; cæteris ciuibus tanquam de fratrib. terra genitis, cogitare. Non ab re iam antè pudebat hoc mendacium dicere. Rectè admodum, sed audi iam reliquum fabulæ. Estis utiq; omnes in ciuitate tanquã fratres, (sic enim dicemus apud eos fabulãtes) sed cum Deus formaret, quicunque uestrûm ad imperandum idonei nati sunt, aurum in eorum generatiõe ipsis admiscuit, propter quod honoratissimi sunt. Illis autem qui ad auxiliandum, argentum indidit. Ferrum deniq; atq; æs agricolis & alijs opificibus. Tanquam igitur eiusdem generis omnes, similes uobis plurimum generatis. Euenit autem quandoque, ut ex aureo nascatur argenteus, & ex argenteo similiter aureus, cæteraq; ita uicissim. Quapropter ipsis principibus & primo & maximè Deus præcepit, ut nullius rei maiorẽ curam custodiamq; suscipiant, quàm natorũ, ut dignoscãt quid ex quatuor his potissimum, illorum animis sit immixtum: & si quis ex ipsis nascatur æneus aut ferreus, nullo pacto misereãtur, sed honorem illi naturæ conuenientem tribuentes, inter opifices uel agricolas mittãt. Rursusq; si ex illis nascatur aliquis aureus uel argenteus, honorantes extollant partim quidẽ in custodes, partim auxiliarios: quasi oraculum sit, tum rempublicam perituram, cum ipsam uel æneus custos uel ferreus gubernabit. Habés ne, quomodo huic fabulæ fidẽ adhibeãt? Nullo modo, quo pacto isti: quo autẽ

modo istorũ filij ac reliqui posteri, habeo. At hoc bene se haberet, ad maiorem curam sui & ciuitatis habendam. Ferme quod dicis intelligo. Et hoc quidem illuc tendet, quò oraculũ perducet. Nos autem hos terra genitos armantes, ducentibus principibus producamus. Profecti autem explorent, ubi nam in ciuitate sit optimum castra ponere, unde & eos qui intus sunt, maximè cohibeant, si quis nolit legibus ipsis obtẽperare: & eos qui extrà, repellant, si hostes tanquam lupus ad ouile perrexerint. Cum uerò castra posuerint, & quibus oportet sacrificauerint, tabernacula struant. Sic'ne? an aliter? Sic certè. Num huiusmodi, qualia cõtra hyemes & calores sufficiãt? Quid ni? habitationes enim dicere mihi uideris. Sic aio, sed militares, nõ opulentas & mercatorias. Quo differre asseris hoc ab illo? Conabor equidẽ declarare. Grauissimũ quippe omnium, & turpissimũ pastoribus esset, si ita canes gregis custodes futuros nutrirẽt, ut ex intemperantia, aut ex fame, aut ex aliqua alia mala cõsuetudine, canes ipsi aggrediantur pecuaria lædere, & pro canibus similes lupis efficiantur. Graue nimium. Omnino itaq; nobis cauẽdum, ne quid tale aduersus ciues efficiant, qui defensores adhibentur, cum ipsis ualentiores sint: neq; beneuolorum loco sociorũ, agrestibus dominis se similes præbeant. Cauendũ sanè. Nónne maxima esset adhibita cautio, si reuera pręclarè educati sint? Sunt quidem. Hoc quidem, ô amice Glauco, asseuerare non decet: quod autem nuper dicebamus, nimirũ decet, quòd oportet ipsos rectam, si qua est, consequi disciplinam, si modò mites futuri sunt & sibi inuicem & his quos custodiunt. Et rectè quidem. Ad hanc igitur disciplinam quisque sanæ mentis diceret, habitationem & reliquam supellectilem ita adhibendam, ne ipsos, quo minus optimi uiri essent, prohiberet, neque eos ad cæteros ciues lædendos induceret. Et uerè quidẽ. Inspice igitur, an tali quadam ratione eos oporteat & uiuere & habitare, si quidem futuri sint tales. Primò quidem nemo proprium quicquã possideat, nisi quatenus summa cogat necessitas. Deinde neq; domum neq; penu habeant, quò nõ omnibus pateat aditus. Quæ uerò ad uictum pertinent, tanta sint apud eos, quãtis indigent militares athletæ temperati ac fortes: accipiantq; ex instituto ab alijs ciuibus mercedis tantũ custodiæ gratia, ut exacto anno, neq; desit quicquam, neq; supersit. Conferentes autem se ad comessationes, perinde atq; in castris, communi uescantur cõuiuio. Dicendumq; est illis, aurum & argentum diuinum à dijs in animo eos habere, neq; humano auro indigere: neq; sanctum esse, illius possessionem admixtione mortalis auri inquinare. Nempe ex uulgi pecunijs multa impia prouenerunt: quod uerò inest illis aurum, prorsus immaculatum. Profectò solis ipsis ex omnibus qui sunt in ciuitate, tangere aurũ aut argẽtum, aut sub tecto suo recipere, aut circunferre, uel ex ea materie bibere, nefas. Hoc ergo pacto & sibi & ciuitati salutem parient. Siquando uerò domum sibi, aut agrum, aut pecuniã priuatim possederint, administratores familiæ & agricolę pro custodibus erũt: & uice eorum qui ciuibus auxilio sint, domini eorum infensi efficientur: & ipsi odio habiti, odioq; alios habentes, & insidias parantes, pariterq; patientes, uitã uniuersam degent. Vbi multo magis ciues, quàm externos hostes timebunt, accedẽtq; iam tunc proximè ad perniciem tam ipsi quàm reliqua ciuitas. Horum igitur omnium causa dicamus custodes ipsos circa domũ, & reliqua omnia, ita instructos esse debere. Hæcq; lata sit lex, an non? Sic esto.

HAec igitur sunt, ut mihi uidetur.) Tres piorum hominum actiones, triaq; officia commemorat, obseruantiam erga deos, atq; parentes, amicitiam in æquales: quæ omnes iusticiæ partes sunt, quomodo & Deo, & parentibus, & amicis id redditur, quod est reddendum. Ipsos mortem minimè.) Subiectum fortitudinis ipsum ponit, uidelicet mortis contemptum, ut etiam Aristoteles lib. 4. Ethic. Hinc Socrates de fortitudine custodum differit, ut hoc modo singulas ijs tradat uirtutes, ac postremò iusticiā ipsam, quæ ex ijsdem omnibus constat. Tanquam neq; uera dicant.) uidelicet, si inferos negligant, ac uituperent, cum nulla sit in eo utilitas, aut ueritas. Delebimus igitur eiusmodi omnia.) Diuersi Homeri uersus citātur, ac reprehendūtur à Platone, quòd inferorum is pœnas contemnat. Hæc utiq;, & cætera talia.) Ratio ab honestatis decoro sumitur, ut hæc poemata reijcienda esse ostendatur. Non quia poetica non sint.) id est, Causa, cur hæc poemata uituperantur, est, quòd moribus obsint: nō quòd ipsa minus sint eleganter scripta. Quos liberos fore oportet.) Poetæ molles, atq; eneruati, prauos gignūt affectus: ut metum, cupiditatem, aliaq; eius generis multa: quapropter eorundem scripta pueris proponenda non sunt, ne timidi fiant, cum fortitudo in eorum animis ab infantia sit ingeneranda, informandæq; eorum mentes, ut mortē seruituti præferant. Non ne insuper nomina.) id est, non solùm commenta ipsa poetica, sed etiam nomina sunt uitanda, quæ uanitate sua terrent quodam modo, aut admirationem sui pariūt. Forma uerò his contraria.) id est, Formandus ad fortitudinem animus, rebus illum excitantibus, est. Contemplare igitur, rectè ne.) Reddit rationē, cur luctus, lamentationesq; poeticæ sint tollendæ: cur non solùm mors, quæ, ut in Phædone docetur, malum non est, timenda non sit, sed etiam timoris occasio omnis fugienda. Meritò igitur clarorum uirorum.) Conclusio, timores & luctus prohibendos pueris docens, idq; duabus de causis: prima, quòd nihil mali mortuis accidere sit putandum, ut in Apologia, Phædoneq; docetur. Secunda, quòd fortis uir sibi sufficiens, nec alijs egens, nunquam angatur aliena miseria, desiderio ue alterius. Hoc Stoicorum propriū uidetur esse, quod Epictetus itidem apud Arrianum docet. Homerum orabimus.) Orandos ait poetas, ne magnis uiris molles adscribant affectus: quod Cicero item libro 2. Tusculan. refert. Si enim, o amice Adimante.) Ratio sumitur ab effectu, quòd poetarum lectio noceat, obiectis uidelicet iuuenum animis ad molles affectus. Quin imò sine ullo uel pudore.) id est, si hæc falsa non putarentur, gignerent profectò permultos prauos affectus. Sed neq; in risum nimium.) Fortis uiri est, & constantis, nulla leuitatis signa præ se ferre. ideo risus, profusus præcipuè, quicquid ue talem risum excitare possit, uitandum est: est enim is magnum leuitatis argumentū. Licet enim moderatè ridere, & exhilarari, ut Aristoteles li. 4. Ethic. docet: sed non gestire, aut nimia lætitia iactari. Pluris facienda ueritas est.) Cum poetas tum ob affectus prauos, uitiosaq; exempla, tum quod mendaces sint, prohibendos esse custodibus futuris dixerit, ad eam quæstionē digreditur, Num aliquando mentiri liceat? quando uel eandem suprà attigit. & quatenus mentiri liceat: intelligi oportet, ut modus fabularum, ususq; noscatur. Si enim rectè paulo antè dicebamus.) Hic Plato magistratui mētiri putat licere, quòd id Reip. sit sæpe utile: priuato aūt nenini, idq; diuersis de causis, quas deinceps cōmemorat. Sic planè agendū.) Ratio, cur nulli priuato liceat mētiri, talis est: Quæ loquimur, facimus: Qui falsa loquitur (idē enim est mētiri) malè agit: ergo malū fit, si mentiamur. Nō ne temperantia.) Per singulas uirtutes progressus breuiter Plato, custodum institutionem deducit, uitiaq; contraria reijcit. Ergo suprà de fortitudine præcipiēs, quatenus fabulis ac poetis utendum esset dixit, nūc idem in temperātiæ uirtute inquirit: quomodo nō solùm id ad perfectā iusticiæ rationē, quæ ex quatuor uirtutum copula constat, qua de differitur, pertinet, sed etiā ad poeticæ usum, qui primùm pueris traditur, dum instituuntur. Quatenus ergo poetis danda sit opera, ut temperātes custodes fiant, uoluptatibus omnib. neglectis, inquirit. Duæ autem temperantiæ hic partes ponuntur, quas uel Aristoteles lib. 7. Ethic. statuit, obedientiam in magistratus, & abstinentiam à uoluptatibus nimijs: cuius utriusque exempla ex Homero afferuntur, tum præcepta dantur ad roborandos animos pertinentia, uoluptatesq; tollendas, propositis bonorum & constantium uirorum exemplis, non eneruatorum & molliū. Neq; etiam muneribus corrūpi.) Moderatio & continentia, quæ cupiditatum est nimiarū, ut auaritiæ, & ambitionis, temperantiæ quoque pars est: ideo hanc illis duabus Plato adiungit, dum uitandam omnem cupiditatis huiusmodi occasionē esse docet. Vnde nec Homeri, nec poetæ alicuius uersus, magno alicui uiro turpes cupiditates & uitia ascribentis legendos putat, quòd praua interim his exemplis doceātur, cum magnos uiros tales fuisse, credibile non sit. Il liberalitate cum auaritia.) Auaritiam, illiberalitatem, ac impietatem summa esse ait animi uitia, quòd multorum in homine scelerum causæ sint. nam ἀνελευθερία, id est sordicies liberalitati contraria: & φιλοχρηματία, id est quæstus cupiditas, quæ illi quasi adiungitur, turpissima uitia sunt, & magnanimos uiros minimè decētia. Hic diuersa poetarum lectionis incommoda enumerantur, ut quàm sit ea inutilis ostendatur. Reliqua nobis species est.) Comple

xione breui turpitudinē fabularum poeticarū proponit, ut eos non esse legendos doceat. An esset fortasse reliquum.) id est, Quamuis nunc non de poetarū lectione dicendū uideatur, sed de illis ipsis, quos instituendos suscepimus: tamē dicatur adhuc prius, quàm malè poetæ ijdem de hominibus sentiant, cum suprà relata sint, ea quæ illi dijs ascribāt. multa enim ij praua homines docent. Hæc inquam, & cætera huiusmodi.) id est, Hisce de rebus est nūc primùm dicendum, antequam ad custodum institutionē redeamus. Non'ne si confitearis.) Postulati loco, Geometrarum more proponitur à Socrate, concedendū id, quod petit: id est, ut sibi ea dentur, quæ dixerit, si uera esse probarit. De his ergo quæ dicēda sunt.) τὰ μὲν δὴ λόγων πέρι ἐχέτω τέλος: id est, Hisce quidē de rebus dicēda hæc fuere. Deinceps de dicendi ratione.) Ecquæ'nam isthæc sunt, quæ dicenda Socrates ponit, quæq; difficilia iudicat Adimantus? Sic enim ait: τὸ δὲ λέξεως, ὡς ἐγῷμαι, μετὰ τοῦτο σκεπτέον, καὶ ἡμῖν ἅ τε λεκτέον, καὶ ὡς λεκτέον. id est, Quod uerò deinceps explicandū est, illud est, ut quæ nobis dicenda, & quo modo dicenda sint, uideamus. Hic Socrates de poetarum commētis adscriptis hominibus dicturus, primò statuit, quot genera poematum sint, seu quæ'nam sint illa, quæ dicantur poeticè, idq; intelligit per dicenda: deinde, quomodo eadem poemata sint dicēda, quærit. Quo nomine dicenda lege, non discenda. An non quæcunq; à poetis.) Explanatio breuis superiorum. Narrationis formas omnes enumerat, ut fabularum describat genera, ex ijsq; aliqua deligat, alijs neglectis. Primò enim narrationem omnem diuidit in expositionem præteritorum, instantium, & futurorum: secundò in simplicem, & translaticiam, seu expressam, quam διὰ μιμήσεως γιγνομένην appellat. Ridiculus enim præceptor.) Nam huius est munus, apertè rem docere, ut intelligatur. Qui dicēdo parum ualent.) Vt rem apertius doceat, exemplū singulare proponit, idq; indoctorū more ait se facere: quòd docti sit, rem in uniuersum proponere: indocti uerò, ex parte tantum, cum singularia notiora sint nobis, id est, magis exposita sensibus: ut Aristoteles lib. 1. Physic. docet. Et primùm mihi dicito.) Propositæ diuisionis partes diuersis in exemplis Homeri ostēdit. An non alteri se similem.) Quæ'nam esset narratio per imitationem facta ostendit. nunc, quid sit imitari, docet. quo exposito, ad simplicis narrationis formam in exemplo ostendendam progreditur, ubi ait: Vbi autem se non celat poeta.) id est, Simplicis iam narrationis, in qua nihil à poeta tribuitur alicui personæ loquenti, formam exponamus. Dicam enim sine uersu.) Paraphrasi quadam Homericæ sententiæ summam soluta oratione complectitur, ut simplicis narrationis discrimen, ab ea quæ per imitationē fit, ostendatur. Poesim uidelicet, fabularumq;.) Tripertitam orationis diuisionem instituto sermoni de poetis accommodat, ut quod triplex poematum genus sit, ostendatur. cum aut triplicē orationis translaticiæ, id est poematis formā esse dicat, singulas enumerat species: quarū primam omnino ait esse imitaticiam: id est eam, in qua personæ aliud loquentes, quàm poeta dicat, inducantur: ut tragœdiam, & comœdiā. Secundam mixtam esse, id est, eam quæ tum poetæ sermonem ipsum, tum personarum ab eo inductarum contineat: ut heroica poemata. Tertiam, in qua poeta quidem ipse loquatur, nō simplici, sed incitata, elataq; oratione, ut dithyrambos. Hoc igitur erat quod oportere dicebam.) id est, Hic iam intellige, quæ obscura putabas: uidelicet, quæ'nam essent illa dicēda. nūc quomodo eadē sint dicēda, audi. ait enim, se hic poematum genera custodibus legenda proposuisse: quomodo uerò eadem illa scripta esse debeant, dicturum se deinceps. Nondum enim noui.) id est, nondum statui, sed eò demum ueniemus, cum de poemate generatim dicetur. Hoc igitur Adimante, cōsidera.) Cum custodes instituantur, ut suprà diximus, à Platone hic breuiter, ut ciuitatis custodia perfecta inquiratur: atque inter artes pueris tradendas, prima occurrat poesis: quærit iam, quatenus ijdem custodes poetas lecturi sint? Concludit autem, prohibendo illis eam lectionem, ne effœminati, mollesq; fiant eiusmodi lectione. Quod singuli singula.) id est, Vel inde noscitur, eos nō debere poetas legere, quòd multis implicari rebus debeāt in Repub.

Non'ne & de imitatione eadem ratio?) Argumentum est simile superiori illi de ciuium numero, quo probatur, custodem tanquā publicis negocijs intentum, poetis nequaquam usurum. Quod autem unus diuersis æquè rebus intentus esse nequeat, inductione confirmat, cum distrahatur in diuersas partes animus: eoq; distracto, quasi ui dissipata, minor fiat conatus. Quin etiam minora his Adimante.) καὶ τὰ ἐκεῖνα πράττειν, ὧν δὴ καὶ τὰ μιμήματα τά ἐστιν ἀφομοιώματα. id est, Ne illa quidem facere nequit natura nostra, quorum uel ipsæ imitationes similes sunt, seu unde exprimuntur res effictæ. quasi dicat, Tam pauca nos possumus, ut nec imitari multa, nec ea archetypa, quibus imitatio sit similis, facere possimus. Si ergo rationem superiorem.) Propositis narrationum poeticarum & translatarum formis, concludit, custodem nulla earum lectione usurū, nisi quid inde instituto suo congruat, cum & eius muneri, id est, Reipub. custodiæ studium illud poeseos repugnet, & omnis sit ab eo uitij forma fugiēda: quod ipsum in sequentibus ita concludit. Non permittimus igitur ullo modo eos.) id est, Cum diligētes ac fortes custodes requiramus, nō est permittendum, ut lectione poetarum id amittant: cum uitia noscenda sint tantum, non autem imitanda. Si igitur quæ dicis intelligo.) Duplex narrationis forma commemoratur: una decora & honesta: altera turpis, quæ custodes dedeceat: ut proposita hac simplicis narrationis distinctione, doceatur quali sermone sit custodi utendum: quod idem de poesi preceptum

est

est suprà. Videtur mihi uir moderatus.) Distinctis simplicis narrationis partibus, custodi fert tam præceptũ id est, docet, utendum illi esse decora oratione, & honesta: quando sermo sit moribus congruens futurus, & eius uita honesta esse debeat. Quando autem ad aliquem indignũ.) Virtus colenda semper est, tam publicè quàm priuatim, & apud quosq́;: nec quòd in uiros intemperantes, aut inhonestos incidamus, ijs nos accommodabimus: sed uel eorum obiurgabimus sermones turpes, uel ipso uultu significabimus eos nobis displicere. quod ipsum Epictetus sequitur, præcipitq́; in suo Enchiridio. Oblectamentiq́; causa.) εὐτραπελία dicitur Aristoteli lib. 4. Ethic. uirtus, qua facetè & urbanè aliqua dicuntur in aliorum cœtu. Hæc, ut Plato præcipit hic, colenda est semper à custode, ne uel nimis sit scurrilis & leuis, ne'ue difficilis & tetricus. Non ne igitur narratione utetur tali.) Discrimen moderati uiri ab immoderato ac petulante, itemq́; utriusq; orationis exponitur: quando cordata, simplex, & lepore condita oratio, moderatum hominem decet: inepta uerò, garrula, & incondita, scurrã & sophistã quales erant ueteres illi, Gorgias, Hippias, & reliqui à Socrate multum agitati. Atque hæ sunt orationis species duæ.) Conclusione ostendit decoram quidem orationem quasi consonantiam adhibita moderatione constantem fore, indecoram uerò, inconstantem, rhythmoq́; id est modo carituram. Nónne & poetæ, & alij omnes) Id est, cum tot sint narrationis formæ, quot dixi, ijs' que poetæ utantur: uidendum est iam, quã'nam earum utamur in ciuitate. Mixta quæque iucunda est) Varietas semper delectat, quòd appetitus facile satietur, expleaturq́;: ideoq́; diuersa, unde oblectetur, quærit. hæc aũt satietas ex appetentis inconstantia, mutabilitateq́; oritur: quia uni rei diu eius natura nequit inhærere. Vnde pueris, iuuenibus, lenibusq́; hominib. uarietas iucunda est, puerisq́; educandis aptißima est mixta narratio. At forte, ut arbitror, Reipub. nostræ.) Cum uariam Musicam, siue narrationem, aut poesim iucundiorẽ esse, præsertim pueris, dixerit: eam tamẽ in ciuitate illis negat tradendam, sed eius contrariam: id est, simplicem, et uniformẽ, licet minus iucundam. unde simplicem hanc narrationem tradi uult pueris, eo quòd (ut lib. 2. docuit) unusquisque in Repub. sua uno muñdi genere, unoq́; opificio uti debeat, eodemq́; modo multiplex et uaria forma præsens minimè sit probanda. Qua de causa tales poetas urbe aut pellẽdos, sed cum honore, ne ars despiciatur pulcherrima: admittendos uerò tantum eos, qui roborare et moderari futurorum custodum animos poßint, sublato fuco omni, atque mollicie. Milites erudire.) Id est, custodes urbis, qui sint pro ea militaturi. Satis de ea musicæ parte.) Id est, De poesi, quæ musica quædã est. seu fabulosa narratio, satis sit dictũ: quare superiorem disputationem ad musicam dixit pertinere, id est ad sermonem de poesi. Restat de cantus & melodiæ ratione.) Ad alteram Musicæ partem, id est melodiam seu concentum transit, quando musicæ omnes partes propositæ ad institutionem custodum sunt. Opinamur autẽ omnino hoc primum.) Melodiæ partes complectitur, ut quæ'nam ex ijs custodem deceat, ostendat. Tres autem melodiæ formas enumerat: orationem, harmoniam, rhythmum. Orationem uerò & poesim eandem ait esse. Vnde, ut poesim suprà reiecit, sic nunc melodiæ formam hanc, cuiusmodi sunt, cantilenæ turpes et indecoræ. Sed quia de oratione seu poesi multa sunt antea dicta, ad harmoniam & rhythmum uenit. Pertinere musicam ad mores formandos, nõ Plato hic tantum, sed etiam Aristoteles lib 8. Polit. cap. 7. docet. De melodia seu cõcentu, eiusq́; formis, aliqui scripsere: quorum è numero fuit Augustinus, qui in epistolis ait, de melodia et rhythmo sex libros scribere se cœpisse. Dic mihi: tu enim musicus es.) Enumerat musicæ genera pleraq́;, ut quæ sit musica ciuitati apta, quæ'ue inepta, doceatur. damnat aũt Lydiam mixtam, Lydiam acutam, Ionicam, Doricam, Phrygiam, quod molles, effœminatæq́; sint: id quod à custodibus remoueri debeat. De hisce ferè omnibus, alijsq́; pluribus harmoniæ formis, Athenæus lib. 14. & Aristot. lib. 8 Polit. itemq́; Plutarchus in lib. de Musica, non pauca referunt. Haud equidem, inquam, harmonias noui.) Reiectis uitiosæ harmoniæ generibus, ea nunc recenset quæ ad mores custodum aptißima uideantur. Duo autem genera cõstituit, unum bellicum, alterum pacificum: qui custodes ciuitati consulere utraq; in re debeant. in utroq; item musicæ genere constantiam, grauitatemq́; animi seruari uult, ne mollicie, aut leuitate aliorum concentuum eneruentur. Non igitur opus erit nobis in cantibus.) Quemadmodum harmoniæ, quæ uocibus exprimitur, genera enumerauit: sic & instrumentorũ musicorum formas complectitur, ut quæ nam morib. sint aptißimæ, intelligatur: ut Trigonum, pactidam, lyram, citharam, fistulã. Ex his autem solam lyram, citharam, fistulamq́; relinquit, cæteris neglectis instrumẽtis, quorum Athenæus lib. item 14. mentionem facit. Non per Iouem, ut mihi uidetur.) Diluit Adimanti obiectionẽ hanc: Cur, cum tu fabulas tollas, non uel lyram etiam, & fistulam tollis, ne id quod de Apolline ac Marsia fingitur, dicatur? Nõ est, inquit, id necesse, cum utilia hæc instrumenta sint. Sequitur ad ea quæ de harmonijs dicta sunt.) Transit ad tertiam melodiæ formã, id est rhythmum: in eoq́; quærit, quis rhythmus ad hominũ mores informandos accommodari poßit. Vitæ fortis & temperantis rhythmi.) id est, quando fortes, moderatosq́; custodes requirimus, quis nam ijs rhythmus accommodabitur. Per Iouem, quam dicã non habeo.) Totus hic locus de rhythmo, eiusq́; formis & pedibus, ex Damone desumptus, perdifficilis mihi uidetur: nec mihi solum, sed etiam Socrati, qui nequaquam ait se intelligere ista, quæ Damon in rhythmis ad mores hominũ accommodet. Mibi uerò

rò rhythmi species hæ tres, tria genera rhythmorum, seu numerorum significare uidentur: quatuor autem uoces, ex quibus harmoniæ fiant omnes, quatuor illos tonos, hypatē, neten, mesen, paramesen: motum porro tribuere & rhythmis, & pedibus in dico, quoniam musica omnis motu peragatur, ut Augustin lib. ea de re primo docet. Ex ipsis quoq; pedibus alios ait graues & heroicos esse, ut dactylos, & spondæos, quos suprà, infraq; æquales euadere inquit: alios in breuē & longū euadere, ut iambos, qui ex breui & longa syllaba constant: alios uice uersa in longā & breuem, ut trochæos. Hoc modo & iam longitudines & breuitates Damonis pedum quantitati adscripserim, ut in ijsdem pedum ductionib. siue mensura Damonem aliquid uitiosum, & aliquid honestum appareat inuenisse, quod moribus accommodaretur. Hoc autem ita discernere potes.) Omissa illa disputatione de rhythmis, assumere suo tantū instituto id ait Socrates, quòd ut rhythmus orationem cōcinnam, aut inconcinnam efficiat, sic & concentus humanæ uitæ mores. Quandoquidem rhythmus, & harmonia.) Oratio plerunq; facta indicat: ergo cōcinnitas orationis ad factorum concinnitatē pertinet. Vnde ut oratio congrua, aut inepta esse potest: ita rhythmum eadem capere potest, sicq; fiet oratio concinna & apta. Quid uerò loquendi modus.) Axioma quoddā statuitur, ut quæ de rhythmo retulit, moribus accommodet. ait enim, orationi facta respondere, eodemq; modo his concinnitatem musicæ: ex quo infert, in omni uitæ rhythmo modum, id est, uenustatē, concinnitatemq; esse seruandam. Est autem ars pingēdi uniuersa.) À toto ad partes. rhythmum, id est modum & concinnitatem seruari uult, æquè ac in pictura, nō minus quàm in musicæ ac poematis studio, quando pictura etiam poema quoddā sit. quod ipsum in ijs uerbis docet apertius: Nunquid poetis solis insistendum, cogendumq;.) Non solum turpia poemata, sed & tabulas turpes ait uitandas à iuuenibus, præsertim ne prauos discāt affectus, ut quibusdam usu euenit, qui statuarum amore capti sunt, quod Athenæus & Aelianus scribunt. Quāobrem illi inquirendi sunt) Quales picturæ admittendæ sint, elegāti similitudine docet: proposito item fine institutionis huius, quam ipse tradit. Ait enim, ad amicitiam & cōcordiam, quæ finis Reipub sunt, formandos iuuenum animos, dum tabulæ proponantur, in quibus nullæ bellorum, rixarum' ue imagines sint. Ob hanc igitur causam, inquam ego.) Causam adducti à se præcepti reddit, cum ideo se ait de musica, rhythmoq; tam multa retulisse, quòd multa in eo moribus informandis accōmodata cernat multum enim musica ad id cōfert, ut uel Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 5 testatur. Quemadmodum tum profectò.) Musicæ utilitatem à simili sic ostendit Vt, inquit, ignoratis literis, grāmatici esse, aut quid legere nequimus: ita nec mores rectè informari posse, nisi musico concentu, putamus. est enim hoc artis & exercitationis eiusdē. id est eiusdem est, sciētiæ, nosse rem ipsam, & eius simulachrum. Vnde qui grammaticam norit, & literas, & earum imagines rectè norit. Nempe eadem ratione neq; musici) Iustitiā, uirtutesq; omnes ubiq; Plato connexas inter se musico quodam cōcentu putat, ideo multa de musica disserit: ueluti hoc in loco, omnes ait nos uirtutes, quæ inter se arctissimè colligatæ sunt, tenere non posse, nisi earum singulas tanquā elementa literarum, et partes harmoniæ teneamus. Si quo in homine hæc concurrant.) si concentus iste uirtutum omnium in aliquo existat, pulcherrimus is sit At pulchrum esse, amabile est: Ergo & tales uiri amabilissimi erunt, in quibus omnes insint uirtutes. Sed hoc mihi dicas.) Vt Musica uocum concentum facit, sic morum cōcinnitatem temperantia. Vnde nec in musica inconcinnum quid, nec in moribus esse potest: si illa cōcinne, hi moderati esse debeant. ideo à repugnantibus nunc Plato docet, uoluptatē maximam cum temperantia cohærere non posse, cum eadem contraria sint: sicut nec musicam, id est concinnitatē cum inconcinnitate contraria. Hic Plato ad morū temperationem accommodat ea quæ sunt de musica dicta, ut in moribus temperantiam tenendam præcipiat, uelut in musica concentum. Circa uoluptates maximas, id est, eas quæ in tactu uersantur, (nam tales maximæ sunt) consistit temperantia, ut lib. 7. Ethic. docet Aristoteles. Ideo contraria est temperantiæ nimia uoluptas, atq; etiam amori honesto, seu charitati, cum qua nulla eiusmodi uoluptas contactus esse debet, quemadmodū in Symposio etiam Plato refert. Quo enim finiri debet, iam applic.) id est, Sermo de musica iam est instituto accommodatus: hoc est, sermoni de temperatione, institutioneq; morum. Post musicam uerò gymnastice.) Cum omnes institutionis puerilis partes persequatur suprà, quæ ad morum animi institutionem retulit: nunc quæ ad corpus pertineant, tradit, cuiusmodi est, gymnastica, qua de hic Plato, et in Timæo, locisq; alijs nō pauca disserit. Mihi quidē non uidetur bene affectum corpus.) Moueri corpus ita in Timæo Plato uult, ut sine animo non moueatur: id est, ut in exercendo corpore, animi quoque excolendi cura sit. Hoc ipsum in hoc loco præcipit, in quo de exercitationis forma præcipit. ait enim, tunc bene corpus exerceri, si animus excultus, & rectè affectus sit. Cuius rei addit rationem, ab efficiēte causa sumptam, quòd corporis moderationem animus ut gubernator efficiat: non uice uersa, corpus animi. Siquidem Platonis sententia, corpus instrumentum animi, atq; uehiculū est. Ab ebrietate ipsis diximus.) Primū de corporis exercitatione præceptum est, ut ebrietas fugiatur, tanquā menti et corpori noxia. Hic uidetur idem Plato cum medicis sentire, qui uacuo & sobrio corpore exercitationes suscipi uolunt Ratio fugiendæ ebrietatis, à custodis sumitur officio, quòd is ciuitatem curare, custodireq; debeat: ebrij aūt custode egeant, tum ne

quando inebrientur, tum quòd insani sint. Athletæ enim ... sunt.) Duplex est, ut Galeno item placet, gymnastica: una athletica, altera moderata et salubris. Quærit autem hic Plato utra earum duarum custodem maximè deceat: concluditq; athleticam esse noxiam, duabus de causis. prima, quod somnum afferant nimiæ exercitationes, & postea quæ corpus defatigent: tum, quòd ualetudinem lædant. utrunq; uerò in custode ciuitatis, cuius cura uigilans, & ualetudo uegeta esse debeat, sit uitandum. De usu exercitationum, & forma, Galenum lege, & Aristotelis problemata: tum lib. 3 Polit. cap. 4. ubi de exercitationibus iuuentutis agit. Elegantiore igitur aliqua) Gymnasticæ partem salubrem & moderatam a custodibus ait amplectendam, athletica reiecta. eam autem ab ijs capiendam ad labores, curas, molestiasq; deuorandas censet: quòd eorum munus sit, tanquam canes uigiles, sic urbem seruare: deinde laboribus, mediæ, frigoris, omniumq; rerum assuefieri. In exercitu aquarum & ciborum mutationes.) Affluxum illum potionis, uictusq; in corpus, quo idem afficitur uarijs modis, significat his obscuris uerbis. Ait enim, custodes assuefieri debere uictus rationi uariæ, & incertæ, ne unam uitæ diætam semper teneant, quæ noxia est: ut frequentes mutationes, si sit opus, ferre possint. Optima igitur gymnastica.) Cum dixerit, quæ gymnasticæ pars custodi esset inutilis: nunc quæ utilis sit, ostendit. itaque optimam esse ait eam gymnasticen, quæ cum simplici musica, id est moderatione ac temperantia coniuncta sit. Vtrunsq; exemplum ex Homero ostendit, qui militibus simplicem uictum apponit, ne luxui, uoluptatiq; locum dent, neue molliores ac imbecilliores fiant. Syracusanas itaq;, ô amice.) Victus ratione custodibus proposita, reprehendit eam iam, quæ intemperanter alibi fiant, ut quibus à uitijs sit discedendum, intelligatur. Igitur Syracusanas & Italicas mensas damnat, ut in epistola ad Dionis propinquos fecit: tum Corinthiorum luxum, & Atheniensium bellaria. quæ omnia Athenæus cum alijs in locis, tum lib. 10 prolixius commemorat. Omnem enim, ut existimo.) Censet igitur, moderationem in uictu seruandam, tanquam harmoniæ quandam speciem, quæ ad totum genus harmoniæ. id est temperantiæ genus ipsum refertur. Siquidem abstinentia & moderatio in cibis, pars est temperantiæ uirtutis. Ibi quidem intemperantiam.) Luxum cum moderatione comparans, alterius commoda, & alterius incommoda enumerat: quòd simplex uictus, & animo musicam, id est moderationem, & corpori sanitatem, quæ roboris est pars, afferat: uarius autem & morbos, & intemperantiam. Intemperantia uerò, & morbis.) Ab euentis docetur intemperantiæ incommodum, quòd duæ artes ob eam in ciuitate necessariò inueniendæ fuerint, quibus nequaquam egebamus, medicina et iurisperitia: quarum altera corporis morbos ex intemperantia ortos, altera lites ex cupiditate rei familiaris excitatas pareret. Nam medicinæ est, corporum, iurisperitiæ, rei familiari consulere, non animo tantum, ut futiliter iurisconsulti arbitrantur. Quòd autem ob intemperantiam hæ duæ artes inuentæ sint, docet deinceps in ijs. Igitur malæ & turpis disciplinæ.) Ait enim, summum id esse intemperantiæ signum, lites habere, et apud iudices de iustitia agere, quam ab alijs requiramus, nec in nobis esse uelimus. Lites haberi, turpe Plato putat: quid si æternitatem causarum ac litium nostri temporis, tum iurisconsultorum fraudes, dolosq; nouisset? Absurdum præterea existimandum est.) Vt iurisperitiam ex hominum intemperantia, id est, auaritia, cupiditateq; ortam dixit: ita & medicinæ inuentionis eandem nunc causam reddit, quod nimio hominum luxu uarij, multiplicesq; morbi sint nati: præter illos, quos aëris intemperies, aut hominum uiolentia attulerit, qui quidem satis graues multiq; sunt. Quod autem naturales hi morbi non sint, ex eo cōfirmat, quód Aesculapij temporibus uulneribus ea remedia darentur, quæ obessent ualetudini: quam tamen eo modo lædi non putabant. Non quia si aduertis) Obiectionis tacitæ dilutio est. Id est, Non nego, medicos Aesculapij temporibus fuisse, qui uictus tenuitatem gymnasticenq; coluerint, qualis Herodicus fuit: sed tales, quales sunt hodie, minimè tunc erant. Male quidem affectus si paulo.) Vniformem uictus rationem & diætam semper tueri, noxium est: quód mutationes, quas non licet effugere interdum, periculosæ sint. Videbat in ciuitate optimé instituta.) Causam, cur princeps medicorum Aesculapius tam pauca de remedijs morborum retulerit, reddit: quód scilicet in ciuitate bene constituta non opus sit eo studio, quippe cum nemini liceat esse luxurioso, et uoluptario. Hic uituperat eos, qui leui quauis de causa medicum consulant, remediaq; quærant, cum uictus ratio mederi possit ijs melius quod ipsum in Timæo quoq; refert. Quod quidem modo quodam ridiculo.) Rationem reddit, cur nimium medicinæ studium noxium & inutile sit, cum ex intemperantia, mollicieq; nascatur. Diuites, inquit, si ægrotent, protinus languent, decumbunt, medicum accersunt, remedia multa quærūt, conqueruntur, anguntur, nunquam denique rectè ualere se putant at egeni, quibus labor manuarius uictum præbeat, si quando in morbum incidant, aut medicum negligunt, aut diu curari se non patiuntur: quód ne ægrotandi quidem ocium habeant, quod opificio suo sint intenti. Ex quo intelligitur, illos mollicie id quadam facere. & nimiam medicinæ, tuendæq; ualetudinis curam, uitiosam esse, ac superuacaneam. Phocylidem forté non audis) Cum nimium ægrotandi studium, ut sic dicam, in diuitibus damnarit, & omnino concluserit, aliud esse agendum potius, quàm ut mollicie luxuq; diffluamus: Phocylidis nunc poetæ testimonio ait, uni esse uirtuti dandam operam, eiq; incumbēdum: ideoq; nec diuitibus, nec cuiquam alij tantum curandis morbis tempus concedendum, ut necessarijs uitæ actionibus aliquid subtrahatur. Per

Iouem, inquit.) Socrati assentitur, atq; non minus hanc nimiam curationem inutilem esse, quàm gymnasticam, si quid necessarijs actionibus subtrahatur. quod ipsum Socrates deinde apertius & elegantius confirmat, his uerbis: Etenim rei familiari, & militari) id est, Qui ualetudini nimium dat operam, nunquam sibi uidetur rectè ualere, semper conqueritur, causas morbi omnes studijs literarũ ascribit. Hæc cum uideret, arbitror Aesculapium.) Quid ab Aesculapio medicorum parente additum arti medicæ sit, commemorat, ut antiquam hominum moderationem, quibus quoduis remedium erat satis, ostendat: & ut eundem Aesculapium hominum temperantiæ, sublata mollicie omni, cõsulere uoluisse tantùm, probet. Corpora uero penitus) id est, languentia porrò corpora, et morbida uel diæta curabat Aesculapius: uel deserebat, ne tempus in hominum luxu sanando tereret. Quod inde sequitur, filios.) Paterni morbi in filios etiam transfundũtur, cum semine: quia ut gignentis corpus est affectum, ita & semen, atq; ut semen, sic etiam foetus. Quanquam nobis Tragici & Pindarus.) Cum laudarit Aesculapij consilium de medicamentis morborum, refutat nunc poetarum quorundam sententiam, Aesculapium dicentium auarum hominẽ fuisse. Cuius rei causam adducit in ijs: Imò si Dei filius fuit.) id est, Aut Aesculapius Dei erat filius, aut non: Si erat, utique auarus non fuit, cum in Deos non cadat hoc uitium: ipsum autem Deum negare, impium est. Sed de hoc quid ais, ô Socrates.) id est, Quando in ciuitates ob intẽperantiam iudices ac medici inducti sunt, uideamus tandem, quales ij esse debeant: siquidem carere iam ijs non possumus. Medici quidem sufficientißimi.) Qualis futurus sit bonus, utilisq; Reipub. medicus, ostendit. Ab ijs autem intelligentiã, experimentumq; magnum requiri, idq; hoc argumento, quòd corpus à corpore curari nequeat, sed ab animo id est, cognitione, atq; intelligentia, quæ in animum cadat solũ. Quod autẽ se corpus nequeat curare, inde probat, quod quicquid malum sit, semper sit malũ, nec emendari nisi à bono poßit: corpus aũt ægrotum, seu malè affectum, deponere uitium nequeat per sese. Iudex autem, ô amice.) Qualis item causarum iudex esse debeat, quæritur, qui ipse medicus est quodammodo animi, & contagionum ciuilium. Huic etiam, sicuti medico, peritiam tribuit uitiorũ, ingeniorum, morumq; ciuium, ut medicinam ijs accõmodare conuenientem poßit. Quapropter modesti homines.) Iudici rudem quandã prænotionẽ ingeniorũ cuiusq; esse demonstrat, ut per se ipsi eodem modo reliquos hominum mores noscant deinceps. Illud aũt est quasi axioma quoddam, experimento comprobatum: iuuenes in uitio acutos, tanquam præcoci sapientia, stolidos esse postea: contrà uero, stolidos initiò, acutiores tempore fieri siquidem eius, experimentaq; ac imẽ paruisse, non ipsa natura tantum. Verùm enim uero.) Præter notitiam ingeniorũ à iudice tenendam, senectutem illi quoq; addit, quòd affectibus ætas illa careat, quorũ affectuũ uacuitas iudici necessaria est, ut rectè in Rhetoricis monet Aristoteles. Et bonus præterea, quod. Bonitatem, ut reliqua etiam, in iudice quærit Plato, idq; hoc argumento: Qui bono est animo, bonus est: Ergo & iudex, ut bonus sit, bono esse animo debet. siquidem animus talis est, qualiter sit affectus. Non ergo talem quærere oportet.) Complexio est præcepti, docentis, qualis esse iudex bonus debeat. Hic animaduerte, quanta sit medici ac iudicis similitudo, non tantum professione ipsa, sed etiam munere. Medicus enim morbos corporis, iudex animi uitia curat: ille morborum peritus, & intelligens cõstitutionis cuiusq; esse debet: hic ingeniorum, morumq; ciuilium doctus, uterq; probus et diligens, uterq; senex, aut saltem experimento peritus. Prauitas enim neq; se.) Probus nemo nascitur, nec malus, sed disciplina naturæ addita id facit: Ergo uirtus quæ illam animo disciplinam addit, est ea, per quam nosse debemus, quid mores, quid'ue ingenia hominũ poscant. Exercebit autem in gymnasijs.) Cum à proposito aliquantum digressus Plato, medicinæ ac iurisprudentiæ ortum, usumq; ostenderit: quia de gymnasticæ commoditate et salubritate ad corporis animiq; ualetudinẽ agere coeperat, nunc redit ad institutum. docetq; gymnasticen utilißimam esse custodum institutioni: non illam quidem athleticam, quæ agreste, robustumq; faciat corpus: sed alteram moderatam, & musicæ, id est temperationi adiunctã. cum enim fortitudo media sit inter animi molliciem, & ferocitatem, id est, inter metum et audaciam, ut ait Aristoteles lib 4. Ethic. atq; mollitiem sola musica, audaciam sola gymnastica efficiat: necesse profectò est, ut si fortis sit custos futurus, gymnasticæ musicã addat. id est moderatè sese exerceat, ne ad alterutrũ extremorum uitiosorum deflectat. Animaduerte, hic Platonem fortitudini mediocritatem tribuere, cum Aristotele ac Peripateticis. Quicunq; permittit, ut musica.) Musicæ solius incommode recenset, ijsdem effectu in musicis indicato: quòd ij molles, & inanes, incõstantes, eneruatiq; fiãt. Quod si quis gymnasticæ.) Solius gymnasticæ malum proponit, ut in musica fecit. Postquam hæc duo sint.) id est, Cum hæc duo uitia, mollicies nimia, & ferocia, ex musica gymnasticaq; sola oriantur: necesse est, ut duæ artes coniungantur. Non ad animum & corpus.) Musicam & gymnasticam requirimus à custode, non ut corpus nimis roboret, nec ut suauitate animum dissoluat: sed ut animum & corpus roboret simul, & moderetur. Eum igitur, qui pulcherrimè.) Hæc complexio sermonis de musica & gymnastica, quam in custodis institutione requirebat Plato. Magis quàm eum qui chordas.) Allegoria quadã dici, quæcunq; de musica sunt relata, hic intellige ex Platonis uerbis: cum musicam ille moderationẽ, gymnasticam exercitationẽ nominet: præter id quòd hæ duæ quoque artes pueris tradẽdæ sunt instituendis, ut Aristoteles etiam

teles etiam lib. 7. Polit. præcipit. Non'ne huiusmodi aliquo.) Post longum sermonem de musica et gymnastica, redit ad propositam custodum urbanorum institutionem: siquidem ea obiter dicenda fuere, quatenus ad illorum pertinebant institutionem. Choreas etiam huius generis) Id est, cũ eam musicæ partem, quæ cum gymnastica sit coniuncta, custodi tradamus: sequitur, ut cantiones, choreas seu saltationes, uenationem, atq; adeò illa omnia exercitationis genera illi præcipiamus, quæ cum musica, id est moderatione congruant. Pertinere autem ad institutionem iuuentutis, saltare, uenari, exercerióq; uarijs modis, Plato idem lib. 7 de Legib. docet. Quid nobis præterea distinguendum.) Diximus suprà, ciuitatis siue Reipub. iustitiam constare ex consensione partium eius omnium, sicut & uirtus ipsa iustitiæ Platonis sententia omnibus est uirtutibus colligata. Atque hactenus quidem institutionem custodum ciuitatis retulit, nunc ad præfectorum eiusdem formam uenit, ut his, tanquam duabus potissimus partibus explicatis, tota iusta ciuitas constet: siquidem ciues ciuitatis partes sunt, & sub nomine defensorum seu custodum ciuitatis omnes magistratus ad tuendam, conseruandam, augendamq; Rempub. pertinẽtes siue militares, siue urbanos, intelligere possumus: sub nomine autẽ præfectorum, eos omnes qui regẽdæ Reipub. curam habeant. Sed iam præfectorũ ciuitatis munera describit deinceps, sicuti paulo antè custodum. Constat quidem seniores) Primum præfecti munus est, ut senex sit, tum propter animi sedatos motus, tũ ob experimentum, peritiamq; maiorem. secundum est, ut Reipub. uelint, possintq; consulere, eandem'que ament, ut maiori studio in eam incumbant. Huiusmodi porrò rectores ex ipso custodum numero deligi uult, tum quòd ij rectè instituti sint, tum quòd in Reipub. muneribus ascendendum sit ab inferioribus gradibus ad superiores. Ergo non solùm ex custodibus sunt creandi rectores, sed accuratè etiam deligendi, ne falsa uirtutis specie aliquando decipiamur, accersamusq; auaros, & boni priuati studiosos homines, pro honestis, & Reipub. amantibus. Etenim hanc semper opinionem tueri boni debent magistratus, ut Rempub. semper ament, & iuuent, nec illam unquam deponant. Dicam tibi: uidetur mihi opinio.) Cum eam perpetuo opinionem rectores Reipub. habere uelit, ut ciuitati suæ consulant, nec eam unquam deponant: nunc, quibus modis deponi opinio aliqua soleat, ostendit, ut eam nulla prorsus ratione deponendam esse concludat. Ait itaq;, deponi opinionem omnem aut sponte, aut ui: sponte quidem, ut cum agnito errore quisq; deponit opinionẽ falsam ui, hoc est præter mentis, ueris semper assentientis consilium, & institutum: ut cum quis ueris refragatur, ueramq; prudenter sententiam negligit. Cum hi ergo duo modi opinionis deponendæ sint, quæritur iam, qua ratione rector opinionem de Republica semper iuuãda possit deponere, ut nullo pacto eam deponendam unquam intelligat. Non'ne putas bonis homines) Argumentum est huiusmodi, quo docetur, opinionem seu ueram sententiam de iuuanda Repub. nunquam deponi debere. Bonis priuari nemo cupit: bene opinari est bonum: ergo à bona seu uera opinione nemo sponte priuatur: aut si priuatur, malum id est. Idem secundò sic confirmatur. Opinio omnis tollitur aut surreptiõe, aut deceptione (quid autem sit utrunq;, deinceps explicatur) sed neutrum est bonum: ergo sentẽtiam mutari malum est: ideoq; iustus Reipub. rector nunquam erit adeò inconstans, ut Rempub. à se non iuuandam aliquando putet. Vel in hoc patiuntur.) uidelicet quòd deponunt opinionem. Tragicè porrò loqui.) id est, obscurè & inuolutè, Tragicorum exemplo, qui ut rem augeant, obscurant. Surripi enim opiniones.) Quid sit surreptio opinionis, definitione explicatur: sicut postea, quid sit deceptio eiusdẽ. Quod igitur nuper dicebam.) id est, Hac de causa dixi, rectores Reipub. nunquam deposituros eam opinionem de iuuanda Repub. quam habeant, ut ne inconstantes, uitiosiq; sint. Atq; is qui seruat illud memoriter.) Cum constantes uiros Reipub. dicat præficiendos, ex eo ait noscendam eorum constantiam, si opinionem de Republica iuuanda semel susceptam, nunquam deponant. Non ne secundum speciem illam.) id est, Danda erit opera, ne illã de Repub. sententiam rectores deserant, ne incõstantes sint, ne ue affectu errore'ue unquam fallantur. Sic iuniores terribilia.) id est, ut iniecto metu ac terrore experiri solemus, quali sit quisq; ingenio: sic oblatis difficultatibus, studium Reipublicæ & constans de illa opinio cognoscetur in aliquo. Ergo hoc utamur præclaro remedio, ad id noscendum. Atq; is qui singulis ætatibus.) Quo honore & munero sit habẽdus probus ille, constansq; Reipub. rector, delectus ex custodum numero, iam docet. Vt isti nolint, illi nequeant.) Tyrannidis & iusti imperij discrimen illud est, quòd alterum est nolentium, alterum uolentiũm: ergo Reipub. rector constans & iustus, qui custos illius dici etiam potest, is erit, qui amicos internos, id est, ciues suos parêre uolentes faciat, hostes cohibeat uel repugnantes. Quis autem modus erit) Suprà de mendacio quædã retulit, quæ ad hunc locum accõmodans, quatenus illud rectores ciuitatis deceat, ostendit. Sed Phœniciũ quiddam.) Fabuloso quodam exemplo, quod lib. item 2. de Legib. recitat, docet, quatenus mẽtiri liceat rectori ciuitatis. Quemadmodum, inquit, Phœnices è terra ortos se aiunt, ideoq; esse fratres inter se: sic Reipub. rectores aliquid interdum fingent ad ciues cohortandos ad uirtutem atque concordiam, eaq; ratione Principi licebit mentiri. Estis utique omnes tanquam.) Fabellam de Phœnicibus accommodat ciuitati suæ, docens eius rectores tale aliquid persuasuros ciuibus suis. Tria autem hic genera hominum enumerat, tresq; gradus, trium metallorũ exemplo: ut tres in Repub.

ciuium ordines suprà positos, diuersum in eadem locum habere ostendat: ita tamen, ut fraterno se amore complectantur, tanquam una ex terra uelut metalla ortos, qui unam habeát parentem, uniusq; sint generis. Quapropter ipsis principibus.) Munus rectoris seu principis boni ait esse, mentiri hoc modo ad Reipub. utilitatem. ut dignoscat ciuium tanquam filiorum gradus, ordinesq; tanquam metalla, & alios in alium ordinem ciuium releget pro ingenij natura, quæ tanquam metallum quoddam animo insitam sit itaq; perspiciat sine affectu ullo, quali sit quisq; ciuis ingenio: num sordido, an elato, an aliter affecto, illumq; conuenienti in Republica muneri præficiat. Habes'ne quo modo.) id est, Qua ratione principes mentiri possint, in fabuloso isto exemplo intelligo, inquit Glauco: quo autem pacto mentiri reliqui ciues possint, nondum intellexi. Hos terra genitos aemantes.) id est, Hos unius ciuitatis ciues, tanquam fratres, ex eadem regione ac parentibus ortos. alludit enim ad fabulam superiorem.

In unam cogemus ciuitatem.) Quo autem modo sit ciuitas ipsa ex ijs cõstituenda à rectoribus, docet deinceps. Profecti autẽ explorent, ubi'nam.) Rectorum ciuitatis iam institutorũ munus describit in fundanda ciuitate, cogendisq; in unum locum ciuibus illud autem in eo constituit primum, ut commodus ciuitatis locus, tanquam castra quædam, quæratur opportuna defensioni ciuiũ Hac etiam de re Aristoteles lib. 7 Polit. quædam retulit. Et quibus oportet sacrificarint) Ciuitatem coli sine auspicijs non uult, ut religionis semper cura habeatur. Tabernacula construant.) Id est, ædes extruant, mœnibus iam factis. Num huiusmodi qualia.) A fine ædificiorum ostẽdit, quales huius ciuitatis ædes esse debeant. Grauissimũ quippe omniũ.) Idem quod suprà de ædibus, ab officio custodum ostendit: Custodes, inquit, ut canes uigilantissimi, ciuitatem tuebuntur: nihilq; habebunt proprium, sed communia omnia, ne cupiditas addita robori eorum, lupos ipsos efferatos faciat. Ergo tales ædes habebunt, quæ tueri eos possint, nõ ad auaritiam incitare. Hoc quidem ô amice Glauco.) id est, illud potius statuimus, tum deinum custodes rectè institui, cum optimam uixerint disciplina: non si caueatur diligenter, ne quid proprij habeant. si enim bene sint instituti, sponte id ipsi agent. Inspice igitur an tali quadam ratione.) Cum ædes custodum minimè opulentas & communes debere esse dixerit, nunc ad bonorum communitatem tuendam uenit. Qua in re quatuor illa custodum officia constituit: primum, ut nihil proprij possideant: secundum, ut domum non habeãt peculiarem: tertium, ut necessario sint uictu contenti: quartum, ut nullum stipendium à ciuibus, nisi necessarium, reposcant. Conferentes autem se ad comessationes.) Aliqua inter custodes conuiuia publica esse uult, non inter ciues omnes, quod apud Lacedæmonios fiebat: quæ lib. 1. de Legib. Plato, & lib. 7. Polit. cap. 12. Aristoteles, non probãt. Dicendumq; est illis.) Exemplo Lycurgi, omnẽ Spartanis auaritiæ occasionem tollẽtis, in Repub. quoq; sua Plato custodes pecunia carere uult: idq; ipsis persuadet, propositis pecuniæ incõmodis omnibus. Horũ igitur omniũ causa dicamus.) id est, Cum hæc omnia ex eo nascãtur, quòd custodes aut opulẽtas habere domos, aut priuatas diuitias cupiãt, sit hæc illis ueluti lex cõstituta, ut ne quid peculiare habeãt, quod et ipsis et Reip. sit nocuturũ.

ARGVMENTVM IN LIB. IIII. PLATONIS de Republica.

SOcrates hic cum Glaucone disputat adhuc de ciuitatis institutione, ut ad eius tandem iusticiam inquirendam ueniatur. itaq; initiò de opibus, terminisq; urbis ipsius, quod ad finẽ superioris libri erat inceptũ, agit: tum de educatione, institutioneq; ciuium à tenera ætate: mox de contractibus eorundem inter se: postremo de toto genere uirtutis, ac partibus, quod ad iusticiæ inuestigationem pertinet. Deinceps autem ad susceptam de iusticia disputationem redit, ut inuestigata iam ciuitatis iustæ quasi forma, totam eius descriptionem perficiat. Hic speciatim de prudentia, temperantia, fortitudine, ipsaq; iusticia disseritur, quòd omnium uirtutum colligãtam Plato iusticiam esse arbitretur. Qua etiam de causa singulas uirtutes singulis in animi uiribus ueluti proprio in subiecto locat. itaq; ut ex ijsdem cõiunctis animã unam, sic ex omnibus uirtutibus unam facit uirtutem, quam iusticiam uocat. Hanc ipsam ita explicatam ciuitati deinceps accommodat, perq; omnes eas partes deducit, ut iustam quandam Rempub. cõstituat. Ergo ut diuersas esse uirtutes uno colligatas uinculo, diuersasq; unius animi uires, illarum uirtutum capaces esse dixit: ita diuersos in Repub. ciuium ordines ponit, quibus totidem uirtutes atq; animi uires respondeant: ex quorum omnium colligatione concordi iusta efficiatur Respublica.



IC Adimantus respondens: Quid ô Socrates, afferes, inquit, si quis te dicat nõ multum hos uiros beatos efficere, cũ tamen ipsi sint, quorum reuera est ciuitas: nihil autem ex bonis ciuitatis accipiant, quemadmodũ alij, qui & agros & magnificas domos, supellectilemq; huiusmodi domibus conuenientẽ possident, sacraq; dijs priuata faciunt, hospites excipiunt, quæ tu nunc dicebas, aurum & argentum adepti, & quæcunq; ad felicitatẽ conferre putantur: isti uerò tanquam auxiliarij quidam mercede conducti in urbe sedent, nihil agentes aliud quàm custodiam? Certè, inquam ego, ut qui uictum præterea solum recipiant, neq; mercedem ultra uictum, ut alij solent. Quocirca neque si proficisci priuatim aliò uelint, licebit ipsis: neq; quicquam scortis largiri, aut ad quæuis alia pecunias erogare, eorũ more qui beati putantur. Quę tu, & alia multa huiusmodi reprehensione digna prætermittis. Atqui, inquit Adimantus, sint & ista in accusatione comprehensa. Quæritur igitur, inquam, qua ratione defendamus superiora? Nempe istud quæro, inquit. Eandẽ, inquam, uiam illam ingredientes, inueniemus, ut arbitror, quæ sint dicenda. Dicemus porrò nihil mirum fore, si ita isti felicissimi sint. Non tamen ad hoc respicientes, constituimus ciuitatem, ut una aliqua nobis gens sit præcipuè felix, sed ut quàm maximè ciuitas uniuersa. Speramus enim in huiusmodi ciuitate iusticiam maximè inuenire: contrà uerò in ea quæ pessimè instituta esset, iniusticiam. Quibus inspectis, facilè nos quod iãdiu quærimus, iudicaturos existimarimus. Nunc sanè, ut opinamur, beatam fingimus, nõ ut pauci quidem in ea beati sint, sed ut ciuitas tota. Deinceps autem contrariam contemplabimur: quemadmodũ enim, si quis nos figuram hominis depingentes uituperet, quòd pulcherrimis animalis partibus non pulcherrimos etiam colores apponamus: oculi enim, pulcherrimum membrum non purpura, sed nigro colore essent depicti: decenter utiq; respondere uideamur, non oportere adeò nos pulchros oculos pingere, ut ne oculi quidem esse uideantur, ac neq; cætera membra: sed considerare debere, si singulis decorem suum attribuentes, totum pulchrum reddamus. Sic neq; nunc nos cogas, diceremus, ea custodes felicitate afficere, quæ illos quiduis aliud potius quàm custodes efficiat. Possemus enim & agricolas hortari, ut preciosissimo corporis cultu auroq; ornati, animi tantum gratia colerent terram: & figulos, ut à dextra discumbentes, atq; ad focum conuiuium celebrãtes, missa rota, quantum animo lubeat, figulinã exercerent: & alios omnes hoc modo beatos efficere, quo uniuersa ciuitas felix esset. Sed ne nos ita moneas. Porrò si tibi parebimus, neq; agricola, agricola erit, neq; figulus, figulus, neq; ullus alius formam habebit eorum ex quib. fit ciuitas. Sed aliorum quidem ratio leuior. Sutores enim facti deteriores, deprauatiq;, & simulãtes id esse quod non sunt, ciuitati nihil inferunt graue. Custodes autem legum & ciuitatis si non sint, sed appareãt, uidésne ut omnem ciuitatẽ simul perdant? Rursusq; custodes ipsi bene eam constituendi, beatamq; reddendi soli opportunitatem habent. Quamobrẽ si ueros ciuitatis custodes quærimus, minimè eos eligere debemus, qui noceant ciuitati. Qui uerò illud didicit, & agricolas nõ tanquam in ciuitate, sed tanquam in festa quadam celebritate discumbentes felices facit, aliquid certè aliud quàm bonũ considerat ciuitatis. Videndum igitur, utrum ad hoc respiciẽtes custodes constituamus, ut quàm maximè felicitate abundent: an potius totius ciuitatis rationem habeamus, ut tota sit felix: auxiliarios autem istos atq; custodes cogere & persuadere deceat illa fa

cere, ex quibus optimus sit sui quisq; operis artifex, cęterosq; omnes similiter. Atq; ita uniuersa aucta ciuitate, recteq; instituta, sinendũ ut singuli quatenus cuiusq; natura capax est, beatitudinis sint participes. Probè, inquit ille, mihi loqui uideris. An & quod huic est proximũ, inq; ego, uidebor tibi rectè dicere? Quid maximè? Contemplare, nunquid ista cæteros quoq; artifices ita corrumpant, ut praui sint. Quæ'nam ista? Diuitiæ uidelicet, & paupertas. Qua ratiõe? Ita. Figulus diues factus, uidet' ne tibi ulterius curam suæ artis habere? Minimè. Pigrior certè, negligentiorq; reddetur. Valde. Quare & deterior figulus. Et istud. Rursus autem, si propter inopiam instrumentis & reliquis quibus indiget ars, careat, & opera ipsa deteriora faciet, & filios ac cæteros quoscunque docebit, deteriores artifices reddet. Quid ni? Ex utrisque igitur tam opulentia q; paupertate, & praua artificum opera, & praui artifices ipsi fiunt. Sic apparet. Alia ergo quædã inuenimus nostris custodibus obseruanda, ne ipsis inscijs in ciuitatem irrepant. Quæ'nam ista? Opulentiam, inquam, & inopiam. Illa siquidem delicias, desidiam, seditiones, rerum nouarum studium parit: hæc autem cum rerum innouatione illiberalitatẽ, & maleficia gignit. Sic est prorsus. Verum tamen o Socrates, animaduerte quæso, quo pacto nostra hæc ciuitas, cum pecunijs careat, bellũ gerere poterit, præsertim si quãdo aduersus amplam opulentamq; ciuitatem arma capere cogetur. Constat uniq;, q; aduersus unã difficile, sed aduersus duas tales, certè facilius. Quomodo istud ais? Quod æquum est utique dico. Principiò si committenda pugna est, non' ne hi bellicis rebus exercitati, aduersus diuites pugnabunt? Fateor equidem istud. Quid uerò Adimante? Vnus pugil optimè ad hoc instructus, nónne contra duos huius facultatis ignaros, diuites insuperac pingues, uidet' tibi facilè pugnaturus? Haud fortè simul. An fortè, neque etiam si licuerit, subterfugiendo eius qui primus inuadit, ictus euitare, deinde subita conuersione cum cędere. Quin si sæpius in sole & æstu id egerit, plures huiusmodi homines uir talis subiget. Nempe nihil mirum. An non putas diuites pugilum artis plus usu & noticia consequutos esse, quàm bellicæ? Equidem. Facile itaq; athletæ nostri, ut consentaneum est, cum duplis triplisq; ipsorũ certabunt. Id quoq; admittam. nam probè loqui uideris. Quid si missam in ciuitatem aliam legatione, uera dixerint: quod nos quidem auro & argento non utimur, neq; nobis fas est: uos ergo bellum nobiscum gerentes, quæ alij possident, habetote: censes uerò aliquos his auditis, contra canes duros aptosq; pugnare malle potius, quàm unà cum canib. huiusmodi contra pingues oues, ac molles? Haudquaquã mihi uidet'. Verùm si in ciuitate una cæterorum pecuniæ cumulẽtur, caue ne minus pecuniosæ periculum inferat. Beatus es, quandoquidem putas decens esse aliam quandam appellare ciuitatẽ, quàm talem, qualẽ ipsi constituimus. Quid prohibet? Ampliorem appellationem exigũt aliæ. Nam quæq; illarũ, ciuitates multę sunt, non ciuitas: ut his, qui, quod prouerbio dicitur, ciuitates ludunt. unaquæq; sanè duæ est saltem, inuicem dissidẽtes: una quidem pauperum, diuitum altera. Rursusq; in utraq; istarum permultæ: quibus, si ut uni intendas, penitus aberrabis: sin ut multis, tribuẽs ea quę aliorum sunt alijs, tam pecunias quàm potentias, aut & ipsos præterea, socijs auxiliatoribusq; semper multis utẽris, hostib. aũt paucis. Et quatenus ciuitas ita ut nuper ordinata est, temperata existet, maxima erit. Non opinione, inquam, sed reuera maximam fore, etiamsi mille duntaxat propugnatoribus constet. Ita enim magnam, ciuitatem unã haud facilè uel inter Græcos, uel inter Barbaros quãdoq; reperies: quæ tamen huiusmodi ciuitate multo maiores uideant' multis, inuenies. An aliter sentis? Non aliter, per Iouem. An non hic igitur pulcherrimus erit

nostris

nostris principibus augendæ ciuitatis terminus, cui cum tanta fuerit, tantam regionem tribuere decet, reliquam autem dimittere? Quis nam terminus? Arbitror equidem, quousq; adaucta ciuitas una permaneat, eousq; augendam esse, non ultrà. Præclarè. Hoc præterea præceptum custodibus seruandum mandabimus, ut nec parua ciuitas, nec magna uideatur esse, sed una atq; sufficiẽs. Atqui leue quid forsan illis pręcipiemus. Est istud leuius pręterea, cuius in superioribus mentionẽ fecimus, cum diceremus, oportere siue quis custos ignauus nascat̃, ad alios mittere: siue ex alijs probus, ad custodes ipsos trãsferre. In quo planè ostendere uolebamus, quòd & aliorũ ciuiũ unumquenq; ad unum id opus duntaxat, ad quod natura est aptus, ducere decet, ut quisq; unũ aliquod suũ opus exercens, non multi, sed unus existat, atq; ita ciuitas tota una fiat, nõ multæ. Est hoc etiam illo minus. Haudquaquam, ô bone uir Adimante, hæc multa ac magna, ut existimaret aliquis, illis præcipimus: sed leuia omnia, exiguaq;, si unum, ut dici solet, magnum seruent: immò uerò pro magno, sufficiens. Quid istud? Educationem, inquam, & eruditionem. Nam si bene educati, uiri moderati euaserint, facilè omnia ista discernẽt, tũ alia quotcunque nos in præsentia prætermittimus, tum mulierum uirorumq; cõiunctiones, & procreationes filiorum, quòd uidelicet oporteat amicorum omnia hæc, secundum prouerbiũ, quàm maximè esse cõmunia. Rectissimè profectò ita fieret. Etenim Respublica si semel cœperit bene, progreditur tanquã circulus semper proficiens. Quippe educatio eruditioq; bona seruata, ingenia quoq; bona efficit. Rursusq; bona ingenia educationem huiusmodi consecuta, meliora etiã quàm prius euadunt, tum ad alia, tum ad filios generandos, quemadmodum in cæteris animalibus. Consentaneum id quidem. Deniq;, ut summatim dicã, hoc diligenter est à ciuitatis tutoribus obseruandum, ne clàm illis ignorantibus corrumpatur. Immò istud in primis curent, ne quid præter ordinem à nobis datum circa gymnasticam et musicam innouet̃: sed illum, quàm maximè fieri potest, quisq; sequatur. Et cum dixerit aliquis poeticum illud, homines uidelicet nouis cantibus admodum delectari, metuere debent isti custodes, ne sępenumero poetã quis putet non cantilenas nouas, sed modos canendi nouos dicere, eosq; laudet. Oportet autem neq; laudare quicquã tale, neque suspicere. Cauendum sanè speciẽ musicæ nouam inducere, tanquam in toto naufragium. Nusquam enim musicæ modi mutantur, absq; maxima tũ legum ciuilium mutatione: ut ait Damon, cui & ipse assentior. Me quoque scito, ô Socrates, assentiri. Arcẽ igitur quandã custodiæ gratia, hi ipsi custodes circa musicã struere debẽt. Nempe eiusmodi præuaricatio clàm ac facilè surrepit. Certè ioci cuiusdã instar, atq; ita ut nihil lædere uideat̃. Atqui paulatim nobis familiaris effecta, sensim in mores serpit, & studia: ex his deinde ad commercia emergit amplior: demum à cõmercijs in leges respublicasq; erumpit magna, ô Socrates, cum petulantia atque lasciuia, quousq; tandem priuatim ac publicè cuncta peruertat. An hoc ita se habet? Ita mihi uidet̃. Ergo, ut à principio diximus, statim à primis annis pueri honestis in iocis assuefaciendi sunt. Nam si iocis minus decẽtibus assuescant, nunquã legitimi probiq; uiri euadere poterũt. Quid ni? Quãdo itaq; bene incipientes pueri iocari ac ludere, legitimum per musicam morem imbibunt, in contraria his omnino ac superioribus musica tendit, atq; prosequitur erigere si quid antea in ciuitate iacebat. Vera loqueris. Quæ igitur exigua uidẽtur esse ciuitatis instituta, ut dixi, hi reperient, quæ superiores omnia perturbabãt. Qualia? Hæc uidelicet. Quemadmodũ tacere debent coram senibus iuniores, cedere illis locum atq; assurgere, parentes colere: quis tonsuræ modus seruandus cuique, quibus uestibus calceis'ue

ceris ue utendum, et omnino quis corporis ornatus conueniat, ac cætera generis eiusdem. An non putas? Equidem. Atqui legibus hæc præscribere, ineptum, ut arbitror, uideretur. Nam neque id usquam fit, neque constarent hæc uerbis literisq; mandata. Quo modo enim? Apparet itaq;, ô Adimante, quale cuiusq; fuerit puerilis educationis initiũ, talia fore etiam quę sequuntur. An non simile semper simile prouocat? Cur non? Ac tandem dicendũ id est, in unum aliquod summũ & potens, siue bonum, seu malum desinere. Quid prohibet? Hæc equidem ratione nunquã statuere legibus hæc contenderem. Et meritò quidem. Dic per deos, nunquid negotia ipsa forensia mutuaq; commercia & pacta in mechanicis artibus, itẽ conuicia & uerbera, citationes in iudicia, constitutiones iudicum, & si qua uel circa forum, uel portus, aut imponenda aut exigẽda sunt uectigalia, uel omnino forensia quæq; iura, uel urbana, uel naualia, & reliqua id genus: an hæc, inquam, uel horum quicquam legibus constituere aggrediemur? Haudquaquã decet uiris bonis præclarisq; præcipere. Hæc enĩ plurimũ, qualia & quo modo statuenda sint, facilè ipsi reperient. Nimirum, ô amice, si Deus illis legum illarum quas suprà posuimus, salutem præstiterit. Sin minus, ita uitam ducẽt, ut multa eiusmodi legibus statuãt, corrigantq; semper, & innouent, putantes ita se quod est optimum assequi. Dicis nempe, istos perinde uicturos, ac illos qui cum ægrotent, propter intemperãtiam insalubrem uictum mutare nolunt. Sic prorsus. Enimuerò ridiculo quodã modo isti in morbis perseuerare uidẽtur: curationibusq; suis nihil aliud assequuntur, quàm quod plures uehementioresq; morbos efficiunt: confiduntq; semper, si quis pharmacis agi consulat, bene se ualituros. Omnino tales sunt ita laborantiũ morbi. Quid uerò? nónne hoc in illis gratiosum? quod omnium inimicissimũ eum putent, qui uera monet, dicitq; nõ prius pharmaca, ustiones, incisiones, incantationes, eáue quæ extrinsecus admouentur, aut eiusmodi aliqua profutura, quã desinat quis ebrietati, uoragini, ueneri, ocio indulgere? Haud admodũ gratiosum istud. Nam indignari aduersus eum qui utilia consulit, gratiam habet nullã. Ergo uiros huiusmodi, ut uideris, nequaquam probas. Minimè per Iouem. Neq; etiam si ciuitas tota id agat, quod modò dicebamus, laudabis. An nõ idem quod isti, facere tibi ciuitates uidentur, quæcũque malè institutę, ciuibus interdicũt, ne totum ipsum Reipub. statum moueant: alioquin capite damnẽtur, quicunq; res innouant? Contrà quisquis præsentem gubernationẽ approbat, confirmatq;, uoluntatesq; gubernantium aucupatus assentit, suffragatur, & explet, hic demum bonus uir, hic in rebus maximis sapiens, hic honore dignus existimetur? Idem prorsus facere mihi uidentur, neque ullo pacto huiusmodi respublicas laudo. Quid autem? nónne eorum fortitudinẽ, propensioremq; affectũ miraris, qui has ciuitates curare cõtendũt? Admiror equidem: his exceptis, qui ab ipsis falluntur, putãtq; reuera ciuiles esse, quòd uulgò laudentur. Quid ais? An non istis ignoscis? Nũquid existimas, eum qui metiendi sit ignarus, si quando cęteri multi tales quadricubitũ esse eum prędicent, effugere posse, quin & ipse de se idem existimet? Non istud quidem. Ne igitur ægrè feras. Sunt enim hi quidem omnium modo quodam ridiculo gratiosissimi, qui leges ferũt in his quæ diximus, emendãtq; semper, confidentes se finem aliquem reperturos circa ea quæ iniquè in commercijs cõmittuntur, & circa illa quæ ego paulo antè dicebam, ignorantes quod reuera tanquam hydræ capita amputãt. Certè nihil aliud faciunt. Equidem speciem hanc institutionũ circa leges ac Respub. arbitror uerũ conditorem legum, neq; in malè disposita, neq; in bene cõstituta ciuitate curiosè tractare: in illa quidem, quoniã inutilia sunt huiusmodi instituta, neq; mouẽt quicquam:

quamuis hac antem, quia partim quisque reperiet, partim suapte natura ex superioribus studijs proficiscuntur. Quid præterea restat nobis lege præcipiendum? Nobis quidem nihil. Apollini autē Delphico maxima, præclarissima, prima instituta. Quæ'nam ista? Templorum cōstitutiones & sacrificia, cæteriq; deorū & dæmonum atq; heroum cultus, sepulchra præterea & funera defunctorū, & quæcunque sunt ad eos placandos ministeria subeunda. Talia profectò neq; ipsi scimus, & in ordinanda ciuitate nulli credemus alteri, si sapiemus: nulloq; alio utemur interprete, nisi patrio Deo. Hic nempe Deus in rebus huiusmodi cunctis hominibus patrius interpres, in media terra super umbilicum sedēs, exponit. Recté loquens, atq; ita agendum. Constituta iam tibi, ô Aristonis fili, sit ciuitas. Deinceps autem & luce aliunde magna illata, per eam & ipse circūspice, & fratrē aduoca tuū, & Polemarchū, & alios insuper, ut experiamur si quo pacto iusticia & iniusticia ubi locorū sint, uidere queamus: quóue inter se discrepēt, atq; utrū horum cōsequi debeat is qui beaté uicturus sit, siue lateat, siue non lateat deos omnes & homines. Nihil, inquit Glauco, agis ô Socrates. Tu enim inuestigare pollicitus es, quasi impium futurū sit, si nō pro uiribus fueris suffragatus iusticię. Vera admones, inq; ego, & ita certè agendū. Oportet tamē & uos mihi adesse. Sic agemus, inquit. Spero itaq; hac ratiōe id inuenire. Nēpe arbitror ciuitatē, si rectè nobis fuerit cōstituta, absolutè bonā existere. Necesse est. Constat utiq; q̃ sapiens est, fortis, & temperata, & iusta. Constat. Quocunq; horū in ciuitate comperto, reliquū erit q̃ nondū inuentū. Quid ni, inquit? Si ex alijs quibusdā quatuor, unum aliquid in subiecto aliquo inquireremus, illudq; primò pateret, satis nobis esset factū: quod si tria reliqua prius comperiremus, ex hoc ipso quæsitū cognosceremus, quia cōstaret nihil esse aliud q̃ quod restaret. Probè loqueris. An nō de istis etiam, quandoquidē quatuor sunt dūtaxat, eodē modo quærendū? Planè. Atqui ex his omnib. prima in ciuitate sapiētia præfulgere uidet, aliquid'ue mirandū circa ipsam apparet. Quid'nā? Sapiēs mihi reuera ciuitas, quam descripsimus, esse uidetur. Nam consulta est. Nónne? Est profectò. Etenim hæc ipsa in consilijs perspicacia, scientia quædam est. Non enim inscitia, sed scientia potius homines bene consulunt. Perspicuum id quidem. Multę uerò ac uariæ in ciuitate scientiæ sunt. Sunt. Nunquid propter ipsam fabrorum scientiam, sapiens & bene consulta ciuitas appellanda? Nullo modo propter istam, sed fabrilis. Non ergo sapiens appellanda est ciuitas, ex eo quòd propter fabrilē scientiā de operibus ligno conficiendis, qua ratione peragantur, bene consultet. Non certè. An non forté propter scientiam, quæ æreæ opera fingit? uel aliam talem? Certè propter nullam huiusmodi. Neq; etiam propter scientiā consiliumq; fructuum ex terra producendorum colligendorumq; sapiēs nominatur, ac bene cōsulta, sed agricolaria. Sic opinor. Quid uerò? Est'ne aliqua scientia in ciuitate nuper à nobis cōdita, apud ciues ullos, qua nō de re aliqua in ciuitate, priuata deliberatur, sed de uniuersa potius ciuitate, qua ratione & ipsa ad seipsam & ad alias ciuitates optimè sese gerat? Est nimirū. Quę'nā hęc, et in quibus? Ipsa scilicet custodiēdi diligētia, & in his principibus, quos modò custodes perfectos appellabamus. Propter hāc ergo sciētiam, quo nomine ciuitatē nuncupas? In cōsultando perspicacē, ac reuera sapientem. Utrum plures in ciuitate fabros ærarios, quàm ueros hosce custodes esse putas? An contra? Multo certè plures ærarios fabros. An'non & reliquorum omniū artificum, quicunque aliqui esse dicuntur, isti paucissimi erunt? Paucissimi admodum. Ergo ex minima quadā gente, suiq; parte, & ex scientia quæ in præsidente & principe parte inest, tota sapiēs erit secūdum naturam ciuitas instituta: atq;

id, ut uidet, natura paucissimū rarissimum'ue genus, cui cōuenit esse huius scientiæ particeps, quam solam ex omnibus alijs decet sapiētiam appellare. Verissima narras. Hoc itaq; unum ex quatuor, non uides qua ratione inuenimus? Et ipsum. Et qua sit ciuitatis in parte locatum? Mihi quidem sufficienter uidetur inuentū. At uerò neque inuentu difficile est, quid fortitudo sit, qua'ue ciuitatis in parte locetur, propter quam fortis ciuitas nuncupatur. Quo nam pacto? Quis nam ad aliud quicquam respiciens ciuitatem uel timidam, uel fortē nominat, quàm ad eam partē quæ pro ipsa pugnat ac militat? Certè nullus ad aliud. Neq; enim alij in ipsa uel timidi, uel fortes existentes, autoritatē habent, qua eam uel timidam, uel fortem reddant. Non certè. Fortis igitur ex parte sui aliqua ciuitas erit, ex eo quòd in ea uim quandam habeat, quæ ratam in omnib. seruat opinionem, quòd ea duntaxat terribilia sint, & talia, quæ & qualia legislator in eruditione pronunciauit. An nō hanc fortitudinem uocas? Non satis quod dixisti, percepi: dicas iterum. Conseruationem quandam fortitudinem esse dico. Quam conseruationem? Opinionis uidelicet, lege per educationem cōceptæ, qua iudicantur quæ terribilia sint, & qualia. In omnibus autem eam conseruationē esse dixi, hoc est, ut rata semper & ubiq; seruetur, siue quis doloribus afficiat, seu uoluptatibus aut cupiditatibus, aut timoribus, nec ullo pacto quis propter hęc ab ea dimoueatur. Cui autem simile esse id arbitror, si uis tibi aperiam. Cupio equidem. Nescis, quòd fullones, quoties uolūt lanas purpureo colore inficere, primò quidem ex tot coloribus album eligūt, deinde non mediocri opera preparāt, ut quàm maxime florem suscipiant, atq; ita demum colore inspergūt purpureo. Quod autem ita est tinctum, indelebile permanet, neq; sola aqua dilui, neq; etiam additis his purgationibus, quæ ad abstergendam pertinent, aboleri flos ille coloris potest. Quæ autem non ita præparata sunt, scis qualia euadāt, seu alijs coloribus, seu istis tingat aliquis, cum minus antea excoluerit? Certè deformia sunt, coloresq; eorū facilè diluuntur. Tale aliquid facere studuisse nos pro uiribus cogita, quando milites ipsos eligebamus, eosq; & in musica & gymnastica erudiebamus: atq; existima nihil nos aliud excogitasse, quam ut nobis quàm optimè persuasi leges instar coloris cuiusdam imbiberent, adeò ut eorum opinio de rebus terribilibus, deq; cæteris omnib. immobilis perseueret, ex eo quòd optima natura geniti fuerint, & decenti educatione nutriti: neq; colorationem eorum delere ualeant purgamina ista ad diluendum uehementissima, uoluptas scilicet omni saponis acrimonia, aluminisq; & calcis ad expurgandum acrior, dolor item, metus atq; cupiditas omni alio purgamine ad abstergendū potentiora. Hanc utiq; uim passim rectæ legitimæq; opinionis conseruatricem circa terribilia, eorumq; cōtraria fortitudinem uoco equidem atq; assero, nisi tu fortè quid aliud dixeris. At ipse nihil aliud. Videris enim, opinionem eandem de eisdem absq; disciplina conceptam, ferinam uidelicet et seruilem, haudquaquam existimare legitimam, sed aliud quiddam quàm fortitudinē nuncupare. Verissima loqueris. Admitto igitur hanc fortitudinem esse. Intellige insuper & ciuilem, atq; ita rectè accipies. Deinceps autem de hac, si uolueris, aliàs diligētius pertractabimus. In præsentia uerò non illud quidem, sed iusticiā quærebamus. Ad cuius inuestigationem satis de hac, ut arbitror, dictū. Præclarè loquens. Duo restant præterea in ciuitate considerāda: tēperantia scilicet, & cuius gratia omnia indagamus, iustitia. Prorsus. An quoquo modo iusticiam iam ipsam reperire potuimus, ne rursus in inuestigāda temperātia immoremur? Haud uideo equidem qua ratione id fieri possit, quin neq; uellem prius nobis iustitiam innotescere, quàm temperantiam considerauerimus. Quare si mihi obsequi uis, prius hoc quàm il-

lud

lud inuestigato. Volo equidē, ne sim iniurius. Inquire iam. Ecce perquiro, atq; ut hinc intueri licet, consonantiæ & harmoniæ magis quàm superiora similis est. Quo pacto? Ornatus quidem est temperantia, & à uoluptatibus cupiditatibusq; quibusdam, ut perhibent, abstinētia. Dum uerò temperatum hominem seipso potentiorē, suiq; uictorem nescio quo modo esse dicunt, & quædam similia, tanquā uestigia nonnulla temperantiæ signant. An non? Maximè omnium. Nónne quod seipso potentius nuncupatur, ridiculū quodammodo apparet? Quisquis enim seipso potētior, seipso quoque imbecillior erit: rursusq; qui imbecillior, & potentior. Idem quippe aliquis in his omnibus appellat? Quid ni? Atqui uidet mihi id uelle sibi hic sermo, quòd in hominis anima duo quædam sunt: unum quidem melius, alterū uerò deterius. Et quando quod natura melius deteriori dominat, tunc aliquis seipso potentior dicitur, atque hoc sermone laudat. Quoties autem propter improbā nutritionem, uel cōsuetudinem aliquam, quod est melius, quum minus ipsum sit, deterioris multitudine superatur, hoc ex opprobrio quodam seipso imbecillius dicitur: & qui ita affectus est, intemperans appellatur. Sic apparet. Contēplare hanc nuper à nobis conditam ciuitatem, inuenies q; ipsi alterum horū inesse. Potentiorē quippe ipsam seipsa iure uocatā fateberis. Nam si melius in ea peiori imperat, temperata dicenda est, & seipsa melior. Contemplor equidem, ac uera loqueris. Enimuero plurimas uariasq; cupiditates, uoluptates, dolores, in his omnibus reperire maximè quisq; poterit, mulieribus et ministris, & eorum qui liberi esse dicunt in ipsis plebeijs abiectisq; hominibus. Omnino quidem. Simplices autem & moderatas, quę cum mente & opinione recta, ipsa ratiocinatione ducūtur, in paucis sanè reperies, & his quidem natis optimè, & optimè educatis. Vera hæc sunt. An non hæc in ciuitate hac esse uides, atq; hic cupiditates uulgi uulumq; personas superatas à cupiditatibus & temperantia paucorū modestorumq; uirorū? Cerno equidem. Siqua igitur ciuitas potentior cupiditatibus & uoluptatibus, atq; item ipsa seipsa, hæc maximè talis appellāda est. Prorsus. Itaq; nónne iusta hęc omnia, & temperata? Maximè. Atqui si in nulla alia ciuitate tam subditis quàm imperantibus opinio, quibus deferre potissimum imperium deceat, hæc inest, in hac præcipuè inesse oportet. an nō ita censes? Magnopere istud quidem. Quibus itaq; potissimum ciuibus inesse temperantiā dices, quoties sese ita habuerint? in principibús ne, an in subditis? In ambobus quodāmodo. Cernis, quàm aptè uaticinati sumus paulo ante, harmoniæ cuidam esse similem temperantiā? Cur nam? Quia non quemadmodum sapientia & fortitudo in partibus quibusdam iacentes, illa quidem sapientem, hæc fortem efficit ciuitatē, ita modestia quoque: sed instar harmoniæ quæ diapason dicitur, per totam ciuitatē diffunditur, efficiens ut in idem debiliores homines fortioresq; & medij, prudentia, potentia, multitudine, pecunijs itē aut alio quodā huiusmodi cōsonent. quapropter rectissimè possumus temperantiā hanc appellare concordiam, deterioris uidelicet & potioris secundum naturam consensionem, quæ doceat, quem uel in ciuitate, uel in unoquoq; cōueniat dominari. Assentior equidem. Cum ita sit, nra iam nobis in ciuitate comperta sunt, ut ex his apparet. Reliqua uerò species, propter quā præterea uirtutis particeps ciuitas esset, quænam erit? Constat hanc esse iusticiam. Constat planè. Nunquid iam nos oportet, ô Glauco, tanquam uenatores hunc cespitem circundare, circumspicientes ne qua ex parte iusticia subterfugiat, & ab oculis euanescens, sese occulat? Patet enim hic esse. Fige itaq; passim intuitū, atq; annitere si quo modo possis prior me, eam cernere, ipsamq; mihi ostendito. Vtinā possem. Verùm satius me ite ris ut tali quodam comite, qui possim

demonstrata prospicere. Sequere igitur, mecum Deum antè precatus. Et faciam quod mones, ducas modò. Inaccessibilis hic locus, atque umbrosus esse uidetur: abdita certè, imperscrutabilisq; latebra. Verumtamen pergẽdum est. Pergendum planè. Hic ego Glauconẽ inspiciens: Hui hui, inquã, mi Glauco, uidemur uestigia quędam eius quod quærimus, nacti: apparetq; istud haud diu nos effugiturum. Faustus certè nuncius. Quàm molles hebetesq; sumus, ô Glauco. Quid istud? Iampridem nobis ab ipso principio, uir beate, quod quærimus, ante pedes uolutũ, neq; ipsum inspeximus: sed æquè ridẽdi fuimus, ut illi qui sępe quod in manibus habent, perquirũt. Nos quoque longè petebamus, quod prope nos erat, uel fortè nos latuit. Quomodo istud ais? Ita. Nẽpe uidemur mihi, dicentes istud pridem & audientes, haud quaquam animaduertisse, id quoquo modo nos dicere. Prolixum sanè procemium, audire cupienti. Attende si quid dico. Nam quod principiò passim statuimus faciendũ, cum ciuitatem cõdidimus, id est, ut arbitror, uel species quædam ipsius, iusticia. Nam diximus sæpenumero, si recordaris, unumquenq; oportere unum aliquid exercere eorum quæ ciuitati conducant, ad quod ipsius natura esset aptissima. Diximus proculdubio. Etenim quod sua agere, neq; in alienis curiose occupari, iusticia est, & ex alijs multis audiuimus, & sæpe ipsi diximus. Diximus planè. Hoc utiq; uidetur amice, cum sit, quodammodo iusticia esse, sua scilicet agere. Scis unde istud coniiciam? Nequaquam. sed dicas. Videtur mihi, quod reliquum nobis est in ciuitate, præter illa quæ cõsiderauimus, temperantiã, fortitudinẽ, prudentiã, hoc esse quod omnibus illis uim præbuit, qua & innascerentur, & innata perseuerarent, quatenus ipsum adest. Atqui diximus iusticiam fore quod restaret, si tria nobis comperta essent. Necessarium id quidem. Veruntamẽ si iudicandum sit, quid horum potissimũ cum inest, bonam efficit ciuitatem, ambiguum erit, utrum consensio imperantium & subiectorum, an legitimæ opinionis seruatio in militibus, iudicantis secundum legẽ quę terribilia censenda sint, quæ'ue non: uel in principib. ipsis prudentia & custodia. An id potius bonã ipsam præ cæteris reddat, cum inest pueris, mulieribus, seruis, liberis, artificibus, magistratibus & priuatis, quod uidelicet suum quisq; unus unum egerit, minimè per aliena uagatus. Ambiguum certè. quid ni? Ergo uis ipsa, sua qua quisque in ciuitate agit, de ipsius ciuitatis uirtute ex æquo cum sapientia eius, temperantiaq; & fortitudine certat? Valde. An non igitur iusticiam pones, quod cum istis ex æquo de ciuitatis uirtute concertat? Omnino equidem. Considera præterea & hac ratione, nunquid tibi sic uideatur. An principibus in ciuitate mandabis, ut iustè sententias ferant? Cur non? An iudicabunt, alterius cuiusquam auidi magis q̃ huius ipsius, ut singuli neq; usurpent aliena, neque suis priuẽtur? Non alterius certè, sed istius duntaxat. Tanquam id iustum sit? Nempe. Et hac quoque ratione asseritur, sui cuiq; & proprij possessionem actionemq; esse iusticiam. Est ita. Vide, nunquid & tibi idem quod mihi uideatur. Si faber opera coriarij aggrediatur, uel coriarius fabri, uel instrumenta inter se cõmutent, uel præmia, aut si idem utraque exercere contendat, omniaq; talia inuicem permutentur, nunquid commutationẽ hanc existimas magna quadam iactura afficere ciuitatem? Haud certè nimium. Quoties autẽ aliquis artifex, uel alius natura quæstuarius, diuitijs elatus, uel multitudine copiaq;, uel robore, aut eiusmodi alio quopiam, in militaris hominis ordinem trãsire conatur, uel miles cum sit indignus, in consularis nititur & custodis ascendere dignitatem, & instrumenta uicissim isti, præmiaq; permutant, aut idem aliquis hæc omnia simul peragere tẽtat, tunc arbitror confusionem peruagationemq; eiusmodi uideri tibi ciuitatis totius interitum,

tum. Et maximè quidem. Cum ergo tria in ciuitate sint genera, horum confusio, alteriusq; in alterum commutatio, extrema ciuitatis calamitas est, & maxima corruptela. Penitus. Corruptelam uerò summã ciuitatis tuæ, nónne iniusticiam esse dices? Quid ni? Hoc igit iniusticia est. Rursus autẽ sic dicimus. Quæstuarij, auxiliarij, cõsularis generis actio propria, unoquoque suum opus peragente in ciuitate, contrà ac confusio illa superior, & iusticia erit, & ciuitatẽ iustam efficiet. Haud aliter quàm sic, se habere uidet. Nondum omnino istud debemus asserere. Verùm si & in cuiusq; hominis animo species eadem considerantibus nobis iusticia esse asseueretur, tum demum consentiemus. Nam quid aliud dixerimus? alioquin tunc aliud quicquã excogitabimus. Nunc autem disceptationi huic finẽ iam imponamus, secundam quam existimauimus, si plurium habẽtium iusticiã in maiori prius eam contemplaremur, facilè deinde in homine uno nos, quale hoc sit, inspecturos. Visumq; nobis est maius ipsum, ciuitatem existere, atque ita quàm optimam potuimus eam cõdidimus, scientes in bona republica inesse iusticiam. Quare quod in illa nobis apparuit, referamus ad unũ: & si idem ibi constet, satis nobis erit factum. Si quid autem aliud in uno appareat, rursus ad ciuitatem conuersi, hæc examinabimus: ac fortè alterna comparatione disceptantes, uelut scintillas, ex his iusticiam excutiemus, eamq; iam cum clarè micuerit, apud nos ipsos stabiliemus. Scitè loqueris, atq; ita agendum. Nunquid quod idem appellamus, tam maius q̃ minus, dissimile est quatenus idem, an simile? Simile certè. Ergo uir iustus à ciuitate iusta, quo ad iusticiæ speciem pertinet, nihilo differt, sed similis erit? Similis. Atqui ciuitas iusta esse tunc uisa est, cum in ipsa tria hominum genera pro natura cuiusq; sic instituta erunt, ut unusquisque suum opus exerceat. Temperata rursus & fortis & sapiens, propter alios quosdam eorundem generum affectus & habitus. Vera hæc sunt. Vnum quoq; ô amice ita censebimus, habentem easdem has eius in animo species, propter affectus eosdẽ, eadem nomina meritò cum ciuitate sortiri. Necesse est omnino. In leuem'ne rursus amice de anima cogitationem incidimus, utrũ tres in se species has habeat, nec'ne? Minimè mihi in leuem disceptationem delapsi uidemur. Fortè enim quod dicitur, uerũ est ô Socrates, pulchra difficilia esse. Apparet utiq;. Ac certè scito, ô Glauco, nos, ut mea fert opinio, nunquam ex discursibus huiuscemodi, qualibus in præsenti disputatione utimur, exactè id comprehensuros: longior porrò uia est, quæ ad hoc nos ducit. Fortè tamen secundum ea quæ suprà dicta & considerata sunt, facilius differetur. An non sat istud uideri debet? Mihi sanè in præsentia id sufficiet. Mihi quoque ualde sufficiẽs. Ergo ne te pigeat, sed considera. Profectò nobis necesse est cõfiteri, easdem in nobis species atq; mores inesse, quas & in ciuitate. Neque enim aliunde in ciuitatem hæc deuenerunt. Ridiculum quippe esset, si quis iracũdam animositatem existimaret nequaquam ex priuatis hominibus in ciuitatibus inuectam esse, quorum idem est captus, qui & Thracum, Scytharum, superiorumq; gentiũ: aut sapientiæ studium non ex tali priuatorũ instinctu, qualis natura nostris hominibus est tributus: aut quæstus auiditatem non ex ea singulorum hominum cupiditate, qua affecti apprimè dicuntur Phœnicij, Aegyptijq; nonnihil. Et maximè quidẽ. Hoc quidem ita se habet, neque difficile cognitu. Haud certè difficile. Id autem difficile iam, utrum uno quodam eodem singula hæc agamus: an potius tria quædam habeamus in nobis, quorum singulis, singula operamur: uno quidem discimus, irascimur alio, tertio concupiscimus uoluptates eas quæ ad nutritionem generationemq; pertinẽt, cæteraq; huiusmodi: uel tota anima unũquodq; explemus, cum cõcitirem aggredimur. Hæc haud facile pro rei dignitate discernerentur. Mihi quoq;

idem uidetur. Sic autem aggrediamur hæc distinguere. nunquid eadem sunt inuicem, uel diuersa? Quó nam pacto? Constat planè idem contraria facere, seu pati secundum idem, & ad idem simul non posse. Quamobrem si quando reperiemus in ipsis hęc fieri, intelligemus non unũ idem hæc esse, sed plura. Esto. Animaduerte quod dico. Dic. Stare simul atque moueri idem secundum idem, nunquid potest? Nullo modo. Præterea hæc diligentius confirmemus, ne qua procedẽtibus nobis ambiguitas forte suboriatur. Si quis enim dixerit hominẽ stantem quidem, mouentem uerò manus & caput, eundẽ stare simul atque moueri, haudquaquam ita dicendum censebimus: sed partem quidem eius manere, partem uerò moueri. An non ita? Ita prorsus. Quod si artificiosius & argutius iste luserit, asserens turbinem trochum'que totum moueri simul & stare, quando in eodem puncto centrum aculeumq; figens reuoluitur: uel aliud quicquam dicẽs idem agere, cum eidem affixum cardini circumfertur: nequaquam assentiemur, quòd nõ secundum eadem sui hæc tunc moueantur & maneant. Dicẽdum quippe, habere ipsa rectum in se atq; rotundum: & secundum rectum quidem stare, cum nulla ex parte declinẽt: secundum uerò rotundũ, circũmoueri. Quoties autẽ, dum quid reuoluitur, in rectum quoque deuehitur siue ad dexteram siue ad sinistram, uel antè uel retro, tunc nusquam permanet. Rectè admodũ. Quare nulla ex his obiectionibus nos perturbabit, persuadebitq;, quod idẽ quãdoq; simul secundũ idem, atq; ad idem, contraria simul uel agat, uel patiatur. Me quidem minimè ista mouebunt. Veruntamen ne in istis obiectiunculis enarrãdis reijciẽdisq;, utpote falsis, diutius cogamur insistere, supponentes iam id ita esse, ulterius progrediamur, confessi inuicem, si quãdo aliter quàm sic se habere hæc appareant, quæcunque ex his dicũtur, fore soluta. Sic nimirum decet. Nónne annuere & renuere, aggredi & declinare, asciscere & reijcere, inter se contraria pones, siue actiones seu passiones? Nihil enim interest. Contraria. Quid autẽ hęc? esurire, sitire, & omnino cupere, uelle, eligere, nónne ad eorum species referes, quæ modò diximus? Veluti semper cupientis animam nónne uel aggredi dices illud quod appetit, uel asciscere quod sibi adesse eligit, uel quatenus uult aliquid sibi porrigi, annuere, & illud ad se trahere, amantis more ut istuc fiat affectantem. Equidem. Quid uerò, nolle, aspernari, negligere, non cupere, nónne in reijciendi repellendiq; speciem, & in omnia illis cõtraria referemus? Quid ni? Cum hæc ita se habeãt, speciem aliquam cupiditatum esse dicemus, & manifestissimas omnium aliarum cupiditates, sitim & famem? Dicemus utique. Et hanc quidẽ potus, illam cibi? Ita est. Nunquid in quãtum sitis est, alicuius præterea cupiditas est alterius, quàm cuius nos dicimus, potus scilicet sitis? Huius duntaxat sitis. Nunquid calidæ potionis, uel frigidę, uel multę, uel paucæ? uel in pauco, qualis cuiusdam poculi? Vel potius, si calor sitienti inest, frigidi appetitũ inducit: sin autem frigus, calidi? Et si propter præsentiã multitudinis, multa fit sitis, multi auiditatẽ infert: sin autem pauca, pauci? Ipsum uerò sitire nunquam alicuius alterius appetitio est, quàm cuius suapte natura est, ipsius uidelicet potionis; rursusq; esurire, comestionis? Ita certè ipsa cupiditas quæque, ipsius cuiusq; est solũ, cuius ipsa natura est. Talis autem uel talis cuiusdã, propter additamenta quædam dicitur. Cauendum est autem, ne quis nos improuidos turbet, insciens, neminem potum cupere, sed potum bonum: uel cibum, sed bonũ cibum. Nempe bona omnes expetũt. Quare si sitis appetitio est, boni est, siue potionis, seu cuiusuis alterius est auiditas. Similiterq; de cæteris. Fortè nõnihil efficere uidebitur, qui talia dixerit. Veruntamen, quotcunq; eiusmodi sunt ut alicuius sint, talia quædam talis cuiusdam sunt, ut arbitror.

bitror. Ipsa autem quæque ipsius cuiusque duntaxat. Haud intelligo equidem. Non intelligis maius ipsum eiusmodi esse, ut semper aliquo maius existat? Planè. Nónne minore? Minore. Multo autem maius, multo minore, an non? Sic est. Et quondam maius, quondam minore: & futurum maius, futuro minore? Nihil prohibet. Atque etiam plura ad pauciora, dupla ad dimidia, & omnia talia, itemque grauiora ad leuiora, & velociora ad tardiora, & calida item ad frigida, omniaque horum similia eodem modo inuicem referuntur? Certè. Nónne & de his quæ ad scientias spectant, eadẽ ratio? Scientia quidem ipsa rei ipsius quę scitur scientia est, uel cuiuscunque alterius dicenda est esse scientia. At uerò scientia quædam, & scientia talis rei, cuiusdam, & talis esse dicitur. Tale uerò aliquid dico. Postquam ædificandarum ædium scientia extitit, ab alijs scientijs discreta est, adeò ut ædificatoria appellata sit. Quid ni? Nónne ex eo quòd talis sit, qualis aliarũ nulla? Nempe. Ergo quia talis cuiusdam, ideo talis quædam effecta est. Eodemque modo cæterę artes omnes, atque scientiæ. Est ita. Hoc itaque inferre me uoluisse nunc dicito, si modò nunc intellexisti, quòd quæcunque eiusmodi sunt, ut alicuius sint, ipsa quidem sola ipsorũ sunt duntaxat, taliũ uerò quorundã talia quædam. Neque uerò ideo dico, quòd qualiũ sunt, sint talia, quia scilicet & ægrotantium & bene ualentium scientia, bene uel malè ualens & ipsa sit: bonorum item atque malorũ, bona rursus ac mala: sed quoniã non illius ipsius duntaxat, cuius absolutè scientia est, euasit sciẽtia, imò talis cuiusdam: hoc autem est salubre & insalubre: talis quædam ipsa quoque effecta est. Ex quo factum est, ut non amplius scientia simpliciter appelletur: sed quali quodam addito, medicinaria scientia. Teneo iam, mihique hæc ita sese habere uidentur. Sitim uerò, nónne his annumerabis, quæ id quod sunt, alicuius existunt? Est autem sitis? Annumero equidẽ, & potionis sitim esse dico. An non qualis cuiusdã poculi, qualis quędam sitis? Ideoque sitis ipsa, neque multi neque pauci, neque boni neque mali, neque, ut uno uerbo cõplectar, qualis cuiusdam, sed potionis ipsius solummodo, sitis ipsa natura est? Sic est omnino. Sitientis igitur anima quatenus sitit, nõ aliud appetit quàm bibere, idque affectat, & ad ipsum fertur. Constat. Si quid ergo ipsam quandoque retrahit sitientem, aliud quiddã erit in ipsa ab ea parte diuersum quę sitit, et quasi bestia quędam ad bibendũ impellit. Neque enim fieri posse dicimus, ut idem aliquid eodem sui circa idem simul agat contraria. Non certè. Quemadmodum absurdum dictu est, eandem sagittarij manum simul arcum intendendo protrahere atque cõtrahere. Porrò dicendum est, alteram esse manum quæ protrahit: alteram uerò, quę contrahit. Ita prorsus. Fatemúrne esse aliquos, qui cum sitiant, nõnunquam bibere nolint? Multos, ac sæpe. Quid de ijs aliquis dicet? nónne inesse in horum anima aliquid, quod ad bibendũ allicit? aliquid contrà quod cohibet? quod quidem & aliud est, & ei quod allicit, dominatur. Mihi quidem uidetur. An non igitur quod prohibet ista, ex ratione inest, quoties operatã? Quæ uerò concitant atque trahunt, ex affectibus perturbationibusque sunt? Apparet. Meritò igitur duo hæc inter se diuersa existimabimus, & illud quidem quo ratiocinañ animus, rationale ipsius denominabimus. Illud uerò quo amat, esurit, & sitit, & ad alias libidines pronior labitur, irrationale, & auidum repletionum quarundã, & uoluptatum. Diuersa profectò, inquit. Meritoque ita censebimus. Hæ itaque duæ iam in anima species, inquã ego, distinctæ sint. Illud autem quod ad irascibilem pertinet, quó ue irascimur, utrum tertium quiddam est? an alterius horum cognatũ? Fortè eius quod uoluptates cupit, est cognatũ. Atqui credo hoc equidẽ, ex eo quod audiui quondam, quòd uidelicet cum Leõtius Aglaionis filius ex Piræo sub boreali muro ad ciuitatem ascendẽs,

sentiret

sentiret extrà cadauera prope littus iacentia, simul et uidere cupiebat, & horrebat tamē, absterrebaturq;, uultumq; tegebat, secum ipse pugnans. cupiditate deniq; superatus, ad cadauera directis & patefactis oculis aduentauit, dicens: Ecce iam uobis licet, ô infelices, desiderium uestrum pulchro explere spectaculo. Audiui & ipse. Itaq; sermo testatur, iram sæpe pugnare aduersus cōcupiscentiam, tanquam hæc inter se diuersa sint. Id certè significat. Nónne & alibi frequenter animaduertimus, quando distrahunt aliquē præter rationem cupiditates, obiurgātem ipsum sese, & aduersus id sui quod trahitur indignantem? Et quasi duobus dissentientibus, adiutricē rationi iram accurrere? Cupiditatibus uerò cōiunctam, nihil rationis uoluntati contrarium moliri: nec te arbitror unquā asserere, uel in te ipso, uel in alio tale quiddam deprehendisse. Nunquam per Iouem. Quid porrò? Quando quis iniuriam inferre se putat, nónne quo generosior est, eo minus irascitur, dum esurit & alget, & aliud quoduis tale patitur ab eo quem iure hæc agere censet? Et quod iam dixi, ira istius in eum quodammodo non irritatur? Vera loqueris. Quid autem? quando iniuriā se pati quis putat, nónne tunc satagit & sæuit, & auxilium præstat ei quod iustum uidetur, famem, frigus, & cetera talia tolerans? Et ad uictoriā contendit, neque à generoso opere cessat prius quàm uel trāsegerit, uel obierit: uel tanquam canis à pastore, ita denique reuocatus ab ea quæ in ipso est ratione mitescat? Omnino hæc uis ei similis est, cui tu cōparas. Etenim in nostra ciuitate auxiliarios ipsos tanquam canes posuimus, obtemperantes principibus quasi quibusdam pastoribus ciuitatis. Optimè quod dicere uolebam intellexisti. Sed unum & hoc insuper animaduertis? Quid istud? Quòd in præsentia contrà ac suprà de iracūdia iudicamus. Tunc sanè irascendi uim ad concupiscendi naturam referebamus. Nunc uerò multū interesse dicimus, ac multo magis irā asserimus animæ partibus inter se dissidentibus pro ratione arma capessere. Ita prorsus. Nunquid & irascendi uis est à ratione diuersa, uel quædam species rationis, adeò ut non tres in animo, sed duę species sint, rationale & concupiscens? Aut potius quemadmodum in ciuitate apparuerunt tria quædam genera, quæ ipsam continent, quæstuarium, auxiliarium, consulatus: ita & in anima tertia quædam uis est iracūdia, quæ natura ipsa rationis tutatur partes, nisi ex improba ęducatione fuerit deprauata? Necesse est ut tertia sit. Nēpe etiam si alia quàm ratio apparuerit, quemadmodum suprà uisa est, à concupiscentia differēs. At uerò facile id quidē patere potest. Nam in pueris quiuis istud intelligat, qui statim nati iracūdia pleni sunt. Rationis autem aliqui nunquam, multi serò cōpotes fieri mihi uidentur. Per Iouem præclarè loqueris. Præterea in bestijs ita esse quisq;, ut ipse dicis, cōperiet. Testatur & istud Homeri illud quod suprà induximus:

Pectora castigans monitis affatur acerbis.
Perpetere ô cor. nā tu lōgè aliàs grauiora tulisti.

In his porrò Homerus, tanq; hæc inter se differant, alterū horum obiurgare alterū facit, ipsam uidelicet rationē de meliori peiorìq; cōsultantē, irrationalem iracundię impetum cohibere. Rectè admodū loqueris. In his itaq; uix tandem consensimus: satisq; inter nos cōstitit, eadem in ciuitate, eadem & in cuiusq; anima genera esse, ac numero paria. Sic certè. Quin & hoc necessarium est, quemadmodū & quo sapiens erat ciuitas, ita & eodē sapientem esse priuatū. Planè. Itē quo fortis est priuatus aliquis, & quo modo, eodem & ita fortem esse ciuitatem, & in cæteris omnibus ad uirtutē utraq; similiter se habere. Necesse est. Atqui & iustum, ô Glauco, uirū dicemus eadem ratione, qua dicimus ciuitatē. Necessarium id omnino. At nōdum illud obliti sumus, quòd ciuitas ex eo iusta uisa est, quia cum tria in ea sint hominū genera, suum quisq; explet officiū. Haud certè mihi obliti uidemur.

Memi-

Meminisse ergo oportet, quòd quisq; nostrûm, cuius singulæ animæ partes quod suum est agunt, & iustus erit, & sua peragens. Meminisse prorsus. Nónne rationali potentiæ conuenit imperare, cum sapiens sit, geratq; totius animæ prouidentiam? Irascēdi uerò naturæ obsequi rationi, perq; illam pugnare? Penitus. Nónne ut suprà tractauimus, musicę & gymnasticæ mixtio atq; tēperantia, ut cōcordia ista sint, efficit? Vnū quidē horū intendens, augensq; & nutriens præclaris sermonibus & disciplinis: alterum uerò remittēs, sedans, mansuefaciēs per harmoniam atq; rhythmum? Maximè. Cumq; ita nutrita hæc fuerint, & quæ sua sunt, reuera didicerint, & optimè fuerint erudita, ardori cōcupiscentiæ præsidebunt: quæ pars animæ in quocunq; est plurima, neq; unquam pecuniarum possessione repletur: cauebuntq;, ne corporaliū uoluptatum expletione adaucta, grandior robustiorq; euadat, nolitq; suo duntaxat officio fungi, sed subijcere sibi illa contendat, quibus imperare natura non debet, atq; ita uniuersam omnium uitam peruertat. Sic prorsus. Quinetiam ab externis hostibus hęc animā omnem corpusq; custodit, dum illud quidem prouidè consulit, hoc autem propugnat, obtemperat principi, fortitudine quæ consulta sunt, peragit. Vera hæc sunt. Fortē profectò hac ex parte uirum quenq; uocamus, quādo in ipso iracundiæ uigor ita institutus est, ut in medijs uoluptatib. & doloribus, in sententia sua persistat, non aliter esse de terribili & nō terribili iudicandū, quàm ratio ipsa dictauerit. Probè. Sapientem uerò breui illa ex parte quæ & imperauit in ipsos, et ista dictauit, habens in seipsa scientiā, qua discernit quid potisimū ex usu sit tam singulis, quàm uniuerso ex his tribus cœtui constituto. Certè. Temperantem rursus aliquem appellamus horum ipsorum amicitia atq; concordia, quādo & quod præsidet, et quod subest, in sententiam eandem conueniūt, rationem scilicet imperare decere, neque ab illa desciscēdum esse. Temperantia profectò nihil est aliud & priuatim & publicè. Iustus deniq; ex eo atq; ita erit quisq;, ex quo sæpe iam diximus, & quemadmodū exposuimus.

Necesse est, inquit, prorsus. Quid porrò? inquam. Est'ne aliquid quod hanc nostram usque adeò sententiam interturbet, ut aliud uideatur esse nobis iusticia, quàm quod in ciuitate cōstitit? Mihi quidem non uidetur. Quinimmò, si quid adhuc inter nos in controuersia sit, sic iterum superiora penitus confirmabimus, absurda illa huic obijcientes. Qualia? Veluti si in hoc deliberare nos oportuerit de ciuitate illa, deq; homine eodem cum illa pacto nato atq; nutrito, nunquid uir talis quum depositum auri uel argenti acceperit, uideatur quandoque fraudē excogitaturus: censes aliquem iudicaturum, eiusmodi uirum fraudem committere potius, quàm secus affectos homines? Neminem prorsus. An non à sacrilegijs hic, furtis, proditionibus tam priuatim aduersus sodales, quàm publicè aduersus rem publicam innocens erit? Innocens. Atqui neq; perfidus uel iureiurando, uel quibuscunq; commercijs. Nullo pacto. Adulteria quidem, parentum cōtemptus, impietas in deos, cuilibet alteri potius quàm huic conueniunt. Ita prorsus. Nónne horum omnium causa hęc est, quia quicquid in ipso est, suum opus exequitur, siue imperando, siue exequēdo? Nulla certè alia. Quid? quæris aliud esse iusticiā, quàm hanc ipsam uim, quæ tales uiros, & tales efficit ciuitates? Ego quidem minimè. Tandem nobis absolutū somnium illud est, quod nos coniecisse diximus: nempe quòd mox incipientes condere ciuitatem, Deo quodā fauente, in aliquod principiū imaginemq; iusticiæ ingressi uidemur. Omnino quidem. Hoc autem erat, ô Glauco, propter quod confert quoddam iusticiæ simulacrū. Nempe debere qui natura coriarius est, artem hanc exequi, aliud nihil aggressum: qui uerò faber, fabricare. Similiterq; in cæteris. Ap-

paret. Reuera quidem talis iusticia est: sed non circa actionē exteriorem, immò circa interiorem suarū partium actionem uerè ad ipsummet animum, & ad sua: dum nihil permittit ex suis aliena tentare, neq; sinit animæ genera opera inuicem cōfundentia per plura uagari: sed reuera propria rectè digerit, suiq; est dominus, sese exornat, amicus sibi ipsè effectus, in se tria ipsa cōtemperans, tanquam tres terminos harmoniæ, Neates, Hypates, & mediæ: hoc est, octauę uocis, & grauis, & quintæ, seu quæuis alia media fuerit. Itaq; hæc omnia nectens, ipseq; undique unus effectus, ex multis tēperans atq; concinēs, ita demum agit si quid agit, uel circa pecunias acquirendas, uel corporis cultum, uel etiam circa ciuilia, aut priuata cōmercia: in his omnibus actionē illam iustam et preclaram existimâns, quæ habitum hunc peragit atq; seruat. Sapientiam uerò, operationi huic presidentem scientiā: iniustam autem operationē, quę hanc dissoluit, insipiētiam: deniq; operationis huius ducem, opinionem. Vera prorsus, ô Socrates, loqueris. Si ergo nos inuenisse dixerimus iustum uirū, & ciuitatem iustam, quid ue in utrisq; iusticia sit, haud forte multum, ut arbitror, mentiri uidebimur. Non per Iouem. Asserendum igitur. Proculdubio. Esto itaq; . Enimuero deinceps de iniusticia considerandum uidetur. Plane. Seditionem quādam horum trium iniusticiam appellare decet, curiosamq; & uariam alieni operis usurpationem, & insolentem partis cuiusdam præuaricationē, aduersus totam animam rebellantis, insurgentisq; ad imperandum regio animi generi, cui seruire eam natura iubet. Talia quædā ut arbitror, atq; horum turbationē errorem q;, iniusticiam esse dicemus, & intemperantiam, ignauiam, insipientiam, et uniuersam deniq; prauitatem. Hæc prorsus ita se habent. Nónne satis iam perspicuè patet, quid est iniusta facere & iniuriari, ac rursus quid agere iusta, quandoquidem iusticia & iniusticia patent. Quónam pacto? Quia nihil à salubribus et insalubribus differunt. Nempe ut hęc circa corpus, sic circa animū se habent & illa. Qua ratione? Salubria quidem sanitatem inducunt, insalubria morbum. Planè. Similiter quoq; iusta agere, iusticiam gignit in animo: iniusta facere, iniusticiam. Necesse est. Est autem sanitatem inferre, ita quę in corpore sunt disponere, ut secundum naturę ipsius ordinem inuicem superentur et superēt. Morbum autem inducere, usqueadeò corporis partes inficere, ut contra naturę legem dominentur inter se, subijcianturq;. Est ita. Eadem ratione iusticiam præstare cuiquā, nihil est aliud quàm animi partes in ordinem suum digerere, ut ad naturę normam pareāt atq; imperēt: iniusticiam uerò, ut contra naturam exuperent inuicem, ac succumbant. Prorsus. Virtus igitur, ut apparet, sanitas quædā est, & pulchritudo, & robustus animi uigor: prauitas contrà morbus, turpitudo & imbecillitas. Est ut dicis. Nónne igitur exercitationes honestę ad uirtutem acquirendam conducunt, turpes ad prauitatem deducunt? Necesse est. Restat, ut uidetur, discutiēdum, nunquid prosit agere iusta, honesta colere, esse iustum, siue occultum id cuiq; sit, siue non: an iniuriari & iniustū esse, si modo nō det pœnas, neq; fiat castigatione melior. Mihi quidem, ô Socrates, ridicula disceptatio ista fore uidetur. Siquidem corporis natura corrupta, uidetur nō esse uiuendum, neq; etiam in summa epularum & poculorū omnium affluentia, cunctis diuitijs, & totius orbis imperio. Natura uerò eius quo uiuimus, polluta atque corrupta, num uiuendum erit, si quis quodcunque lubet, aliud agat quàm hoc unū, unde ab improbitate iniquitateq; liberetur, iustitiam uerò & probitatem adipiscatur, postquam talia hæc utraq; qualia narrauimus, apparuerunt. Ridicula profectò. Verùm, posteaquam eò deuenimus, ut quàm certissimè fieri potest, quòd hæc ita se habent, perspiciamus, minimè desistendum. Per Iouem, minimè omniū. Age igitur,

inquam

inquã ego, huc accede, ut uideas quot species improbitas habet, ut mihi uidetũ. Attende nunc. Nempe hæc digna spectatu. Sequor equidem, dicas modò. Atqui tanquã è specula quadam, postquam huc ratiocinando conscendimus, una mihi species uirtutis occurrit, prauitatis innumeræ. Ex quib. quatuor quidem modi potissimũ sese offerũt, quorũ meminisse oportet. Quomodo istud ais? Quot sanè Rerumpub. modi sunt, species suas habentes, totidẽ esse & animæ ipsius apparent. Quot? Quinque Rerumpublicarum, quinque rursus & animæ. Dic quales. Vnum aliquem Reipublicæ modum esse hunc assero, quem exposuimus. Duabus uerò appellationibus declarari potest. Nam si inter principes ciuitatis unus quidam sit omnium præstantissimus, Regnum uocabitur: sin autem plures, Gubernatio appellabitur optimatum. Vera narras. Hanc unam ideo speciẽ esse dico, quia siue plures gubernent, siue unus, nullus qui ita, ut diximus, educatus & eruditus fuerit, quicquã existimatione dignum in Reipublicæ legibus permutabit. Neq; enim consentaneum esset, inquit.

SEBASTIANI FOXII IN LIBRVM IIII.
Annotationes.

Qvid, ô Socrates, affers.) Cum in superioris libri fine cõmunia esse bona custodum debere dixerit, obijcit nunc Adimãtus, cur nõ ijs æquè ac cæteris, eadem peculiaria sint: cum eo pacto beati illi non sint, quibus aliquid ad uitæ usum desit: in ciuitate autẽ formanda beatitudo eius spectari debeat, quod Aristoteles lib. 7. Polit. cap. 2. confirmat. *Certe, inquam ego.)* Diluit obiectionem Socrates. ait enim, satis magnum laboris præmiũ custodibus dari, si necessarium uictum habeant: nihil uerò ad luxum, auaritiamq; ipsis redundet. *Non tamen ad hoc respicientes.)* Id est, Hic quidem ciuitatis uniuersæ fœlicitatem quærimus, non singulorum ciuium, aut unius tantummodo. *Quemadmodum enim si quis nos figuram)* Similitudine quadam docet, Reipub. uniuersæ fœlicitatem inquirendam, non unius partis tantum, cum eius instituendæ finis sit cõmune bonum. *Possemus enim & agricolas hortari.)* A' dissimili ostendit, absurdum esse putare, totius Reipub. unam non existere fœlicitatem: quòd officia ciuium singulorum perturbarentur, si unus non esset omnibus finis propositus, quò suas referrent actiones. *Porrò si ubi apparebimus.)* Rationem suprà positam confirmat ex eo, quòd suo munere nullus ciuis usurus sit, si una cunctis fœlicitas ciuitatis non constituatur. nam & id erit re ipsa quisq;, quod simulare uelit, nec id alteri nocuerit: quod quàm sit absurdũ, nemo est qui ignoret. Sed quo modo, inquies, id accidat, si unus totius ciuitatis finis non sit? Quia si diuersi fines sint, actiones quoq; singulorum in diuersa tendent, quando media finis cuiusq, eidem fini debent respondere. Vnde nullus artifex alteri prodesse opificio suo conabitur. itaq; nullus opificiorũ usus erit mutuus. *Qui uerò illud dicit, & agricolas.)* Id est, qui ociosos fingat agricolas, nec suum munus curantes, bonum ciuitatis perturbat, cum partium perturbatio totum ipsum unà perturbet. *Videndum igitur utrum.)* id est, Ita demũ custodes fingendi fœlices sunt, ut soli tales non sint, sed tota potius ciuitas, cum partium singularum bonum ad communitatem totam pertineat. *An & quod huic est proximum.)* Cum ab ipso huius libri exordio docere cœperit, bona custodum cõmunia esse debere, propter beatitudinem tum ciuitatis ipsius, tum ciuium singulorũ: nunc id planius confirmat, ostendẽs ciuium singulorum corruptione totam quoq; Rempub. contaminari: opibus autẽ singulos deteriores fieri: ideoq; totam Rempub. quando singulorum fœlicitas eadem sit cum totius communitatis fœlicitate. Idcirco Aristoteles etiam lib. 6. Polit. mediocres in ciuitate opes mauult, quàm nimias. *Contemplare nunquid ista cæteros quoq;.)* Inductio est, qua ostenditur noxias esse diuitias custodibus: quæ ipsa talis est. Diuitiæ pigriores faciunt homines, ut in singulis animaduertere licet: pigriores autem facti corrumpuntur: ergo diuitiæ corruptionis causæ sunt. Sumitur argumentum ab effectis, quanquam non satis efficax: cum diuitiæ præbeant quidem occasionem uitio, nõ tamen sint ipsæ causa uitiorum. *Rursus autem si propter inopiam.)* Ad figuli, adeoq; opificis cuiusq, pigrioris facti ob diuitias, corruptionem hoc non pertinet: sed ut ostendat, paupertatem etiam corruptionis esse causam, quòd ea coacti homines multa iniustè agãt. *Alia ergo quædam inuenimus.)* Cum diuitias, paupertatemq; uitiorum esse dixerit causam, eadem inquit custodibus prohibenda. quò probi sint, nec ad alterutrum extremorum declinent. *Veruntamen ô Socrates.)* Cum mediocres esse Reipub. opes debere, Socrates docuerit, obijcit nunc Adimantus, quo pacto geri bellum possit, si pecunia, quæ belli neruus est, desit. *Constat utiq, quod aduersus unam)* Solutio obiectionis est, eaq; talis: Exercitatus uir & arte & ui, facilius pugnabit, quàm inexercitatus, aduersus diuitem ignauum: nostri aũt custodes rectè e-

xercitati erant, si nostra seruēt praecepta: ergo quosuis diuites superabunt, cum diuites plerunq; molles inertesq; sint. Quod nos quidem auro.) Aliam reddit eiusdem rei rationem huiusmodi: Si, inquit, egestas huius Reipub noscatur ab alijs, nunquam bello lacessitur, cum plerunq; cupiditatis causa bellū inferant alijs, nec ab hac commodum ullum spectent. Verum si in ciuitate una caeterorum.) Secunda Adimanti obiectio: Quid si, inquit, moderata haec ciuitas, gesto saepe feliciter bello, ditescat: nónne ab alijs aliquando lacesset ur, cupiditate opū incensis? Beatus es, quandoquidem.) Diluit superiorem obiectionem Socrates, quod haec Respub firma & robusta sit, propter ciuium unionem: reliquae autem imbecilles, ob dissolutionē. Vnde hanc ciuitatem, tanquam unā, illas ciuitates, id est dispersas ac diuulsas, censet appellandas. Ciuitates multae sunt.) Cum ciuitas male administrata concors unitaq; non sit, ciuitas non est: sed ciuitates, id est discors societas hominum. Et quatenus ciuitas, ita ut nuper.) Obiectio alia Adimanti Qui, ait, ciuitas isthaec tua amplificari possit, si opibus non utatur? cui respondet Socrates: Amplificabitur quidem reuera, id est uirtute atque honestate, non opinione: id est, non simulatis bonis, ac falsis. Etiam si mille duntaxat) id est, Aeque magna, atq; nostra, nulla erit ciuitas alia, siue apud Graecos, siue apud barbaros, tametsi mille tantum defensores habeat. Hic Plato non uult mille defensores in sua Repub esse, ut eum Aristoteles falso intelligens lib. 2. Polit. cap. 4. reprehendit: sed sat magnam fore eā Rempub. si uel mille tantum defensores eius sint. An non hic igitur pulcherrimus.) Hactenus digressione quadam usus Plato, à libri superioris fine in hunc usq; locum, de bonis custodum, aediumq; forma obiter egit: nunc ad ciuitatis situm, terminosque eiusdem describendos redit: in quo ciuitatem quidem mediocrem, mediocribusq; terminis quaque uersus definitam esse uult. Ciuitas una permaneat.) Magna semper labuntur, mediocria conseruantur: ergo sic ciuitatem augeri optandum est, ut conseruata mediocritate permaneat, non ut ad summum euecta continuò delabatur. Hoc praeterea praeceptum.) Diuersa hic tradit Plato urbanis custodibus praecepta, eadem tamen ad ciuitatem incolendam, constituendamq; pertinentia, quando ea de re agitur nunc primum, ut ij ciuitatis terminos cognoscant & metiantur: secundum, ut ciues, totamq; iuuentutem in classes atque tribus distinguant, non solùm in condenda urbe, sed postea etiam: tertium, ut educationem ciuium, ac institutionem, tum connubia iam adultorū, procreationem, caeteraq; huiusmodi alia Republicae necessaria procurent. Haec omnia in hunc locum contexit Plato, quanquam aliàs explicaturus ex professo, quòd dixerit & haec maiora, id est ciuitatis constitutionem, & minora etiam à custodibus curanda esse, cum qui maiora curet, minora quoque possit multo magis curare. Est hoc etiam illo minus.) id est, non uidebuntur custodibus grauia praecepta, si quae maiora sint, curent: cum qui maiora agit, quod dici solet, idem & minora possit efficere.

Quod uidelicet oporteat amicorum.) Causam, cur & bona communia constituat, & curam Reipublicae instituendae custodibus committat, existimat esse id quod est à Pythagora dictum, Amicorum bona communia esse debere: in hac autem Republica omnes amici & concordes, quoad fieri possit, quaerantur. Tanquā circulus semper.) id est Si Respub nostra ab initio rectè fundata sit, perpetuò bonitatem suam retinebit, uelut ea quae in circulum mota perpetuò cientur. Quippe educatio, eruditioq;.) Educationis utilitatem ab effectis commemorat, dum eius curam custodibus tradit. Imò istud in primis curent.) Magni momenti est, recta ciuium educatio: ergo et in primis dent operam magistratus, cum in eo tota Reipublicae utilitas, inutilitasue consistat. Ne saepenumero poetam quis putet.) Quia custodes institutionis cōmunis curam habebunt, id curabūt diligenter, dum literas ediscendas suis proponūt, ne nouas cantiunculas fieri à poetis, legi ue à pueris permittant: non quòd noua omnia uitiosa sint, sed quia mutari quicquā in Repub. iam inductum, periculosum sit. Vt ait Damon.) Autor hic ab Athenaeo citatur interdum. Arcem igitur quandā custodiae causa) id est, Omnibus modis hanc de Musica, id est temperantia sententiam, ueluti arcem quandā animi munitā, custodes tueantur, ne quando mutetur: cum mutatio omnis in Repub. noxia sit, ac difficilis. Certè ioci cuiusdam.) Adimātis sunt uerba, Socrati assentiētis. Haec, inquit, de mutatione musicae uerba principiò tanquam ioci quidam capiuntur: postea uerò moribus usurpātur, ac tandem in naturam abeunt quo fit, ut grauium inde malum oriatur. Ergo ut à principio diximus.) Quales ludi, iociq; admittendi sint in Rempub. docet, quando ad aetatem puerilem, adeoq; ad animi relaxationem cunctorum ciuium aliquod genus delectationis conducit, cui legislatores debent quoq; consulere. cuius generis erant ludi, comoedia, caeteraq; id genus Romae olim obseruata. Quando itaq; bene incipientes.) Ex bono principio cuncta bene procedunt: Ergo si prima institutio bona sit, cuncta ex ijs nata rectè ipsis respondebunt. est enim magna educationis uis. Quae igitur exigua uidentur esse) Leuia quaedam officia ad puerilem institutionem pertinentia enumerat, quorum haberi quoq; curam uult, quòd ad uirtutem multum conducant. Sed ea omnia, quia ex gentium moribus pendent, lege contineri posse negat: ideoq; arbitrio relinquit custodum. Apparet itaq; ô Adimante.) Cum educationem magni referre ad uitae totius probitatem docuerit, idq; in multis ostenderit: nunc argumento idem confirmat, hoc modo: Omne simile à simili appetitur. educationi autem mores semper sunt similes: ergo si illa

bona,

bonæ,& hi boni: si mala,& hi mali erunt. Quapropter custodes diligentißimam institutionis curam habeant, uel in minimis uitæ officijs, quorum iudicium eorum arbitrio relinquimus. Dic per deos, nunquid negotia.) Quemadmodum pauca quædam officia ad puerilem institutionem pertinentia omisit: sic nec de contractibus ciuium, iudicijs, cõmercijs, alijsq; huiusmodi rebus aliquid uelle se ait statuere, quod ex institutione hæc oriãtur: & in hac Repub. planè diuina timendum non sit, ne tales sint ciues, ut ijs egeant statutis: quæ tamen in libris de Legib. commemorantur. Si Deus illis legum illarum.) id est, Hæc ita capienda sunt, ut leges de educatione propositæ seruentur, ne sit opus legum multarum descriptione de iudicijs, forensibus causis, cæterisq; huiusmodi alijs. Hinc intellige, leges hominum uitio latas fuisse. Sin minus, ita uitam ducent.) A contrarijs bonæ educationis uim confirmat. Si, inquit, educatio negligatur bona, nascentibus in dies quotidie uitijs, necesse erit, nouas leges condi, ac mutari. Dicis nempe istos perinde.) Similitudine ostendit, uel id incommodi ex negligentia educationis nascẽs, quòd leges quotidie renouentur, maximũ esse. Sed causa huius uitij ipsa in natura est, non in institutione tantũ, ut Plato uult. An non idem quod isti.) Eleganti quadã similitudine, odiosa esse ait bonorũ ciuiũ consilia, quòd uera sint: cum ueritas odium pariat, ut ait poeta. Neq; ullo pacto huiusmodi.) Videlicet in quo tales uiri sint, ueritatis osores. Non'ne eorũ fortitudinẽ.) Scilicet, qui liberè quod de Repub. sentiunt, proferũt. est enim id constantis uiri, ingenuè, quod sentiat, efferre. Neq; hoc repugnat ijs, quæ in libris de Legib. ait Plato, nemini de Repub. ciuis'ue legibus cõcedendũ, sententiã proferre suã. nam illud iuuenibus tantum prohibuit, hic autẽ de ciuibus prudentibus & adultis loquitur. His exceptis, qui ab ipsis falluntur.) id est, illos qui adulatione præsentem statum Repub. quantumuis uitiosum laudẽt, nec falli se sentiãt aut spontè fallantur, magnopere reprehendo. Sunt autem huius generis multi. Sunt enim hi quidem omnium.) Nouos legislatores uituperat, qui sibi prudentiæ nomen uendicantes, nunquam faciant finem legum ferendarum: cum non animaduertant plura inde negotia et lites oriri, tanquam ex hydra capita. Sed errat quidem hic Plato, dum id in legislatorem institutorem'ue reijcit, quod in hominũ negotijs intricatum existit, quasi poßit is omnibus prouidere. In hac autem quia partim quisque.) Duplicem causam reddit, cur legum multitudo inutilis sit: unam, quòd in Repub. bona non sint necessariæ, ut suprà docuit: alteram, quòd naturali instinctu, quid iustum sit, quisque facile uideat. Duplex est enim iustum, naturale, et positiuum: illud cunctis notum est, hoc plerisq; rectè institutis. Nobis quidem nihil, Apollini autem.) Constituta iam ciuitate, ac ciuibus eorumq; institutione proposita, ut lib. item 2. de Legibus factum est, locus hic iam postulabat, ut singulæ institutionis partes traderẽtur: quarum prima est, religionis cura. uerùm hoc omittitur, quòd alio in loco tradendum sit, aut ex oraculis deorum petendum. Patrio Deo.) Quamq; regionem Plato suos habere Deos putat, à quibus religio discenda sit. Deinceps autem & luce.) Constituta iam ciuitate, ac ciuibus, eorumq; ordine, & institutiõe proposita, tanquam materia Reipub. ad formam, id est, iusticiam, seu iustam rationem eius regendæ quærendam accedit Plato: quando id fuit initio propositum. Qua de causa quæstio iterum ponitur, Quæ'nam in re ciuitatis iustitia consistat, quæ sit, & quomodo ad ciues eius pertineat. Spero itaq; hac oratione id.) Iustitiam Plato colligationem omnium uirtutum esse putat: ergo de ciuitatis iusticia disputaturus, omnes quatuor uirtutes amplectitur, deq; ijs sermonem nunc habet. Animaduerte quadripartitam illam uirtutum diuisionem, quæ apud Ciceronem ac plerosq; est, Platonis esse, non Aristotelis, qui aliam quandam fecit in Ethicis. Sic ex alijs quibusdam quatuor.) id est, si alijs in rebus, quæ quaternario constant numero, dicamus, posita unitate restare tria, aut tribus positis unitatem restare: rectè quidem senserimus. At uirtutes hæ quatuor nõ solum in ciuitate, sed in quouis alio simul omnes esse debent coniunctæ. Necessarium uirtutum uinculum significat: simulq; causam reddit, cur de ijs differat, eum de iusticia dicere esset propositum. Atqui ex his omnibus prima.) Prudentiã non uno in loco Plato sapientiam uocat. Eam autem definit hic, perspicaciam in consilijs: id est, uirtutem cernentem quid honestum, turpe'ue sit in capiendis consilijs, atq; adeò in deliberando de medijs quibusq; ad finem institutum pertinentibus. Proposita igitur hoc modo prudentiæ descriptione, eam continuò Plato Reipub. suæ accõmodat, idq; in reliquis facit uirtutibus. Nunquid propter ipsam fabrorũ scientiam.) Quærit iam hic, qua'nam in re ciuitatis prudentia consistat: quando Rempub. eam, quam supra descripsit, prudentem esse constat, multisq; artium generibus plenam. Quo in loco facta inductione per alias artes, cõcludit, prudentiã ciuitatis uersari non in aliqua peculiari alicuius arte, sed in communi quadam scientia, quæ ad paucos, eosq; communitatis curam habentes, pertineat. Hoc itaq; unum ex quatuor.) id est, Iam igitur prudentiam ciuitatis inuenimus, dum eam esse diximus rationem rectè administrãdi Remp. eandemq; in paucis gubernãtibus, ac non in multitudine existere: neque enim multitudo Rempub. gubernare debet, sed pauci delecti, aut unus. Hic Plato non laudat oligarchiã, id est, paucorum imperium: sed paucos esse rectores Reipub. dicit, respectu subditorum. At uerè neq; inuẽtu difficile.) Transit ad fortitudinem, quam etiam in ciuitate quærit. Definit autem fortitudinem ciuitatis, partem quandam pro illa depugnãtem: id est, habentem ciues aliquos fortes, à quibus defendatur. Fortis igitur ex parte.) Fortitudinẽ circa terribilia uer

ſam & Plato hic, & Ariſtoteles lib. 4. Ethic. affirmat: eademq; hic dicitur opinio firma de terribilibus, aut non terribilibus: id eſt, ſententia animi terribilia à non terribilibus diſcernens, ut alia aggrediatur, alia prætermittat, cum opus ſit. Opinionem hic appellat fortitudinem, quòd non ſit in mente, ut prudentia, ſed in iraſcibili parte animi: quod quę ſola menis ſcientiam, ſenſilis aũt anima opinionẽ habeat: eamq; uel magis, uel minus certam, ut menti ſit coniunctior. Quanquam re ad opinionem ſuam Plato alludit, dum putat uirtutes omnes ſcientias eſſe, id eſt prudentiæ participes. Huius ergo opinionis ſiue iudicij de rebus uere terribilibus, aut contrarijs, * tranquillumq; animi ſtatum in affectibus fortitudinẽ uocat: eamq; animo ſi ſit futurus fortis, ab initio inſerẽdam ait, exemplo fullonũ, qui colorem aliquem addituri panno, alios prius addant, ut præparetur materia. Neſcis, quod fullones.) Similitudine colorum oſtendit, qua de cauſa à libro ſecundo hucuſq; tam multa de ciuitate, ciuibus, cuſtodibusq; retulerit, cum peculiarẽ ſingula ſermonem requirant et in ſequentibus doceãtur commodius. ait itaq;, ideo ſe id feciſſe quòd ad iuſticiam ciuitatis quærendam, inducendosq; ad uirtutem ciues, oporteat eos paulatim imbui alijs atque alijs moribus, tanquam coloribus, ad unum imbibendum aptis. Hanc uiq; uim.) Explicata obiter cauſa conſilij ſui, redit ad fortitudinis rationem tradendam, eamq; Reipub. accommodandam. Videris enim opinionem.) Explicat definitionem fortitudinis ſuprà poſitam, dum eam inquit eſſe opinionis conſeruationem, non cuiuſq;, ſed legitimæ: ut intelligat, alias eſſe itidem opiniones, ſed hanc legitimam, & rationi congruentem. Porrò terribilia aliter ab homine iudicari, aliter à bellua, quæ impetu regatur. Deinceps autem de hac.) Duplicem hic conſtituit fortitudinem: unam communem, & omnibus congruentem, de qua in Lachete diſſeruit: alteram ciuilem, de qua nunc. In præſentia uerò iuſticiam.) id eſt, Cum ſcopus noſtri ſermonis ſit, iuſtam ciuitatẽ deſcribere, reliquarum uirtutum mentionem facimus. Duo reſtant præterea in ciuitate.) Tranſit ad reliquas duas uirtutes, id eſt temperantiam, & iuſticiam, quãdo de prudentia, fortitudineq; ſuprà eſt dictum. Ecce perquiro.) Temperantia quid ſit, ſimilitudine harmoniæ quadam hic oſtenditur. Ornatus quidẽ eſt temperantia.) Ornatus hic pro temperantia ipſa capitur, non pro illa moderationis parte, quæ ad corporis cultum pertineat, de qua Ariſtoteles lib. 4. Ethic. Hanc autem uirtutem eſſe ait, per quam nimiæ uoluptates temperentur, à qua ornati ſeu temperãtes dicantur ij, qui ſuas cupiditates cohibeant. Non'ne quod ſe ipſo potentius.) Dixit in temperantiæ definitione, ſe ipſo aliquem potentiorem eſſe, nunc id explanãs, duas in nobis eſſe partes oſtendit: unam rationem, alteram appetitum: è quibus etiam illa hanc ſemper ſuperare nitatur, ut lib. 1. de Legibus docetur. Quod eſt melius.) id eſt, Non tam perniciosum eſt, quia leuius, ac minus. Inuenies q; ipſi alterum.) id eſt, duas animo partes has ineſſe, ſimilitudine quadam noſces, quarũ altera optimates, altera ſubditos refert. Mulieribus & miniſtris.) Quæſiturus temperantiæ ſubiectum in animo noſtro, uarietatem cupiditatum in ijſdem oſtendit. Quæ cum mente, & conceptione.) Duplices cupiditates in animo ponit, itemq; in ciuitate, ſimilitudine quadam: alteras menti congruentes, quæ imperium optimatum repræſentãt: alteras corpori, affectuq; plenas, quæ popularem adminiſtrationem. Si qua igitur ciuitas potentior.) Concluſione breui, quæ'nam ſit moderata reſp. oſtendit, accommodata ei temperantiæ definitione. Itaq; non'ne iuſta hæc omnia) id eſt, ſi e parẽre infimos ſuperioribus, iuſtum eſt, ac temperãs. Atqui ſi in ulla alia ciuitate.) Explicata temperantiæ ui, quæritur iam, ad quos'nam ea pertineat in ciuitate? ſuprà enim generatim dixerat, temperatam fore ciuitatem, ſi infimi ſuperioribus parẽrent, ut rationi paret appetitus: nunc autem explanatius demonſtrat, eam in ipſa conſenſione ciuium inter ſe, et æquabilitate uerſari, quæ æqualitas tanquam harmonia quædam pari iure ciues contineat. itaq; facta comparatione temperantiæ cum reliquis duabus uirtutibus, prudentiam quidem ac fortitudinẽ ait in parte uerſari, id eſt, ad aliquod ciuiũ genus priuatum ſpectare: temperãtiam uerò in uniuerſo, tanquam diapaſon ex tonis diuerſis æquabiliter compoſitum, id eſt ad uniuerſæ ciuitatis conſenſum referri. Reliqua uerò ſpecies.) Ad iuſtitiæ deſcriptionem accedit, eamq; ciuitati, ſicuti reliquas iam tem uirtutes, accommodat. Prolixum ſane prooemium.) id eſt, longè à principio rem deducis, longiusq; proponis exordium, quàm audire quis uelit. Nam quod principio paſſim.) Cum diſputationis de iuſticia difficultatem proponat, repetit ex lib. 2. & 4. nonnulla, quæ ad eundem iuſticiam oſtendendam faciant. Vel ſpecies quædam ipſius) id eſt, quæ tunc de iuſticia quærebamus, nec ſatis explicuimus, non ipſam indicabant iuſticiæ uim: hic autem ea demum quærenda eſt. Etenim quod ſua agere) id eſt, Tunc dicebamus iuſticiam eſſe, ſuum cuiq; reddere, & ſua quenq; agere, omiſſis alienis. Videtur mihi, quod reliquum eſt) Ab effectu repetitam iuſticiæ definitionem confirmat, docẽs unam hanc uirtutem reliquis uirtutibus uim omnem tribuere, ab eaq; nomen iuſtæ ciuitatis emanare. Quia innaſcerentur) id eſt, quandiu ſecũdum iuſtitiam omnia fiunt, tandiu conſeruantur. Verumtamen ſi iudicandũ ſit.) Ciuitatis iuſticiam hic quæſiturus, quæ'nam ex omnibus uirtutibus iuſtam eam efficiat, tum ad quod ciuiũ genus eadem ſpectet, docet. Ergo uis ipſa ſua, qua quiſquã.) id eſt, Aliud quoddã uirtutis genus eſt, quod iuſtũ efficit ciuitatẽ, à prudẽtia, fortitudine, temperãtia: in quo quidẽ iuſticia ipſa à reliquis diſtat. An principibus in ciuitate.) id eſt, Non'ne hic iudiciorũ finis eſt, ut ſua quiſq; tueri commodè,

aliena e

aliena uerò non usurpare possit. Et hac quoq; ratione asseritur.) Cõcludit iusticiã esse, agere unumquemque in suo genere id quod debeat, nec alienum munus usurpare: id quod inductione diuersorũ similium cõfirmatur deinceps. Quoties aũt aliquis artifex.) Superiorem sententiã alio exemplo comprobat, dum iustum esse quem eo ipso, quòd alienum nihil iniustum, quòd aliquid usurpet, docet. Quæ cum tria in ciuitate sint genera.) Tres esse ciuiũ gradus, retulit suprà: custodes, opifices, rectores, seu principes. Horum autem unumquenq; ordinem iniustum statuit fore, si alienum usurpet munus. ex quo infert, iustum esse id, si singuli suũ teneãt ordinem. Corruptelam uerò summam.) Conclusio argumenti superioris est, quæ sic confici potest: Si ciuiũ perturbentur munia, ciuitas corrumpitur. sed iniusticia est corruptio. ergo usurpatio alienorum munerum est iniusta. Quæstuarij, auxiliarij) Ad superiora cõfirmãda hoc pertinet ait enim, iustũ esse, suo quenq; in Republica munere uti, ut quid sit ciuitatis iusticia, inde pateat. Verum si & in cuiusque.) id est, Adhuc id planius quæramus, ne quid temere concedatur, ut fecisti Glauce. Monet hic, nihil temere concedendum, nisi bene perspectum. Nunc autem disceptationi huic.) id est, Videamus nunc id, quod secundo loco proposui, uidelicet iusticiam totius esse ciuitatis, non partium aliquarum. itaq; non uult hic quærere iam, num iusticia sit, suo quenq; munere uti in ciuitate: quod idem est, ac suum cuiq; reddere, nisi quòd ciuitati adhibetur: sed omnino, in quo cõsistat ipsa ciuitatis iusticia Secundam, quam existimauimus) id est, ad secundã quæstionẽ de ciuitatis iusticia ueniamus. hæc enim quæstio est de subiecto iusticiæ: superior autem de essentia, id est definitione. Iusticiam in maiori potius.) id est, num iusticia in toto genere potius, an in partibus sit quærẽda) Vtrũque nobis est maius ipsum.) Proposito ordine, quem sequi uelit, statuit ciuitatẽ quasi totum quiddam esse: deinde, illam perfectè suprà fuisse descriptam, ut eiusdẽ quæratur iusticia. Cognosce hinc causam inscriptionis horum librorũ de Repub. Quare quod in illa nobis.) Propositio est sequentis sermonis. ait enim, se, quæ suprà retulit de ciuitate, tanquam iusta, cõstituere: nunc autem uelut à genere ad formas progressum, inuestigare uelle, in quibus nã, et quãdo ciuitas urbi insit. idq; se facere, ut tanquam ex silice, sic ex hac quæstione ueritas eliciatur. Nunquid quod idem appellamus.) Digreditur aliquantum nũc à proposito, ut iusticiã ciuitatis inquirat. Idem, an simile.) Idem ad essentiam, simile ad qualitatem pertinet: recipitq; & intensionem, & remissionem Hoc statuto uelut axiomate, omnem qualitatem intendi ac remitti, essentiam uerò nõ item: tum, omne simile aut dissimile respectu qualitatis ita dici, non respectu essentiæ: docet iam, iustam dici ciuitatem, aut iniustam, propter similitudinem cum iusticia aut iniusticia. Hoc uel Aristoteles fatetur in libris de Republica: qui talem ait fore ciuitatem, quales ciues fuerint, non moribus tantum uitæ, sed forma item administrationis. Iusticiæ speciem pertinet) id est, quod ad ipsam formam, essentiamq; uirtutis attinet. Atqui si ciuitas iusta esse.) Ad iusticiam ciuitatis ostendendam, assumit ex superiori disputatione pro concesso, bonam esse illam ciuitatem, à se descriptam: quod è tribus hominum generibus constaret, quodq; tribus esset ornata uirtutibus. Vnum quoq;, ô amice, censebimus) Ad idem docendum illud præterea assumit, tres esse nimirum animi uires, rationem. iram, cupiditatem: in quas totidem cadant uirtutes, prudentia, fortitudo, temperantia. In leuem ne rursus.) Statutis ijs quæ supra retuli, ad disputationem de iusticia, digreditur aliquantum ad uires animi explicandas, ut intelligatur id quod proposuit: id est, quomodo tres illæ animi uires sint, eædemq; trium uirtutum capaces, et tribus Reipub. partibus siue hominum generibus respondentes. Qui & Thracum & Scytharum.) Exemplum iracũdiæ ac ferocitatis in duabus his barbaris nationibus ostendit. Apprimè dicuntur Phœnicij.) Cupiditatis quoque uitiæ, & auaritiæ exemplum duabus his gentibus profert: utrunq; autem in ciuitate ipsa ostendit, dum alios ciues cupiditatem, ut artifices, alios iracundiam, ut defensores, alios rationem, ut rectores, repræsentare ait. Id autem difficile iam, utrum.) Distinctis animi uiribus, quærit hic iam, num illæ unam efficiant animam, nec ne. in quo concludit, unam esse animam ijs tribus prædi tam uiribus nõ tres animas, ut Galenus falso Platoni adscripsit. Constat planè, idem contraria.) Discrimen trium animi uirium iam positarum ostendit hoc axiomate proposito, quòd idem secundum idem, id est, una ratione suscipere nequeat contraria: id quod inductiõe, aliquantũ tamẽ ab instituto digressus, docet. Dicendum quippe, habere.) id est, Adhibenda est distinctio rei accipientis contraria. Hic quatuor cuiusque motus terminos ab Aristotele in Physicis relatos animaduerte: antè, ponè, sursum, deorsum, sinistrorsum, dextrorsum. Nonne annuere, & renuere.) Propositũ supra axioma quæstioni de tribus animæ uiribus accommodat. In primis autem docet, unũ esse genus animi permotionũ, id est cupiditatem, quo pertineant uariæ formæ: nimirum quia totius animi duæ sint partes, una rationalis, altera appetitoria. atq; appetitoria rursus diuidatur in irascibilem cupiditatem, et concupiscibilem, propter diuersa utriusq; obiecta: siquidem obiectorum discrimen diuersas facit actiones, diuersasq; potentias. Cum hæc ita se habeant.) Diuersam esse irascibilem à concupiscibili, ostendit ab obiectorũ differentia: idq; in exemplo diuersarum cupiditatum, ut potus, ut cibi, ut reliquarum etiam. Nunquid maquantum sitis est.) Exempli gratia docet, famem diuersam esse cupiditatem à siti, quòd alterius obiectũ sit potus, alterius cibus: ex quo fieri uult, unicuiq; po

tentiæ

tiæ suum esse definitum obiectum, quod idem alterius potentiæ esse nequeat: siquidem obiectum instar formæ est, potentia uerò instar materiæ: una autem materia ab una tantum forma informatur, eiusq; forma in aliam non cadit materiam. Ipsum uerò sitire) id est, nō solum appetitio unius rei, ut potionis, unum habet definitum obiectum, sed ne illud quidem obiectum alterius esse potētiæ potest. Ita certè ipsa cupiditas.) Genus cupiditatis seu appetitus in anima eundem et unum esse ait: additione uerò facta huius, uel illius rei, fieri species diuersas cupiditatū, ut irascibilem ac cōcupiscibilem. Cognosce hic dialecticæ præceptum ad diuisionē, definitionemq; rerum pertinens, cum ait generi, id est communitati alicui addendam differentiam, id est particularem aliquam notionem rei communis, ut species constituantur. Nempe bona omnes expetunt.) Omnes bonum sponte appetunt, ut ait Aristoteles lib. 1. Ethic. propter cupiditatem uidelicet suæ conseruationis: siquidem ens & bonum idem sunt. qui autem bonum cupit, esse quoq; cupit. Hic Plato monet obiter, ne, dum singularem aliquam speciem constituere uolumus, plus addamus generi, quàm oportet. ut si dicamus, sitim appetitum esse boni, quòd sitis sit cupiditas, omnisq; cupiditas tendat in bonum. Sed uidendum est, ut propria & proxima differentia cuiq; generi addatur, non remota: sicut in inuestigandis quoq; generibus, non ultima, remota' ue quærimus sed propiora. Verùntamen quæcunq; eiusmodi.) Adhuc docet, unicuiq; potentiæ suum esse obiectum propositū, idq; natura relatiuorum obiter explicata. Ait enim, relatorum hoc proprium esse, ut de altero dicantur, non de se ipsis: atque ita dicantur, ut ad illud referantur unum. Hoc inductione similium diuersorum ostendit, ut sitim referri ad aliquod obiectum, atq; adeò potentias omnem concludat. Non ne & de his.) Vnaquæq; ars subiectum habet suum, quasi materiam, circa quam uersatur. Tale uerò aliquid dico.) Tale de subiecto aliquo semper dicitur, tanquam qualitas, ipsumq; tale ad aliquid refertur: ut, Si scientia est, talis rei est scientia, & non absolutè scientia. Diuersis adhuc exemplis docere hic uult, relata ad unam rem solum referri. Hoc itaq; inferre me uoluisse.) Propositum suprà axioma, inductioneq; examinatum, conclusione complectitur, docens, cupiditates, sicuti potentias omnes, unius esse obiecti tantum, nō multorum. Neq; uerò ideo dico.) Tacitam diluit huiusmodi obiectionem: Quærat, inquit, aliquis, si relata ad aliud semper referuntur, illa ne relatio in alterutro relatorum sint, an in utroq;? Cui respondet: Ipsa quidem relata per se, seorsum nō esse talia, qualia dicantur, sed quòd referantur inter se mutuò: ut, scientiam non esse per se scientiā, sed talis rei scientiam. Vt non amplius scientia.) id est, ne simus tam genere contenti, quin illi discrimen addatur. Sitim uerò non'ne his.) Quæstioni propositæ de cupiditatum distinctione, superiora axiomata accommodat, docens diuersas illas esse quòd diuersa habeāt obiecta. Sitiens igitur anima.) Conclusio est, affirmans, sitim, atq; adeò omnē cupiditatem, circa unum duntaxat obiectū uersari: ideoq; distantib. obiectis, diuersas esse cupiditates, seu potētias. Fatemur' ne esse aliquos.) Diuersos esse animi affectus, effectusq; cupiditatis, ostēdit hactenus: nunc uires ipsas animi diuersas esse probat, quando diuersarum actionū diuersæ potentiæ sunt: & ut uulgò dicitur, actus distinguūtur pro obiectis, & potentiæ per actus ipsos. Quare Plato antea docuit, effectus cupiditatis esse diuersos, quia obiecta essent diuersa. nūc uerò potentias, e quibus illi actus nascantur, differre ait, quòd ipsi inter se differāt actus. Meritò igitur duo hæc.) Concludit, tres animi uires esse diuersas, rationē imperantem, cupiditatem illi subditam: eamq; aut irascibilem, aut concupiscibilem existere. Hæ itaque duæ in anima species.) Hactenus duas esse in animo uires inter se diuersas tantum docuit, rationē, & cupiditatem: ipsam autem cupiditatem quasi genus in species suas nunc distinguit, idq; distinctis utriusq; et obiectis & effectis. Et quasi duobus dissentientibus.) id est, Irascibilis uis est quædam animi, modò ad rationem, modò ad concupiscibilem sese conferēs, tanquā media inter utranq; uim. Vnde rationis particeps iracundia dicitur à Platone in Timæo, & ab Aristotele lib. 7. Ethic. Hic diuersitatē effectuum iræ, à cupiditatis effectibus, ostēdere uult Plato, ut diuersas esse has duas uires ostendat. Quid autem, quando iniuriam se.) Iræ finem, effectusq; diuersos ad finem consequendum, id est uindictam, constituit, ut peculiares illi actiones, obiectumq; proprium ascribat, itaq; à cupiditate distinguat. Etenim in nostra ciuitate.) Quæ de irascibili suprà dixit, custodibus ciuitatis nunc accommodat, ut à digressione ad propositum rediens, uires animi iam demonstratas in Repub sua ponat, ostendatq; in singulis eius partibus. Ac custodes quidem ait irascibilis imaginem habere, propter commissam sibi Reipub. defensionem. Quod in præsentia contra.) Id est, Suprà iram cum cupiditate confundebamus, uno cupiditatis nomine utranq; appellantes: nunc autem distinguendæ sint. Nunquid & irascendi uis est.) Adhuc quærit, quomodo iracundia diuersa quædam animi uis sit à reliquis, ut ei respondētem ciuium ordinem in Repub. assignet. At potius quemadmodum.) Tria hominū genera in Repub. Plato posuit, rectores, opifices artificesq; omnes, & custodes seu defensores. nunc iisdem tres animi uires, rationem, iracundiam, cupiditatemq; ascribere uult. Nempe etiam si alia.) id est, Erit quidem tertia iracundiæ animi facultas, si diuersa esse appareat à ratione, et cupiditate. Nam in puerulis quiuis istud.) Ab exemplo puerorum etiamnum docet, diuersam esse iracundiam à cupiditate, & ratione. ait enim, pueros iracundos esse plerunq; natura sua, propter natiuū feruorem: idq; ingenij magni signum esse. Pectora castigans.)

gans.) Homeri testimonium, frequenter à multis citatum, in hanc sententiam affert, quo ostendat, iram diuersam esse uim à ratione, quando illam ratio cohibeat, & ea cupiditatem: quo fit, ut nisi uires essent diuersæ, eædem nec diuersas nec contrarias actiones haberent. In his itaq; uix tandem.) id est, Hactenus quidem tantum diximus, trib. animi uiribus totidem Reipub. partes responderet: at quomodo id fiat, nondum est explicatum dicetur tamen deinceps. An nondum oblitus sum is.) Hic non modò uires animi confert cum Reipub. partibus, sed uirtutes item in illis cadentes. Tres, inquit, suprà diximus, uires esse animi, rationem, iram, cupiditatem: tres item in iis sitas uirtutes, prudentiam, fortitudinē, temperantiam: & mixtam quandam ex iis tribus aliam, id est, iusticiam. idem ciuitati adscribi potest, ut rectores rationis atq; prudentiæ imaginem gerant, custodes iracundiæ ac fortitudinis, opifices cupiditatis ac temperantiæ: omnes tamen hi rectè inter se cōgruentes, unam efficiant Rempub. iustam. Atq; hæc erit Reipub. quæsita à nobis iusticia. Musicæ, atq; gymnasticæ) Temperantiam Plato dixit, similitudine quadam, esse mixtum quiddam ex gymnastica & musica, eo quòd ipsa ueluti media, & uoluptates degustaret, & moderaretur: ut Aristoteles etiā lib. 7. Ethic. docet. Hanc porrò uirtutem in cupiditate tanquam subiecto sitam esse putat, quòd eius sit munus, uoluptates nimias, eas præsertim quæ circa tactum sint, moderari. Quinetiam ab externis.) Fortitudinis uim describit, eamq; in irascibili ponit, quòd illius proprium sit, timores cohibere, ferociamq, nimiam reprimere. Sapientem uerò breui) Sapientiam, seu prudentiam rationi ascribit, eamq, reliquis non modò uirtutibus, sed animi quoq, partibus præficit, quòd modum iis atq; formam det. Temperantem rursus aliquem.) À temperantia dicitur quis temperans, sicut à fortitudine fortis, à prudentia prudens, eo quòd eius habitum animo suo habeat insculptum, quodq, unam teneat in actis omnibus tam publicis quàm priuatis rationem, uiam & modum, quem nō excatat quod cum iusticia maximè cōgruit, quæ unā ex diuersis rebus ac uiribus cōsensionē facit. Iustus denìq, ex eo.) Hinc docere iusticiæ urbanæ rationē incipit, dum iusticia quid sit, et quomodo ciuitati insit, demōstrat. Eam enim uirtutē esse aut ex omnibus aliis constantē, & uniuersam ciuitate sitam, nō in aliqua eius parte. Quinimo si quid adhuc.) Exposito uniuerso iusticiæ genere, facile est subiecta illi aliqua officia describere: at uice uersa minora quædā officia describere, capite ipso neglecto, quod libro 1. & 2. fiebat, ineptū uidetur. Ergo Plato post explicatam uniuersæ iusticiæ rationem, ad explicandas quæstiones quasdam particulares descendit, quæ tunc etiam fuerunt propositæ: eas autem uno uerbo explicat, dum iustum uirū, inquit, depositū non negaturum, perfidum non futurū, aut impium, aut noxium denique alicui. Hinc contraria ratione diuersa iusticiæ officia elicere possis. Non ne horum omnium causa.) Hæc omnia officia, quæ retulit, è iusticia tanquam principio nasci putat, quòd omnis forma aliquid agat seu imperando, ut principales causæ: siue exequendo, ut instrumentariæ. Tandem nobis absolutum.) Epilogus est uniuersæ disputationis de iusticia ciuitatis, de qua iam inde à libro primo huc usq; disputatū est. Hoc aūt erat ô Glauco.) Id est, hac de causa adumbratum quid esset iusticia dixi, quia nunc fuit id expressius docendum. Reuera quidē talis iusticia est.) Iusticiæ munus describit, quando de illa sermo institutus est, eiusq; explicatio ad ciuitatis institutionem pertinet. Docet autem, proprium illius esse, nō modò eam ad alios pertinere, sed ad se quoq; ipsam, dum concentum illum animi uirium à natura factum tueri quisque studet, uitiis, prauisq; omnibus affectibus sublatis. Sicut enim suum cuiq; reddere iusticiæ est, ita quoque singularum animi uirium munus & officium tueri. Tanquā tres terminos harmoniæ) In Timæo Plato tres animi uires, rationem, iram, cupiditatem, tribus terminis musicæ respondere dixit: nunc tres uirtutes eisdem tribus uiribus insitas, similem quoque concentum facere in ciuitate docet, ut in hac figura licet cognoscere.

Disdiapason

Hypate——Ratio——Prudentia——Rectores.

Mese——Iracundia——Fortitudo——Custodes.——Iusticia.

Neate——Cupiditas——Temperantia——Opifices.

Itaq, hæc omnia nectens) Iusticia in unoquoque homine nexus quidam omnium harum uirium animi, uirtutumq; est quasi concentus quidam: eadem in ciuitate similem facit cōcentum ordinum illorum trium, quos retulimus. Sapientiam uerò operationi.) id est, Idem porrò iustus uir sapientiā esse scientiam id est prudentiam uersari in cognitione, scientiaq; ueritatis tanquam subiecto: insipientiam uerò, iniustam esse actionem, eamq; non à scientia, sed ab opinione oriri, putabit. quia imprudētia error cum sit, ex opinione nascitur: quæ tum uera, tum falsa est, contra ac scientia. Animaduerte hic Platonem, iusticiam omnes uirtutes appellare: id est, nexum omnium uirtutum in animo. Quod de iusticia uniuersali intellige, non de singulari, quæ una est ex quatuor uirtutibus, sicuti suprà idem docuit: cum eam definiuit esse id, quod unicuiq, suum reddere iuberet. Enimuerò de iniusticia.) Hactenus de iusticia, nunc de iniusticia disserit, sicuti libro item secundo cœpit facere. Iniusticiam autem appellāt perturbationem

illius non. enim, quem suprà posuimus, uidè contrariorum eadem est disciplina: ac si iusticia illa loco, eius contrarium erit iniusticia. Nempe in hæc circa corpus. Eadem similitudine usus est Galenus, ad corporis tẽperationẽ ex quatuor humoribus ostendendam. Hic enim Plato sanitatem ait ex quatuor humorum corporis rectà cõsensione, morbũ ex perturbatione nasci: eodemq; modo iusticiam ex nexu uirtutum, iniusticiam ex dissolutione earundem fieri. Restat, ut uideatur.) Iusticiæ atq; iniusticiæ effecta ostendit: quãdo eius est, qui de aliqua essentia differit, deq; illius contrarijs, de effectis quoq; agere. Si modo non det pœnas) id est, Non quòd iniusticia cuiusq; lateat, pœnasq; non det, iustus is erit: quia semper remanet iniusticia, & si non punita. Quæstionẽ hic, libro 2. propositam à Thrasymacho, dissoluit. Mihi quidem ô Socrates.) Tanta est ueritatis uis, ut repugnantium assensum ad se cohibeat. Veluti nunc Glauco, qui tam facilem eam quæstionem ait nunc dissolutam, ut nulla egeat explicatione: cum nemo nesciat iniusticiam esse morbum, ideoq; noxiam, tametsi latentem. Verùm postquam eò deuenimus.) Quia institutum disputationis de iusticia, est, docere, quæ nam iusta sit Resp. & quæ iniusta id ipsum nunc Plato quærere incipit, enumeratis Reipub formis, ut quæ sit ex ijs iustißima, doceat. facta autem comparatione uirtutum cum uitijs, & uirtutũ ipsarum cum iusticia, docet, Reipub. uitium in eo esse, si ipsa sibi non consentiat, concorsq; sit, sed tanquam multiplex & uaria concordiam nõ habeat. Primum itaq; statuit, uirtutem esse unam, uitia uerò multiplicia: quòd bonũ una ratione sit bonũ, malũ autẽ multis modis. Deinde seruata similitudine animi uirtũ, quot modis animus uicictur, & quot item Respub. ostendit: ut conclusione doceat, quæ sit iusta ciuitas, & quæ iniusta. quod ipsum ut explicet, ait, Quot sane rerum publicarũ) id est, Rempub animo comparauimus, ac similitudine quadãnã utroq; et uiciũ & uirtus eadem ferè ratione est: Ergo quot animi uicia esse poßint, totidem erunt etiam Reipub. siquidẽ constat uirtutem esse unam, nisi quòd quatuor modis distinguitur, id est, quatuor fiunt uirtutes cardinales: uitium autem multiplex est, sibiq; ipsi repugnans. Vnum aliquem Reipub.) id est, aut Respub. regitur ab uno, aut à multis. si ab uno, monarchia dicitur uno nomine: si à multis, administratio Reipub. Rursus si ab uno regitur, aut unus ille solus gerit arbitrio suo cuncta, aut arbitrio cum optimatum adhibito si solus, tyrannis si cum alijs regnum dicitur. Hic tertiam aliam subdiuisionem Plato ab Aristotele factam omittit: nam Aristoteles paucorum imperium addit. Quo fit, ut Plato quinq; Reipub. formas, Aristoteles sex faciat. ille quidẽ regnum, tyrannidem, democratiam, oligarchiam: mixtam uerò illam Rempub. ab Aristotele positam negligat. hic uerò administrationẽ ita distinguit, ut omnis ciuitas aut à multis, aut à paucis, aut ab uno administretur: idq; uel bene, uel prauè. ac si ab uno rectè, dicatur regnum: si ab uno malè, tyrannis. si à paucis rectè, optimatum Respub. si male, oligarchia si à multis rectè, mixta eadem Respub. si malè, democratia Itaq; Plato ab Aristotele differre id tantum uidetur, quòd ille oligarchiam cum multorum administratione confudit, hic distinxit: unde quinq; ille formas Reipub. hic autem sex ponit. Ait rursum Plato, quinq; esse animæ species, cum Aristotele quoq; lib. 2 de Animo: uidelicet altricem, uegetatricem motiuicem, sensitricem, rationalem. hæ in uno homine coniunctæ, sibiq; rectè consentientes, unius animi tranquillitatem summam edunt. eodemq; modo Reipub. species omnes quinque, quas diximus, diuulsæ per se seorsim, nec temperatæ & commixtæ, unam tanquam animam: sic Reipub. cõsensionem iustam nunquam efficient. Nam neq; tyrannis per se seiunctè, est bona: nec regnum item purum, nec democratia, nec oligarchia: sed ex his mixta quædam Reipub forma, quæ Aristoteli quoq; in Politicis placet. Hanc unam ideo speciem.) Ciuitatem unã appellat hic eam, quæ propter ciuium consensionem una dicatur, non quòd una quædam Reipub. species sit: ueluti suprà ciuitatem à se descriptam unam esse, reliquas uerò iniustas non unas, sed multiplices appellauit.

ARGVMENTVM IN LIB. V. PLATONIS de Republica.

IN hoc libro Plato cum Glaucone, quæ in libri tertij fine dicta sunt de bonorum, uxorumq; communitate, inculcat: idq; illius hortatu, cum aliò ipse tenderet, uidelicet ad uitiosæ Reipub descriptionem. Qua in re primum fœminas in Repub sua communia cum uiris munera obire posse docet, idq; ait utile ac bonum esse: bonorum deinde communitatem tuetur. Hinc ad belli rationem describẽdam transit: in quo de iure uictoriæ in hostes, deq; cæteris ad bellum pertinentibus agit Ex quibus omnibus concludit, nõ modò talem ciuitatem, qualem hic descripserit, existere posse, sed etiam eam esse quàm optimam. Descripta hoc modo Reipub. tanquam materia, ad eius rectores transit: id quod proximum est itaque illius principem siue rectorem philosophum esse uult. Quod ut apertius ostendat, quis sit philosophus uerus, & quis falsus, indicat, subiecto utriusq; distinctio.



ONAM equidem ciuitatem huiusmodi, rectamq́ Rempub. uoco, uirumq́ talem bonũ esse dico. Ac si recta hęc Respub. est, alias prauas appello, utpote quæ circa ciuitatis ipsius gubernationem, & priuatorum disciplinam aberrent, quæ quidem in quatuor speciebus prauitatis sunt. Quæ'nã istæ, inquit? Tunc ego narrare pergebã, qua ratione mihi singulæ ex sese inuicem dependere uiderentur. Verùm Polemarchus, paulo enim à me longius aberat, quàm Adimantus, Adimanti post tergum sedens, extendit manum, prehendensq́ supernè Adimanti pallium circa humeros, & cum paulisper ad se traxit, & os ad aures eius admouit, submissà uoce susurrans. Ex his autem quæ dixerit, nihil ipsi percepimus, nisi id unum, quod ait, Permittemúsne? an quid agemus? Cui Adimantus altius respondens: Minimè, inquit. Ad hæc ego: Quid'nam istud est, quod non uultis permittere? Te, inquit ille. Quid adeo? inquam ego. Declinare nempe nobis uideris, inquit, speciemq́ totã disputationis huius non minimã subticere ne nobis exponas, atq́ surripere: putasq́ latêre nos, quod malèdixisti, de uxoribus quidem & pueris, constare scilicet omnibus omnia, sicut inter amicos, communia esse debere. An non rectè, ô Adimante, dixi, inquam? Rectè nimirum, inquit: sed quemadmodum in alijs, ita in hoc explanare oportet, qua ratione ita se rectè id habeat, quis cõmunionis sit modus. nam multi esse possunt. Ne igitur id prætermittas, quo minus nobis aperias, quẽ tu potissimũ dicas. Profectò nos diu iam expectamus, sperantes expositurum te tam circa filiorum procreationẽ, quæ sit generationis cõditio, quàm circa nutritionem, quæ educationis futura sit ratio: qualisq́ debeat esse hæc omnis quam tu dicis, uxorum liberorumq́ communio. Plurimum quippe, immò uerò totum referre istud ad Republicã ducimus, rectè ne an non agatur. Nunc autem quum Rempublicam aliam aggrediaris, priusquàm sufficienter tractaueris hæc, uisum id nobis est, quod & ipse audisti, ne te aliud quicquã aggredi permittamus, antequàm hæc omnia, quemadmodũ cætera exposuisses. Me quoq́, inquit Glauco, uobiscum sentire existimate. Equidem & Thrasymachus in hoc proculdubio nos conuenire, inquit, omnes, ô Socrates, puta. Quid agitis, obsecro, quid me ita reuocatis? quàm grauem rursus tanquam à principio disputationẽ de Republica suscitatis? Nempe ego quasi hanc iam peregissem, mihi ipse congratulatus sum, satis esse factũ existimans, si quis hæc boni consulat, sic hæc accipiẽs, quemadmodum sunt dicta. Quæ uos nunc exigentes, nescitis quàm frequẽs disputationũ instigetis examen. Quod ego tunc prospiciens, libens cessi, prætermisiq́, ne crebro nos tumultu turbaret. Quid uerò, inquit Thrasymachus, conuenisse huc hos arbitraris, ô Socrates, ut aurũ funderẽt, potius quàm ut sermones audirent? Vt sermones audirẽt, inquam, sed moderatos. Modus uerò & terminus horum sermonũ audiẽdorum, ô Socrates, inquit Glauco, omnis uita est uiris mentem habentibus. Sed nos quidem mitte: tu uerò ne graueris, si tibi uidetur, ea quæ perquirimus, declarare, quæ nostris custodibus circa mulieres & filios sit futura communio, quæ'ue nutriendorum puerorũ ratio eo ipso in tempore adhibenda, quod generationem inter & disciplinam labitur, quæ laboriosissima certè esse uidetur. conare nobis hęc aperire. Haud facilè, inquã, ô uir beate, explicari hæc possunt. plures enim in his quàm in superiorib. insunt ambiguitates. Primo quidem, an fieri hęc possint, dubitaretur. Quin etiam si possint, utrum optima ista sint, & quomodo, dubitabitur.

Quapropter difficultas hęc me dehortatur, uerentem ô dulcis amice, ne uotum quoddam, & fictio esse mea hæc oratio uideatur. Ne pigeat, inquit, obsecro. neque enim auditores habes ingratos, uel incredulos, uel maleuolos. O' uir optime, inquã ego, num ut exhortens me, hæc affers? Nempe. Contrà, inquam, omnino facis. Nam si ego persuadeam mihi nosse quæ dico, pulchrè habet adhortatio hæc. Nempe tutum est & audendum, inter amicos, prudentesq; uiros, uera quæ quis cognoscit, de maximis preciosis' que rebus pronunciare. Cum diffidentia uerò & ambiguitate uerba facere, quemadmodũ ipse facio, cauendum, & fallax. Haud formidãdum, inquã, ne risum audientibus moueam: nam puerile id quidem. sed ne à uero procul aberrans, & ipse falsitati succumbam, & amicos mecum traham in ruinam: & in his unà decipiamur, in quibus minimè omnium errare cõueniat. Adoro itaq; supplex Adrastiam ob ea quæ dicturus sum, Glauco. Reor enĩ, minus eum deliquere, qui non sponte aliquem perimit, quàm qui circa cõstitutiones de honestis & bonis, iustisq; fallit. Hoc autem discrimen subire præstat inter inimicos homines, quàm amicos. Quare melius, ô Glauco, me cõsolare. At enim, ô Socrates, inquit Glauco, si quo pacto nos ex hac disputatione errare contigerit, absoluemus te uelut ab homicidio, & insontem in hac deceptione pronunciabimus. Ergo audacter disputationem ingredere. Porrò innocens est, inquam, qui illic absoluitur, ut leges docent. Ergo & qui hic absoluitur, innocens. Dic igitur, inquit, hanc ob causam. Dicere nunc rursus oportet, inquam, quæ fortè deinceps dicẽda erant. Fortè autem operæ precium est, postea quàm integrũ uirile opus expressimus, deinceps quæ sunt mulierum referre, præsertim cum ad hoc ipse me cohorteris. Hominibus quidẽ natis et eruditis, quemadmodum suprà narrauimus, ut mea fert opinio, nulla est alia recta filiorum mulierumq; adeptio atque usus, quàm ea uia gradientibus, quam ipsi à principio ingressi sumus. Etenim conati sumus, tanquã gregi custodes, uiros fœminæ præficere. Nempe, inquit. Sequamur igitur generationẽ, nutritionemq; quàm simillimam adhibentes, consideremusq; utrum ita deceat, nec ne? Quónam pacto, inquit. Ita. Vtrum inter canes gregis custodes, fœminas ipsas censemus unà eadem custodire debere quę & mares, et unà uenari, ac cætera omnia communiter facere. An fœminas quidem intus quasi domestica asseruare, tanquã ad forensia opera impotentes, propter ipsum catulorum partum & nutrimentum: masculos autem labores subire, omnemq; armenti curam gerere? Communiter his, inquit, omnia tribuimus: nisi quòd fœminis ut imbecillioribus, maribus ut robustiotibus utimur. Fierí ne potest, ut animali aliquo ad eadem utaris, nisi eadem ratione nutrieris, erudierisq;? Nullo modo. Si ergo fœminis ad eadem utemur, ac uiris, in eisdem erudire decet. Certè. Musica autem & gymnastica uiros in superioribus erudiuimus. Sanè. Mulieribus igitur artes hæ similiter, & res bellicæ tribuendæ sunt, ad eademq; uti his decet. Consentaneũ istud quidem ex his quæ dicis. Forsitan multa præter consuetudinem ridicula uidebuntur dicta, circa ea quæ nunc induximus, si agantur, uel dicantur. Et maximè quidem. Quid in his maximè ridiculum cernis? An quia nudas fœminas conspecturus sis in palæstris cum uiris certantes, nõ modò iuuenes, sed & uetulas, quemadmodum senes uiros in gymnasiis, quando unà exercentur, licet iam rugosi, ueternosiq; sint? Ita per Iouem. Nam ridẽdum id quidem, ut nunc res sunt, uideatur. Nos igitur, postq; dicere cœpimus, haudquaquam uereri debemus facetorum hominum dicacitates, quotcumque & qualescunque iaciant aduersus huiusmodi mutationem, quam circa musicam gymnasticamq; inducimus: neq; minus circa armaturam, equestremq; facultatem. Probè loqueris. Ergo

postquam

postquam dicere cœpimus, pergamus ad legis seueritatem, rogantes istos ne solito more nugentur, sed seria cogitent: admonentesq́ haud longum pręterisse tempus, ex quo Græcis turpia & ridicula uidebantur, quæ hodie barbarorum plerisq́ ridenda uidētur, nudos uidelicet spectare uiros: & quando primùm exercitationes huiusmodi aggressi fuerunt, in primis quidē Cretenses, deinde etiam Lacedæmonij, licebat profectò urbanis uiris, qui tunc erant, hæc omnia rarpere. an non putas? Equidem. Verùm, postquam, ut arbitror, utentibus uisum est commodius nudato corpore quàm operto homines exerceri, factū est, ut quia optimum id fuerat ratione iudicatum, oculis ridiculum minimè uideretur. Ex quo perspicuū est, inanē esse eum hominem, qui deridēdum quicquam, præterquam quod est malum, existimat, qui irridere res ipsas aggreditur, aliam quampiam sibi proponens derisionis causam, quàm quod insipidum atq; malum, aut honestum quicquam & studio dignum existimat, aliò respiciens quàm ad bonum. Sic est omnino. An non in hoc primùm cōuenire oportet, utrum possint hęc fieri, nec ne? Concedere insuper cuiq;, ut pro arbitrio aduersus hæc ambigat, siue ioco, siue serio, quis addubitare uoluerit, utrum in hominum natura possit fœmina cum masculo in omnibus operibus cōmunicare, uel in nullo, uel in quibusdam ualeat, in alijs uerò nequaquam, ipsaq; res militaris utro in genere hominum sit? Nónne quisquis ita rectè exorsus fuerit, ut decens est, rectè etiam peraget? Maximè. Vis ergo, ut nos pro aliorum causa, nobis ipsis dubitationibus aduersemur, ne sine defensione, quæ sunt rationis alterius, oppugnentur? Nihil prohibet. Dicam igit̃ sub eorum persona hunc in modum. Nihil opus est, ô Socrates atq; Glauco, ut alij nobis repugnent. Nam inter nos statim à principio condendæ ciuitatis constitit, oportere secundum naturam unumquenque unum quiddam, quod suum esset, peragere. Constitit. quid ni? Est ne igitur, ubi non longè mulier ipsa natura à uiro differt? Cur non differat? Ergo nónne opus utriq; aliud pro natura utriusque est tribuendum? Proculdubio. Quid restat igitur, quo minus aberretis nunc, uobisq́ ipsis contradicatis? quandoquidem asseritis uiros & mulieres oportere eadem operari, cum tamen natura ualde inter se discrepent. Habebis'ne, ô mirifice uir, quid ad ista pro nostra defensione respondeas? In præsentia quidem, inquit, haud satis facile: sed orabo te, atq; oro, ut quid potissimum in nostri sermonis defensionem afferri possit, exponas. Hęc quidem ô Glauco, inquam, cæteraq; generis eiusdē permulta iādudum prospiciēs, timidus atq; inuitus ad hanc legem descendebam, de mulierum & filiorum adeptione atq; nutricatione. Profectò, inquit, non leue istud apparet. Non certè. sed ita res se habet. Siue quis in stagnum breue prolapsus est, siue profundū in pelagus, nihilominus aqua in media natat. Prorsus. An non & nobis quoque natandum, conandumq́ ut disputationis undas incolumes euadamus, sperantes aut delphinum nos aliquem suscepturum, subleuaturumq́, aut aliā quandam occultam salutis causam nobis fore? Ita uidetur. Circumspice obsecro, si qua exitum nanciscamur. Attende itaq;. Conuenimus profectò, naturā aliam aliud opus tractare debere: mulieris autem & uiri diuersam esse naturam. Diuersas naturas in præsentia ijsdem studere rebus iubemus. In hoc illi nos accusant. Valde. Quàm generosa, ô Glauco, contradictoriæ artis potentia est? Cur, inquit? Quia uidentur mihi permulti etiam inuiti in eam incidere, arbitrari que nequaquam litigare, sed disserere, ex eo quòd nequeant secundum species diuidentes, quod illis propositum est, contemplari: imò uerò secundum ipsum nomen contrarietatem propositi prosequantur, contendentes potius inuicem, quàm disputantes. Contingit equidem

 multis,

multis, sed nunquid & nobis idē nunc accidit? Et maximè quidem. Videmur sanè inuiti cōtradictionem attingere. Qua ratione? Quod natura cadem, opera eadē tractare non debeat, fortiter admodū & contentiose, si uerba inspicias, contendimus. Considerauimus autem nullo pacto quæ species alterius eiusdém ue naturæ sit, & quorsum respiciētes, tunc descripserimus, quando diuersæ naturæ studia diuersa, eidem uerò eadem attribuebamus. Certè nequaquam id cogitauimus. Cæterùm licet nobis, ut uidetur, à nobisipsis exquirere, nunquid eadem natura caluorum sit & comatorum, an contraria potius: ac postquam concesserimus esse contrariam, si calui coria incidāt, calceosq; cōficiant, haudquaquā sinere comatos homines eadem facere: sin autem comati, caluos nequaquam permittere. At risu dignum id esset. An ob aliud ridēdum istud, quàm quòd tunc non omnino eandem & diuersam naturam posuimus, sed illam duntaxat dissimilitudinis & similitudinis speciē obseruauimus, quæ ad ipsa eadem studia pertinebat? Quemadmodum medicum et hominem habentem animum medicinæ studijs aptū, naturam eandem habere diximus. an non censes? Equidem. Medicinæ uerò aptum aliam, & aliam uirum promptū ad fabricandum. Omnino. Nonne & genus uirorum, mulierumq; genus, si in arte aliqua aut studio nihil inter se differāt, hoc utriq; assignādum esse dicemus? sin autem hoc ipso duntaxat discrepare inuicem uideantur, quòd fœmina quidem concipit, uir gignit, nihilo magis admittemus ostēsum fuisse, quòd ad id quo de nunc nos loquimur, à uiro fœmina differat: sed adhuc censebimus, tam custodes quàm mulieres ipsorum eadem apud nos exercere debere? Rectè nimirum. Nonne post hęc iubemus, eum qui contraria dicit, hoc ipsum nobis ostendere, ad quam artem, quódue officium ex ijs quæ instituendæ ciuitati conducunt, non eadem sit, sed diuersa uiri mulieris ue natura? Sic utiq; decet. Fortè, quod tu paulo antè dicebas, alius quoq; diceret: subitò quidem quantū satis sit dicere, non facilè esse: sin autem cogitetur, haud multum difficile. Diceret utiq;. Vis ergo oremus eum qui hęc nobis opponit, ut aures nobis præstet, attendatq; si qua ratione illi ostendere queamus, nullum esse studium ad res ciuitati subministrandas, mulieris proprium? Omnino. Age itaq; ad eum dicamus: responde, nunquid ita dicebas, ad aliquod opus aliquem apto ineptóue à natura ingenio prędití esse, ex eo intelligi, quòd ille facilè quicquam percipit, hic difficile: & ille si breue quid à quoquam didicerit, ex eo ipse plurimum inueniat, hic autem cum plura didicerit excogitaueritq;, paulo pòst obliuiscitur: & illi quidem corporis membra sufficienter menti subseruiunt, huic autem repugnant? An alia præter hæc sunt, quibus hominem ad aliqua naturà bene institutū, ab instituto malè distinguis? Nullus alia dicet. Scis ne aliquid ab hominibus exerceri, in quo nō omnia eadem uirorum genus, & excellētius habeat, quàm mulierum genus? an latè uerbis uagabimur, texendi artificium commemorantes, placentarumq; & obsoniorum confectionem, in quibus aliquid mulierū genus esse uidetur, ubi perridiculum sanè apparet cum uincitur? Vera loqueris, quia longè in omnibus, ut ita dixerim, genus à genere superatur. Mulieres autē multę multis uiris ad multa præstantiores. Vniuersum uerò ipsum se habet ut dicis. Nullum igitur est, ô amice, inter eos qui ciuitatem curant, officium mulieris proprium, quà mulier est, aut uiri proprium, quà uir, sed æquè dispersæ in animantibus utrisque naturæ: & omnium quidem operū natura compos est fœmina, omnium & uir est compos: in omnibus autem imbecillior fœmina. Sic est prorsus. Num uiris omnia præcipiemus, mulieri autem nihil? At quomodo?

Est utique, ut nos asseremus, inter mulieres quoque alia medicinæ apta,

apta, alia minimè: alia musica, alia natura a musica aliena. Quid ni? Et alia quidem ad exercitationes gymnasticas & rem militarem prompta, alia uerò ad hæc inepta. Sic arbitror. An non & una quidem sapientię studiosa est, altera sapientiam spernit: & una elato animo, altera uerò depresso? Et hoc alfero. Est ergo et inter fœminas quędam ad custodiendū idonea, quędam minimè. An non naturam quandam huiusmodi ciuitatem custodientium uirorū elegimus? Eiuscemodi certè. Mulieris itaque & uiri eadem hæc natura ad ciuitatem custodiendam nisi quòd mulieribus ut imbecillioribus, uiris ut robustioribus est utendum. Apparet. Mulieres itaq; tales eligendæ sunt, ut unà cum uiris & colant & custodiāt ciuitatem, postquam idoneæ sunt, & natura ipsis cognatæ. Prorsus. Studia uerò nonne eadem naturis eisdem sunt tribuenda? Eadem. Longo tandem circuitu ad priora ista reuoluti sumus, concessimusq; haud esse cōtra naturam, ut custodum mulieres musica & gymnastica exerceantur. Summopere. Quare neq; impossibilia, neq; pro desiderio commenticia, lege statuimus: quandoquidem secundum naturam, legem tulimus. Imò quæ his temporibus contra hæc fiunt, multo magis præter natura fiunt, ut uidetur. Videtur. Nónne disceptandum nobis erat, utrum possibilia & optima diceremus, nec'ne? Erat. Quod possibilia quidem, constitit. Planè. Quod autem optima, post hęc asserendum. Patet. Ad hoc ut mulieres ad custodiam sufficientes euadant, non alia opus est disciplina, quàm ea qua uiros ad idem instruimus, præsertim cum eadem reperiatur in utrisque natura. Non alia. Quid porrò de hoc sentis? Quod petis. Quæro equidem, unum existimes inter uiros alios meliores, deteriores alios esse, an similes omnes. Nequaquam similes. In ciuitate igitur, quam condidimus, nunquid censes nobis præstantiores uiros effici custodes, eam quam dedimus disciplinam adeptos, quàm coriarios petitia coriaria imbutos? Ridiculam rem quęris, inquit. Intelligo equidem. Quid autem? nónne & reliquorum ciuium hi optimi? Et reliquorum. Quin & mulieres tales, erunt optimæ mulierū? Valde. Estne aliquid melius ciuitati, quàm uiros quàm optimos, & mulieres optimas effici? Non est. Hoc autem musica & gymnastica, ut suprà narrauimus, perficere possunt. Proculdubio. Itaque non solum possibilé, sed & optimum quiddā ciuitati, lege statuimus. Ita est. Nudandum igitur corpus erit mulieribus custodum, quādoquidem pro uestibus uirtutem induent. Communicandumq; in bello & alia omni ciuitatis custodia atq; tutela, neque aliud agendum. Horum tamen officiorum leuiora quæque propter generis imbecillitatem mulieribus tribuenda. Qui uerò nudas riserit mulieres, optimi cuiusdam gratia ita nudatas, inanem circa ridiculas nugas carpens sapientiæ fructum, neq; quid rideat, neque quid agat, intelligit. Scitè nanque istud & dicitur & asseritur: quòd utile quidem, honestum: noxium autē, turpe. Et maximè quidem. Hunc itaq; unum ueluti gurgitem enatasse dicamus, de mulierum lege tractantes, adeò ne omnino submergi contigerit, dū asseuераremus omnia cōmuniter exercere debere custodes apud nos tā uiros quàm mulieres. Imò uerò sibimet oratio nostra consonuit, quòd uidelicet & possibilia & utilia ferret.

Profundum certè pelagus euasisti. Haud ingens id esse dices, cum deinceps quod sequitur, uideris. Dic iam, ut uideam. Hanc quidem & priores cæteras, ut puto, hæc quoq; lex sequitur. Quæ'nā? Mulieres scilicet has horum uirorum omnes omnium esse communes, nullamq; priuatim alicui adhærere: ac rursus communes filios, neque patrem filium nosse, neque filium suum agnoscere patrem. Multo certè difficilius istud creditur, quòd uel possibile, uel utile sit. Haud quidem arbitror dubium id cuiquam fore, quin utile sit, maximumq; bonum,

mulieres

mulieres esse communes, communes & filios, si modò fieri posit. Verùm arbitror plurimam in eo uersari controuersiam, nunquid fieri posit, necne. De utrisq; sanè summopere ambiget. Dicis utiq; sermonum conspirationẽ. Ego autem rebar, me iam ab altero liberatum iri, si tibi uisum fuerit utile esse. Nam reliquum mihi fore, ut perquirerem, utrum posibile sit annon. At latêre non potuisti, dum fugeres. Redde de utrisq; rationẽ. Sustinẽda mihi certè pœna est, sed hoc mihi indulge. Sine enim paulisper meo me arbitratu reficiam, quemadmodũ qui pigri mẽte sunt, pascere se cogitatione, quoties soli proficiscuntur, solent. Etenim huiuscemodi homines, antequam compertum habeant, quo pacto fieri posit quod petunt, omittentes hanc curam, ne nimio labore grauentur, dum de posibili & imposibili deliberent, quasi id iam sit quod affectant, sibi persuadent: ac deinceps reliqua digerũt, oblectanturq;, dũ cogitãt qualia præsente illo facturi sint, atq; ita torpẽtem animum etiam languidiorem reddũt. Haud secus & ipse pigresco, cupioq; in aliud tempus disceptationem illam differre, posibilia'ne ista sint an non. In presentia uerò, quasi posibilia sint, admittens, perquiram si ipse permiseris, qua ratione hæc existentia principes ipsi disponent, quod'ue omnium utilisima erunt ista si fiant, tam custodibus quàm ciuitati. Hæc conabor equidem prius tecum considerare, illa uerò posterius, si concesseris. Concedo equidem, considera iam. Arbitror igitur, si modò erunt principes hoc nomine digni, codemq; modo horũ ministri: hos quidem uelle exequi quæ mandantur, illos autem precipere, partim ipsis parentes legibus, partim imitantes, quatenus illis nos permiserimus. Probabile id quidem. Tu igitur legis conditor ipsis, quemadmodum uiros elegisti, ita & mulieres eligens, prebebis, quo ad fieri potest, cõsimiles inter se ingenio. Isti autem, utpote ædes & comessationes communes habentes, proprium uerò nihil talium posidentes, unà habitabunt: & inuicem congredientes in gymnasiis, ac reliquo uictu, ab innata, ut arbitror, necesitate ad mutuam trahẽtur commixtionem. An'non necessaria tibi dicere uideor? Haudquaquam necessaria, geometrica quadam necesitate, sed amatoria, quæ multo acrior est quàm illa ad persuadendum uulgo, atq; trahẽdum. Nimirum uehementer, inquam ego. Verùm post hæc, ô Glauco, sine ordine denudari inter se, uel aliud quicquã facere, neque sanctum est in beatorũ hominum ciuitate, neq; iudices id permittent. Neq; enim iustũ esset. Constat utiq; quòd nuptias deinceps, quoad fieri potest, sacras instituemus. Essent autem sacræ quàm utilisimæ. Summopere. Quonã pacto utilisimæ erũt? hoc mihi dicas ô Glauco. Video equidem tuis in ædibus & uenatorios canes, & generosas aues frequẽtes. Nunquid ad istorum coitum generationemq; quandoque animaduertisti? Quorsum istud? Primum inter hos ipsos, licet generosos, nónne sunt & fiunt præstantisimi quidam? Sunt. Vtrum ex quibuscunq; æquè fieri generationem permittis? An curas potius, ut ex optimis generentur? Ex optimis. Num ex tenerrimis quibusq;, an senio cõfectis? an ætatis in flore potius constitutis? Ex his ipsis potius. Ac nisi huncin modum generatio deducatur, longè deterius fore canum & auium genus existimas? Equidem. Putas in equis, cæterisq; animalib. aliter euenire? Absurdum id esset. Papæ ô dulcis amice, quàm perspicacib. ac summis nobis est opus principibus, siquidem in hominum genere similiter se res habet. Habet utique, quid tum? Quia necesse est, ut medicinis multis utantur. Quando enim medicinis nullis indigent corpora, sed uictus duntaxat institutionem exigunt, medicum certè debiliorem sufficere arbitramur. Cum uerò medicinis est agendum, scimus fortiori quodam medico opus fore. Vera narras. Sed quorsum hæc? Nempe necessarium fore uidetur,

tur, ut frequēti mendacio & deceptione utantur principes ad subditorum utilitatem. Diximus autem suprà, huiuscemodi omnia pharmaci medicinæq; loco necessaria esse. Et rectè quidem. In nuptijs itaque & filiorum procreatione uidetur rectum hoc fieri non mediocriter. Quo pacto? Oportet profectò secundum ea quæ suprà concessimus, optimos uiros mulieribus optimis utplurimum congredi: deterrimos autem contrà, deterrimis. Et illorum quidem prolem nutrire, horum minimè, si armentum excellentissimum sit futurum. Et hæc omnia dum agantur, ab omnibus, preterquam à principibus, ignorari, si modò armentum custodum debeat seditione carere. Probè admodum. Igitur festa quædam erunt legibus designata, in quibus sponsos & sponsas congregabimus: sacra fient, & hymni à poetis nostris, celebratis nuptijs conuenientes. Numerum autem nuptiarum arbitrio principum concedemus, ut ad hostes ac morbos cæteraq; huiusmodi respicientes, eundem quàm maximè ciuiū numerū seruent: ne'ue populosa ciuitas nimis sit, quoad fieri potest, neque uacua. Rectè loqueris. Sortes igitur quædam tali quodam artificio instituendæ, ut deterior ille in qualibet copulatione fortunā, non principes culpet. Et maximè quidem. Enimuerò his qui inter iuuenes præstantiores sunt in rebus siue militaribus, siue alijs quibusdam, munera ac premia danda sunt, & alia permulta: quin et uberior mulieribus congrediendi licentia, ut ex hac simul occasione filij plures, quàm ex alijs, ex his serantur. Probè. Itaq; filios qui ex his oriuntur, suscipiēt ij qui talibus præsident magistratus, siue uirorum, seu fœminarum, siue utrorunque. communes enim uiris & mulieribus magistratus. Est ita. Accipientes utique præstantum hominum prolem, ad ouile portabunt, ad nutrices quasdam seorsum in ciuitatis parte aliqua commorantes. Eos uerò qui nascentur ex deterioribus, siue etiam ex quibuscunque alijs, sed membro aliquo manci, in abditis, ut decet, locis abscondent. siquidem debet custodum genus purum fore. Nutritionem præterea & hi curabunt. Matres enim ad ouile, cum lacte exuberabunt, transmittent, procurantes ne ulla suum agnoscere ualeat. Ac si hæ minus suffecerint, alias insuper lacte plenas adhibebunt. Prouidebunt quoq;, ut mediocre tempus in lacte sugendo seruetur. Vigilias item, laboresq; cæteros nutricibus imperabūt. Plurimum facultatis ad procreandam prolem custodum mulieribus tribuis. Sic decet. Sed age deinceps, quod maximè intendimus, percurramus. Diximus, planè ex robustissimis oportere filios procreari. Diximus. An'non tibi quoque uidetur, moderatum adulti roboris tempus esse mulieri quidem annos uiginti, uiro autem triginta? Quis horum modus? Vt uidelicet mulier à uigesimo ætatis anno incipiens, usq; ad quadragesimum pariat: uir autem, postquam acutissimum sui cursus uigorem transierit, annos scilicet triginta, inde usq; ad annos quinque & quinquaginta procreet. Profectò in ijs ætatibus uigor animi corporisq; consistit. Si igitur senior istis, siue iunior, generationem in communi attigerit, prophanum & iniquum scelus hoc esse censebimus: quasi fœtus is in ciuitate feratur, qui si latuerit, orietur non sub sacrificijs quidem & uotis, quæ singulis in nuptijs peragent sacerdotes omnes tam uiri quàm mulieres, et ciuitas uniuersa, precantes ut ex bonis meliores, ex utilibus utiliores, nascantur: imò uerò sub tenebris, ex acri quadam incontinentia. Rectè loqueris. Eadem quoque erit habenda ratio de illo, qui cum adhuc in generandi ætate fuerit, principeq; non copulante, mulierem in ætate iam adulta constitutam attigerit. Nempe hunc asseremus puerum generare spurium, incestum, atq; prophanum. Scitè admodū. Quando igitur iam mulieres & uiri ætatem generationi aptā egressi fuerint, licere uiris dicemus, cuicunq; uoluerint,

præterquam filiæ atq; matri, & filiarũ natis, matris ue maioribus commiscere: licere & mulieribus cuilibet copulari, præter quam filio atq; patri, ac superioribus & inferiorib. eorũdem. Cum uerò hæc omnia mandauerimus, interdicemus partum talem, si contigerit, in lucẽ prodire. Si quid autem coegerit, ita exponere præcipiemus, quasi eius nulla nutritio sit. Hęc quoque probè dicuntur. Patres uerò & matres, & cęteri cognati quos memorabas, quomodo inuicem discernentur? Nullo modo: sed omnes quicunque nascẽtur decimo mense, uel septimo, ex ea die qua quis liberis operam dedit, masculi ab hoc filij, fœminæ filię nominabuntur. Nati autem eum patrem uocabunt, natorũ similiter filios ille nepotes esse dicet, isti autem superiores auos & auias nominabunt: at eos qui illo tempore nascerentur, quo patres ipsorum matresq; inuicem generabant, fratres atq; sorores. Atq; ita quod modò dicebam, nullo modo se mutuò tangerent. Fratribus autem & sororibus lex cohabitationem concedet, si sors dederit, & Pythia simul per responsa firmauerit. Rectè admodũ. Talis utiq; erit, ô Glauco, inter ciuitatis custodes mulierũ filiorumq; communio. quod autem congruat reliquo ciuitatis ordini, sitq; admodum optima, oportet deinceps ratione confirmare: aut quid agemus? Hoc omnino. An non conuentionis huius hoc est principium, ut à nobis ipsis sciscitemur, quid maximum bonum ad ciuitatis constitutionem inueniamus, ad quod respiciens legislator, leges condere debet, quidue maximũ malum? Consideremus deinde, an ea quæ modò narrauimus, ad boni ipsius uestigationem nobis conueniant, à mali autẽ uestigio dissonẽt. Maximè omnium. Habemúsne ullum perniciosius ciuitati malum, quàm quod eam diuidit, & ex una plures facit? uel melius quicquam, eo quod ipsam uincit simul, & unam efficit? Non habemus. Nónne uoluptatis dolorisq; communio unit, quando ciues omnes maximè ex earundem rerum accessu uel decessu pariter gaudent ac dolent? Et maximè quidem. Horum uerò diuersitas eam dissoluit, quãdo eisdem ciuitatis, & eorum qui in ciuitate sunt casibus alij uehementer dolent, alij gestiunt. Quid'ni? Ex hoc autẽ tale quid prouenit, quãdo nõ simul in ciuitate hæc uerba uulgantur, Meum scilicet, et nõ meum, ac de alieno eodem modo. Valde. In quacunque igitur ciuitate complurimi ad idem secũdum eadem hoc dicunt, Meum, & non meum, ea optimè gubernať. Prorsus. Et quæcunq; quàm optimè ut unus homo affecta sit. Porrò quotiens alicuius nostrûm percussus est digitus, tota corporis communio ad animam pertingens, in unam coordinationem eius quod in ipsa anima dominatur, sensit protinus, totaq; simul afflicta parte condoluit. atq; idcirco hominem dolere digitum dicimus. Eademq; est de quauis alia parte & passione hominis ratio: de dolore uidelicet, cum pars aliqua dolet: ac de uoluptate, cum aliqua sui parte reficitur. Eadem ratio certè: & quod quæris, ciuitas quæ optimè regitur, quàm proximè ad hoc accedit. Quotiẽs, ut arbitror, ciuium cuiquam boni aliquid, uel mali continget, talis utiq; ciuitas suum esse clamabit eum qui sic afficitur: atq; ideo tota uel lętabitur unà, uel dolebit. Necesse est ita in ciuitate optimis legibus gubernata contingat. Sed hora iam est, ut ad ciuitatem nostrã redeamus, & quæ nunc inter nos constiterunt, exquiramus, utrum ciuitati huic conueniant maximè, an alteri potius. Licet prorsus. Sunt & in alijs ciuitatib. principes & populus, & in ista similiter? Sunt. Atqui omnes isti ciues se alterutrum appellabunt? Quid'ni? Sed præter ciuis nomen, quomodo in alijs ciuitatibus populus principes uocat? In pluribus quidem Dominos, in populari autẽ gubernatione Principes. At nostræ ciuitatis populus, quomodo ultra ciuis nomen Principes nuncupabit? Seruatores, auxiliariosq;. Quo autem modo isti populum?

lum? Mercedis tributores & nutritores. Qui uerò in alijs præsunt, populum? Seruos. Principes ipsi se inuicem? Conprincipes. Nostri autem? Concustodes. Putas esse aliquem inter aliarum ciuitatum principes, qui ex collegis alium sibi propinquum, alium extraneũ uocet? Equidem multos. Proquinquum igitur tanquam suum & putat & dicit: extraneum uerò, ut non suum. Planè. E' nostris autem custodibus, est'ne ullus qui collegarum quempiam extraneum arbitretur ac uocet? Nullus. Cuicunque enim quis occurret, uel fratri, uel sorori, aut patri, aut matri, aut filio, aut filiæ, siue horum natis, seu maioribus putabit occurrere. Prȩclarè loqueris. sed ad hoc quoque responde, Vtrum ciuibus tuis nomina duntaxat inuicem propinqua familiaria lege statues? an præterea propinquitatis officia, ut uidelicet ita se gerant, ut appellationis ipsius dignitas postulat, seruentque erga parentes, quæcunque lex exhiberi illis præcipit, reuerentiam, curam, obediẽtiam: alioquin & Deos & homines infensos habeant, utpote qui neque sancta, neque iusta agant, si contrà fecerint? Alij'ne in hac tua ciuitate sermones, quàm hi, cũctis ex ciuibus, protinus ad aures puerorũ circumsonabunt, & aduersus parẽtes, quoscunque illis quis indicauerit, & aduersus alios genere proximos? Hi certè ipsi. Absurdum enim id esset, si domestica nomina tantum ore, sine officio proferrentur. In hac igitur ciuitate maximè omnium, uno aliquo bene uel malè affecto, uno ore clamabunt omnes, Meum bene se habet, uel meũ se habet malè. Vera loqueris. Cum hac opinione ac uerbis huiusmodi sequi dicebamus, ut & uoluptates communes sint, & dolores. Et rectè quidem. In eo igitur maximè nostri ciues inuicem communicabũt, quòd meum dicent: ex qua cõmunione sequetur, ut uoluptates & dolores communes habeant. Penitus. Horum uerò causa unà cum reliqua ciuitatis constitutione, est ipsa custodum circa mulieres filiosque communio. Sic est omnino. Enimuero summum hoc ciuitati bonum esse confessi sumus, cum ciuitatẽ rectè gubernatam similem esse dicere mus corporis, cum singulis partibus suis circa uoluptatem et dolorem quoquo modo communicantis. Et meritò quidem concessimus. Maximi itaque boni causa ciuitati nobis patuit esse, ipsa inter auxiliarios mulierum filiorumque communio. Valde. Atqui & superioribus hæc consonant. Diximus enim, neque domos proprias his esse debere, neque agros, neque possessionem aliquam, sed ab alijs accipere nutrimenta mercedem custodiæ, & communiter omnes consumere, si ueri custodes futuri sunt. Probè. Nónne quod ipse aio, & quæ suprà, & quæ nunc inducta sunt, maximè faciunt, ut ueri hi custodes euadant, neque diuidãt ciuitatem, dum meum dicant nõ idem omnium, sed aliorũ aliud esse, & alius in propriam domum trahat quocunque seorsum ab alijs usurpare uoluerit, alius in suam ab alijs diuersam domum: & ex proprijs mulieribus ac filijs, diuersi diuersis lætentur et doleant: imò uerò ut ex una proprij eiusdem omnium sententia, in idem tendẽtes omnes, quoad fieri potest, similibus uoluptatibus, & doloribus ijsdem, siquid accidat, afficiantur? Maximè. Quid autem? iudiciorum controuersiæ accusationesque mutuæ, nónne cessabunt omnes, quandoquidem nec proprium quicquam præter corpus quisquam habebit, reliqua uerò communia? Vnde sequitur, sine seditione illos fore, quantum ad eas lites attinet, quæ pecuniarum, uel filiorum, uel propinquorum causa oriri solẽt. Necesse est omnino hæc abesse. Quin neque de ui illata usquam contendetur. Nempe asseremus honestum & æquum esse, ut æqualem æqualis ab iniuria arceat, tutandis corporibus necessitatem imponentes. Probè. Atqui & hoc rectum lex hæc continet, quòd siquis alicui irascatur, irámque explere contendat, minus ad maiores maiorúmue transibit seditiones. Sic est prorsus. Seniorem quippe lex nostra con

stituit præesse omnibus iunioribus, eosq; corrigere. Perspicuum id quidem. Constat præterea, quòd iunior in seniorem nisi iussu principũ sæuiet nunquam, neq; cædere audebit, ut decens est, neq; ignominia ulla afficere. Metus namq; et pudor custodes sunt, ad hæc prohibenda sufficiẽres. Pudor quidem non permittet, eos quos parentes suspicantur, uiolare. Metus autem ab iniuria absterrebit quenq;, timentem scilicet ne cæteri omnes, partim ut filij, partim ut fratres, partim ut patres oppresso succurrant. Ita prorsus accidit. Omnino igitur ex his legibus ciues inuicem in pace uitam agent. Summopere. His autem inter se minimè dissidẽtibus, haud metuẽdum est, ne quando ciuitas alia uel aduersus hos, uel ipsi inter se pugnent, seditionesq; moueant. Non certè. Puderreferre, quia minus deceat, minutissima quæq; mala, à quibus liberi ciues erũt. Adulationes certè aberũt. quibus aduersus diuites, inopes uti solent. Sollicitudines item indigẽtium, atque dolores, quibus in filijs nutriendis, quærendisq; pecunijs propter necessariam domesticorum seruorumq; nutritionem uexantur, dum & fœnoribus dant operam, & negant quæ acceperunt, & quæstui undecunq; student. Seponunt præterea apud mulieres ministrosq; permulta, quę ad tẽpus condantur. Nam quàm multa, & qualia in ijs homines patiuntur, ô amice, & ipsa per se cuiq; patent, & illiberalia sunt, & indigna narratu. Patent planè uel cæco. Porrò ab his omnibus liberi erunt, uitamq; agẽt beatiorem beatissima illa eorum uita, qui uicerunt Olympia. Qua ratione? Nempe illi ob exiguam eorum quæ hi possident partem, beati putantur. Nam & uictoria horum præclarior, & perfectior ex publico alimonia: horumq; uictoria, ciuitatis totius est salus. Alimẽta præterea, & quæcunq; alia ad uictũ necessaria, ipsi, eorumq; filij coronationis loco accipiunt. Honores insuper & præmia ab ipsa Repub. uiuentes cõsequuntur, & uita functi digna sepulchrorum suis uirtutibus monimenta. Hæc certè admodum egregia sunt. Meministi, quòd in superioribus nescio cuius oratio nobis obiecit, tanquã custodes minimè beatos efficeremus: utpote qui nihil haberent, cum tamen liceret illis ciuium omnia possidere. Ipsi autem respondimus, in posterum nos, sicubi contigerit, cõsideraturos. Nam in præsentia custodes quidem, reuera custodes facere nos: ciuitatem uerò, quoad possemus, beatissimam: neq; ad unam quandam eius partem, sed ad totam respicientes, beatitudinẽ illam exquirere. Memini equidem. Nunc certè auxiliariorum uita, quando longè præclarior ac melior quàm eorum qui Olympia uincũt, apparet, nequaquam coriariorum, aut aliorum artificum, aut agricultorum uitæ similis esse uidetur. Non certè, ut & ipse arbitror. Veruntamen, quod & suprà dixi, par est ut hic repetam: quòd si ita custos beatus fieri studeat, ut nõ sit custos, neque sufficiat ipsi uita adeò moderata & stabilis, &, ut nos asserimus, optima: sed insana & puerilis exorta felicitatis opinio, rapiat eum ob ipsam potentiam ad omnia quę in ciuitate sunt sibi uendicanda: cognoscet Hesiodum sapiẽter illud dixisse, Dimidium esse plus quàm totum. Si me consultore utetur, hac in uita manebit. Probas igitur communionem, quam mulieribus cum uiris tribuimus, quo ad disciplinam, filiorum susceptionẽ, custodiam ciuium, ut unà cum uiris in pace gubernent, in bello militent, custodiant unà, & canum instar uenentur, omniumq; officiorũ omnino quoad fieri potest, participes sint. Ac dum hæc agunt, optima agere illas concedis, neque contrà naturam fœminæ, qua instituta est ut cum mare communicet. Probo equidem. Nónne restat deinceps, ut id declaremus, utrum esse posit hæc in hominibus, quemadmodum in reliquis animalibus, communio, & quo pacto posit. Occupauisti prior, quod ego interrogaturus eram. De re quidem bellica manifestum esse arbitror, quo pacto eam

cto eam tractabit. Quónam pacto? Militabũt profectò communiter, tam mares quàm fœminæ, ducentq́; adultos filios secum ad præliũ: ut, quemadmodum aliorum opificum filij, & hi patrum suorum opera cernant, quæ ipsi quoque cum ad maturam ætatem peruenerint, effecturi sunt: atq; insuper ut parentibus auxilio sint, ministrentq́; omnia quæ ad bellũ spectent, patresq́; & matres curent. An non animaduertisti, quòd in artibus accidit, ueluti quàm diu figulorum filij fingentes patres spectant, eisq́; ministrant, antequam ipsi quicquam fingant? Maximè. Nunquid diligẽtius illi quàm custodes, filios suos erudire debent peritia & inspectione operum cinque conuenientium? Ridiculum id quidem esset. Quinetiam omne genus animantium natis præsentibus ardentius pugnat. Est ita. uerùm periculum est permaximum, ô Socrates, ne si fortè, ut accidit in bello, sors aduersa contigerit, filios quoque secum perdant, ex quo ciuitas nimis multis orbata hominibus, resurgere rursus ad prælium nequeat. Vera loqueris. Sed tu forsan in primis ita se comparare quenque oportere existimas, ut nullum unquam periculum subeat. Nullo modo. Quid? Nónne tunc in discrimẽ ueniendum, ubi qui se egregiè gesserint, præstantiores euadent? Perspicuum est. Num parum interesse censes, indignũue quod propter periculum suscipiatur, ut spectent, uel non spectent res bellicas pueri, qui milites futuri sunt? Imò uerò referre ad id quod ais. Danda igitur opera est, ut bellum pueri spectent duntaxat, et qua ratione tuti sint excogitandum, atque ita rectè fiet. Nempe. Principiò parentes eorum haudquaquam ignari erunt, sed quoad hominibus concessum est, ad discernendum perspicaces, quibus in castris periculum insit, quibus non insit periculum. Verisimile id quidem. Ad tutiora itaque ducent eos, ad alia minimè. Probè. Deinde rectores illis præficient, non ignauissimos quosque, sed homines & usu rerum & ætate idoneos, duces & pædagogos. Ita decet. Verùm multa dicemus præter opinionem multis hominibus euenisse. Et maximè quidem. Horum causa ô amice, statim à teneris annis alæ quædam applicandę puerulis, ut si quando opus fuerit, uolantes protinus aufugiant. Quomodo istud ais? Equitare consuescant primis ab annis pueri: cum'que hoc didicerint, equis ad spectaculum belli ducentur, nõ ferocibus quidem, aut nimium bellicosis, sed quàm uelocissimis, & habenis facilè obsequentibus: atque ita commodissimè opus suum prospicient, securissimeq́; euadent siquid aduersi contigerit, seniores duces sequentes. Scite admodum loqui mihi uideris. Quid de his quæ ad bellum attinent, dicendum? Quæ seruanda militibus ad se inuicem & aduersus hostes? Nunquid rectè sentio, nec'ne? Quid'nam? Arbitror eum qui in acie ordinem deseruit, uel arma abiecit, uel tale aliquid propter timiditatem commisit, ad opificum ordinem uel agricultorum esse transmittendum. Sic decet. Eum uerò qui uiuus ab hostibus captus fuerit, etiam gratis reddere uolentibus, relinquendum, ut præda quomodocunque libet, utantur. Omnino. Qui autem egregiè sese gerens excelluerit, primò quidem in ipsa expeditione ab ijs qui unà militant adolescentibus ac pueris, sigillatim à quolibet coronandus, nónne tibi uidetur? Mihi uerò. Quid? nónne & dexteras iungere illi debebunt? Et hoc. At hoc præterea tibi forsitan non uidetur? Quid? Vt oscula à quolibet accipere debeat, ac dare.

Immò uerò maximè omnium. Atqui & legi huic addendum existimo, ut quoad in ea expeditione fuerint, nemini renuere liceat, quemcunque osculari ipse desiderauerit: ut si quis alicuius amore captus fuerit uel maris uel fœminæ, acrior sit ad uictoriam consequendam. Præclarè. Nam quòd nuptiæ strenuis uiris facilius paratæ quàm alijs, & cooptio-

nes frequentiores erunt, ut quàm plurimi ex his naſcantur, iam dictum eſt. Diximus certè. Etenim ſecundũ Homerum, eiuſmodi iuuenes iuſtum eſt maximè honorare. Nam ipſe Aiacem bello præcellentem, dixit aſsiduis ab humeris honoratum: quaſi hic pubeſcenti homini ac forti conueniens ſit honor, ex quo cum honore ſimul & robur augeatur. Rectè admodum. In his ergo Homero parebimus. Etenim nos in ſacris cæteriſq; huiuſmodi uiros bonos quo magis excellent, eò magis & hymnis, & his quæ modò diximus, honeſtabimus, ſedibus item & carnibus, pleniſq; pateris, ut & honoremus unà uiros preſtãtes, mulieresq́ue, et exerceamus. Belliſsimè loqueris. Eum uerò q in militia, quũ ſeſtrenuè geſſerit, obijt, primum aurei generis eſſe dicemus. Maximè omnium. Deinde Heſiodo fide adhibita, aſſeremus, quicunque hoc ex genere decedunt è uita, dęmones effici ſanctos, terreſtres, optimos expulſores malorũ, cuſtodeſq; mortalium. Ita certe credemus. Conſulemus ergo oraculum, quo pacto beatos diuinoſq; uiros cõdere deceat, & quibus inſignibus pręcipuè decorare, atq; ita condemus ut iuſſerit. Proculdubio. Reliquũ itaque tempus ſepulchra corũ ueluti dæmonum colemus, atque adorabimus. Eadem quoq; ſeruabimus erga illos, qui cum præcipua probitate pollere in uita iudicati fuerint, ſenio aut alio quodam modo è uita ceſſerint. Decet ſanè. At quomodo aduerſus hoſtes noſtri ſe milites gerent? Qua in re? In primis quidẽ de ſeruitute quęro, utrum iuſtum eſſe cenſeas, ut Græci Græcas urbes in ſeruitatẽ redigant: an potius, ut neque ab alijs fieri iſtud permittãt, ac pro uiribus obſtent, conſueſcantq; Gręcorum generi parcere, cauẽtes ne barbaris ipſi ſeruire cogantur. Omnino, & ad omnia refert Gręcis parcere. Ergo noſtri exercitus neminem Græcum facere ſeruũ debent: ſed & Græcis alijs cõſulere potius, ut ipſi ab hoc caueant. Prorſus. Nam ita facilius ac fortius contra barbaros inſurgent, & ab ſe inuicem abſtinebunt.

Quid autem? ſpoliare mortuos pręter arma, poſtquàm uicerunt, honeſtum eſt, an non? An occaſionem hoc præbet timidis, ne aduerſus hoſtẽ aduentent, quaſi magnificũ aliquid moliantur, quando inter cadauera uolutantur? At enim rapiendi cupiditate multi iam exercitus perierunt. Maximè. An non illiberale quiddã, cogitationiſq; auaræ, muliebris ac uilis eſſe uidet, cadauer expoliare, hoſtemq; putare mortui corpus, cum aduerſarius ipſe abierit, eo quo pugnabat relicto? Num cenſes eos qui hoc agunt, differre à canibus aduerſus iactos lapides iraſcentibus, eo qui iacit dimiſſo? Nihilo equidem differre arbitror. Quare à rapinis huiuſmodi abſtinendum eſt: uictoriæ namque obſunt. Abſtinendum penitus. Neque etiam in templum arma transferemus, ea Deo ſacraturi, præſertim arma Græcorũ: ſi modò nobis curæ eſt cum Gręcis alijs beneuolentia. Maximè uerò formidabimus, ne ſcelus impium ſit, talia à proprijs in ſacrum transferre, niſi quid aliud Deus dixerit. Rectè admodum. An tui milites, Gręcorum, quibuſcum pugnabũt, agros depopulabuntur, ac domos incendent? Libẽter, quid tu de hoc ſentis, audirẽ. Mihi quidem nihil tale uidetur agendum eſſe, ſed fructus annuos dũtaxat auferendos. Vis cauſam dicam? Equidem. Videtur mihi, ſicuti nomina hæc duo ſunt, bellum ac ſeditio, ita & duo quædam duabus ſubeſſe differentijs. Dico autem duo hæc, aliud quidem proprium & cognatum, aliud alienum atque extraneum. Inimiciriam, quæ inter nos eſt, ſeditionem: quæ inter extraneos, bellum uocant. Haud ab re eſt, quod ais. Animaduerte, nũquid & hoc ad rem dicam. Aio equidem, Græcos omnes inter ſe propinquos eſſe genere, atque cognatos, à barbaris autem diuerſos atque extraneos. Præclarè loqueris. Quoties igitur Græcia aduerſus barbaros, uel contra Græcos barbari ipſi pugnabunt, bellum

gerere

gerere asseremus, & hostes esse natura, & has inimicitias bellum uocabimus. Quando uerò Græci aduersus Græcos insurgent, dicemus eos natura quidem amicos esse, morbo autem laborare in hoc Græciam, & seditionibus agitari, & seditionem has inimicitias appellabimus. Assentior equidem. Si in seditiosa ciuitate utriusq; factionis homines aduersariorum agros deturbarent, inflammarentq; domos, uides quàm perniciosa futura seditio sit, neutriq; illorũ patriæ suæ cultores? Quippe si eam amarent, nunq; certè auderẽt nutricem matremq; uastare: sed satis esse factum putarent, si uictores aliorum raperent fructus, existimantes non semper se inuicem pugnaturos, sed quandoq; reconciliandos. Mitiorum profectò hominum hæc est sententia. Ciuitas hæc quam condimus, nónne Græca? Decet. Ergo & æqui & mites in ea ciues. Maximè. Quare Græcorum amici. Nempe omnem Græciam sibi coniunctam existimabunt, & sacra habebunt ut alij inter se communia. Summopere.

Itaque contentionem sibi aduersus alios Græcos exortam, tanquam cum suis geri putabunt, seditionemq; uocabunt, nõ bellum. Sic prorsus agent.

Ergo tanquã qui reconciliandi quãdoq; sint, altercabũtur. Ita certè. Pia itaque sententia, & temperato animo rem agent, non ad seruitutem aut necem respicientes, tanquam qui hostes minimè sint. Hoc utique modo. Non ergo Græciam, cum Græci sint, destruent, neq; domos incendent, neque putabunt in singulis ciuitatibus omnes sibi aduersos esse & uiros, & mulieres, & pueros: sed paucos admodum inimicos, eos duntaxat qui fuerint discordiæ causa. Quamobrem neque regionẽ deuastabũt eorum, quasi ut plurimum amicorum, neque domos subuertent: sed eatenus decertabunt, quatenus qui discordiæ causam dederunt, insontibus pœnas soluant.

Assentior equidẽ ita esse: Græcis pugnantibus repugnandum, contrà barbaros autem ita animatos esse debere, ut nunc Græci contra Græcos affecti sunt. Ponamus itaq; legem hanc custodibus, ut neq; populẽtur agros, neq; igne ædes absumãt. Ponamus profectò, & hæc una cum superiorib. rectè se habere, asseueremus. Sed mihi quidem uideris, ô Socrates, si quis te alia quædam narrare permittat, nunquam illius te recordaturũ, quod in superioribus prætermittens, hæc omnia in medium adduxisti: quòd uidelicet possibile sit hanc Rempublicam fieri, & quo pacto fieri possit. Nam si extiterit, quòd bona omnia ciuitati ipsi proueniant, non dubito: quin & ea etiam quæ tu prætermittis. quòd uidelicet ciues illi cõtra hostes strenuè pugnabunt, eo q; se inuicẽ nequaq; desererent, cognoscẽtes se inuicem esse propinquos, per q; hæc nomina mutuò se uocãtes, fratres, patres, filios. Quòd si & fœminæ militẽt unà, siue eodem in ordine, siue subsequenti acie, ut et terreant hostes, & cum necessitas postulauerit, uiris auxiliũ afferant, certè scio inexpugnabiles eos fore: & quot bona eos domi sequantur, etsi dicta omnia nõ sunt, intelligo. Verùm tanq; cõcedẽte me hæc omnia, & alia permulta, si fiat hæc Respub. prouentura, ne plura de ipsa super inducas: sed hoc ipsum iam conemur nobis persuadere, q; possibile sit, & qua ratione possibile hanc extare Remp. Cætera uerò mittamus. Subita quadã incursione sermonẽ meum iterũ inuasisti, neq; mihi ignoscis militiæ laborib. iam defesso: neq; aduertis forsitã quòd uix me duobus è fluctib. emergentẽ, nunc in tertium retrudis pelagus profundissimum. Quod postquam uideris, audierisq;, dabis certè mihi ueniam, cognoscens haud iniuria extimuisse me sermonẽ, adeò ab opinione hominũ abhorrentẽ ingredi. Quo plura in hanc sententiã congeres, eo minus dimittẽris à nobis, quo minus ostẽdas qua ratione fieri possit hæc Resp. Quare dicas iam, nec ultra cuncteris. In primis meminisse oportet, quod inquirentes quale quid iusticia et iniusticia sit, huc disputando deuenimus. Oportet sanè,

ne, sed quorsum haec? Nempe si quale quid iusticia sit cōspexerimus, num uirū iustum censebimus nihilo debere ab illa differre, sed talem esse omnino qualis ipsa iusticia est? an satis esse factum putabimus, si quàm proximè ad eam accesserit, et maximè omnium illius sit particeps? Ita planè satis habere putabimus. Exempli igit͠ causa, quale quid iusticia sit quæsiuimus, & qualis uir perfectè iustus, si extet: iniusticia rursus qualis, & iniustissimus homo: ut quales ipsi, quoad beatitudinem & miseriam esse nobis contuentibus uiderētur, cogeremur & de nobis ipsis fateri, talē nostrûm quenque sortem habiturum, quisquis è nobis, illis se præstiterit quàm simillimū. Non autem ob id perscrutati hæc sumus, ut monstraremus ea fieri posse. Vera hæc sunt. Censes aliquem ex hoc minus bonum fore pictorem, ꝗ postquàm humanæ pulchritudinis exemplar absolutum ediderit, nihilq; de specie prætermiserit, nequeat demōstrare, hominē talem reperiri posse? Nequaquam. Nónne et nos prestantissimæ ciuitatis oratione exemplar effinximus? Prorsus. An igitur eo minus nos rectè loqui existimas, si ostendere non possumus, talem extare posse ciuitatē, qualem ipso sermone depinximus? Minimè. Sic utiq; se ueritas habet. Quòd si & hoc præterea tui causa demonstrandum, quo modo, & secundum quid maximè effici posit, rursus ad hanc ostensionem hæc ipsa mihi fateare oportet. Quænam? Nunquid sic fieri quicquā possit, ut dicitur: uel ita natura cōparatū est, ut actio minus quàm sermo ueritatem attingat, licet alicui nō uideatur?

Tu uerò utrum das istud, an non? Do equidē. Ne me cogas igit͠, ut qualia uerbis hæc figurauimus, talia penitus digito indicare debeā. Sed si ualeamus aditum enire qua ratione quàm proximè ad hæc accedat Reipublicæ institutio, fatendū est comperisse nos, quemadmodum quæ tu præcipis, effici possunt. An nō satis esse factum duces, si horum compos efficiaris? Nam ego quidem sat haberē. Ego quoq;.

Conemur igitur declarare posthac, quid istud sit, propter quod in ciuitatibus malè agatur, quo minus sic regantur: & utrum unius cuiusdā exigui mutatione ciuitas ad hanc formam instituatur, quid' ue illud sit: & nūquid maximè unius mutatione id fiat, uel saltē duorū, an plurium, sed quàm paucissimorum, & potentia minimorum. Sic omnino. Vno quodā mutato ostendere id possumus, quod caderet: quod quidem non est paruum, nec facile, posibile tamē. Quid istud? Ad id redeo equidem, quod ingenti fluctui cōparauimus. Dicet͠ igitur, quāquam suspicor ne effusiore peruicaciorum risu inundante penitus obruatur. Considera quod dicturus sum. Dic iam. Nisi philosophi ciuitatibus dominentur: uel hi qui nunc reges potentesq; dicuntur, legitimè sufficienterq; philosophentur: in idemq; ciuilis potentia & philosophia cō currant: neq;, quod nunc fit, à diuersis duo hæc tractentur ingenijs, non erit ciuitati, uel ut mea fert opinio, hominū generi requies ulla malorum: neque prius hæc Respub. quam uerbis exposuimus, orietur pro uiribus, & lumen solis aspiciet. Hoc est, quod ego iam diu dicere uereor, quasi sit incredibile dictu. Nam haud facilè persuadetur, nullam aliam gubernationē priuatim uel publicè futuram fœlicem. Ex hac tua oratione, ô Socrates, existimato lacessitos plurimos, nec uiles quidem homūculos, abiectis uestibus, susceptisq; undecunque contigerit armis, impetum in te facturos, & magnum quiddam conaturos. Quibus nisi oratione occurris, defendisq; te, uerè plurimis cōuicijs laceratus dabis pœnas. Annō tu horū mihi causa es? Et rectè quidem. Verùm haud te prodā, imò certè defendā, quibuscunq; potero. Possum certè beneuolentia, exhortationibusq;, ac fortè diligentius ꝗ quiuis alius respōdebo. Quamobrē tanq; hoc defensore adiutus, conare his incredulis demōstrare, ita esse ut dicis. Annitendū profectò, postq; & tu acriter ꝓ pugnatu-

pugnaturus uideris. Necessarium mihi uidetur, si eos effugere uolumus, declarare illis in primis, quales uiros esse philosophos arbitremur, cū illis exhibemus imperiū: ut his patefactis, possit aliquis opē ferre: ostendens, quòd hos quidē decet ex ipsa natura, & philosophiæ studiū, & reip. administrationem attingere: alios aūt nequaquā attingere, sed ducētib. illis obtēperare. Declarandū iam. Age hàc me sequere, si quo modo exponere, quod satis sit, ualeamus. Duc. Nunquid admonēdus es, an satis ipse meministi, quòd quādo aliquē amare aliquid dicimus, uideatur oportet, si uerè id dicitur, nō partim illud diligere, partim minimè, sed erga totū affici? Admonitione equidē egeo. Nā nō satis teneo. Aliū quemuis potius decebat, ô Glauco, ita loqui. Virum aūt amori plurimū indulgentē ignorare non decet, quòd omnes in ætatis flore cōstituti, puerorum amatorē quoquo modo stimulāt atq; concitant, cū digni cura ac dilectione esse uideantur. An nō sic erga speciosos adolescentes affecti estis? Alius quia simus, gratiosus à uobis iudicatur, laudaturq;: aquilinū uerò regium appellatis. Alius, quia medius istorū est, cōcinnus admodū uobis esse uidetur. fuscos, uiriles uocatis: cādidos, deorū filios. pallidū autem adolescentē quis, nisi amator ipse blandiens quodāmodo, & suffusci appellatione appellauit, in ephebis scilicet pallorem facilè ferens? Et, ut summatim dicam, quascunque captatis occasiunculas, quo neminem omnino florētis ætatis adolescentem reijciatis. Si in me ostendere cupis, quo pacto amatores afficiātur, disputationis gratia hoc accipio. Quid uini auidos? non'ne similiter affectos uides? quodlibet uinum quacunque capta occasione uehementer expetere? Valde. Quin etiam animaduertisse te arbitror, quòd ambitiosi homines, si exercitus totius præfecturam assequi nequeunt, saltem tribuni effici uolunt: ac nisi à magnis uenerandisq; hominibus honorentur, honorem ab ignobilibus accipiunt, utpote qui honorem prorsus affectent. Magnoperè. Fateberis hoc, an non? Nū eum quem amare quippiam dicimus, omnem illam rem ardere dicemus? an partim exoptare rem eam, partim nequaquam fatebimur? Omnem. Non'ne ergo philosophum sapientiæ studiosum esse dicemus, nō huius quidem auidum, illius non, sed omnis potius sapientiæ? Vera loqueris. Eum igitur qui aliquam spernit doctrinam, præsertim dum est iuuenis, neq; dum ratione delectum habet quid cōferat, quid'ue non conferat discernentem, nequaquam discendi cupidum, uel sapientiæ amatorem esse asseuerabimus: quemadmodum illum qui fastidit epulas, neque esurire dicimus, neq; epulas concupiscere, neq; amatorem cibi, sed contemptorem uocamus. Et meritò quidem. Hominē uerò ad quālibet doctrinam degustandā propensiorem, ad discēdumq; promptissimū, & inexplebiliter inhiantē, meritò philosophum nuncupabimus. Non'ne? Nūcupabimus. At uerò multi & absurdi quidem homines tales esse comperientur. Nam qui spectaculorum auidi sunt, discendi cupidi omnes esse uidentur: & ad audiendum curiosos homines, absurdū est philosophos dicere, qui ad rationem dicendi differendiq; haud libēter accedunt: uerùm ad omnes choros protinus audiendos, quasi auribus mercede conductis, in Bacchanalibus obuersantur, cantusq; omnes, siue in urbe, siue in suburbijs agantur, audire percupiunt. Nunquid istos omnes, ac alios talium quorundā percipiendorum cupidos, & artib. uilissimis incumbentes, philosophos nominabimus? Nullo modo, sed philosophis similes. Veros autem philosophos, quos appellas? Veritatis inspiciendæ cupidos. Rectè quidem istud, sed quomodo dicis? Haud facile istud ad alios eloqui. Te autem hoc mihi daturum arbitror. Quid potissimum? Postquam contrarium est turpi pulchrum, duo hæc esse. Quid ni? Et postquam duo hæc sunt, singula unum erunt. Et hoc.

De iusto quin etiam & iniusto, bono & malo, speciebusq; omnibus ratio eadem. Nam quodlibet istorũ, unum ipsum est: corporum uerò actionum & alterna communione passim apparentia, singula multa uidentur. Scitè loqueris. Hac equidem ratione distinguo, seorsum quidem, quos tu modò dicebas, curiosos ad uidendum, audiendum, artesq; tractandas: seorsum quoq; & illos de quib. est sermo, quos solos meritò quis philosophos appellabit. Quomodo istud ais? Homines oculis & aurib. dediti, pulchris uocibus, coloribus, & figuris, & omnibus quæ ex talib. constãt, admodum delectantur, ipsius autem pulchri naturam cogitatio eorum nõ potest attingere. Sic est. Qui uerò ad ipsum pulchrum ascendere ualeãt, & secũdum seipsum inspicere, non'ne rari? Rari admodum. Qui res istas pulchras existimat, ipsam uerò pulchritudinẽ neq; putãt esse, neq; si quis ducat, ad perceptionem eius attingere potest: uerè sapere tibi uidetur, an insomnijs ludi? Considera itaq;. somniare nõ id est, quando siue dormiẽs quis, seu uigilãs, quod alicui simile est, non simile, sed ipsum esse censet cuius est simile? Somnia uidere hunc ego dicerem. Quid uerò? qui contrà affectus est, intelligitq; quid ipsum, pulchrum, ac discernere ualet & ipsum, & quæ ipsius participant, adeò ut neq; ipsum illa esse, neq; illa ipsum putet, uigil'ne uiuit, an oscitans? Certè peruigil. Huius igitur cogitationem ut cognoscentis, cognitionem iure uocabimus: huius tanquam opinantis, opinionem. Omnino. Si nobis succenseat is quem opinari dicimus, non cognoscere, negetq; nos uera loqui, qua ratione eũ mitigabimus, sensimq; & blandè persuadebimus, sanæ mentis eum nõ esse? Oportet sanè. Aduerte quid ad eum dicemus: Si uis, sanè hunc in modum ab eo sciscitabimur, dicentes quòd si quid nouit, nulla inuidia: sed gratum erit nobis & ipsum scire aliquid, & quid sciat, nouisse. Sed mihi id dicas. Quicunq; cognoscit, cognoscit'ne aliquid aut nihil? At tu mihi eius loco responde. Aliquid certè. Vtrũ quod est, an quod non est? Quod est. Quo enim modo quod nõ est, cognosci posset? Sufficienter istud cõstabit, si uaria sub ratione peruestigemus, quòd uidelicet omnino ens, omnino & cognosci potest: nullo modo ens, nullo modo cognosci. Sufficientissimè. Siquid autem ita se habet, ut & sit & nõ sit, non'ne medium erit inter id quod est omnino, & id quod nullo modo est? Mediũ. Circa id quod est, cognitio ipsa uersatur: ignoratio ex necessitate circa id quod non est. Circa medium istorum, medium quoddam inuestigandum, scientiam inter & ignorantiam, si quid huiusmodi reperitur. Prorsus. Num aliquid esse opinionem dicimus? Quid ni? Vtrum eandem potentiam cum sciẽtia, an diuersam? Diuersam. Ergo circa aliud quidẽ uersatur opinio, circa aliud autẽ scientia, uel secundum potentiam eandem, uel secũdum eandem utraq; suijpsius potentiam. Est ita. An non scientia quidem circa id quod est, ea ratione quia ens est cognoscit? Imò uerò necessarium esse censeo, ut prius ista distinguam. Qui? Dicemus utiq; potẽtias esse genus aliquod eorum quæ sunt, quib. & nos possumus, quæcunq; possumus, & aliud, quodcunq; aliquid potest. Veluti uisum & auditum potentias quasdã uoco, si modò quod loquor intelligis. Intelligo equidẽ. Audi quod mihi de his uidetur. Nã ego quidẽ ipsius potentiæ neq; colorẽ uideo aliquẽ, neq; figurã, neq; quicquã taliũ, qualia plurium reliquorũ, ad quæ respiciens aliqua apud me distinguo, hæc alia esse, alia illa. In potentia uerò ad illud solum aspicio, quod est, quod'ue agit: & hac ratione quamlibet ipsarum, potẽtiam nuncupaui: & illam quidem quę ad idẽ tẽdit, idemq; agit, eandẽ uoco: aliam uerò illam quæ ad aliud spectat, & aliud operatur. Tu uerò quid in his agis? Quod & tu. Age rursus ad hęc conuertere, ô uir optime. Vtrum sciẽtiam potentiã quandã esse dicis: an in

genus

genus aliud refers? Potentiam, & omnium profectò ualidissimam. Opinionem uerò, potentiam'ne, an aliud quiddam esse dicemus? Potentiam certè. Nam quo opinari possumus, nõ aliud est quàm opinio. At paulo antè confitebaris, nõ idem esse scientiam & opinionem. Quo pacto quis mentem habens, idem asseret quod falli potest, & quod non potest? Optimè quidem. Cõstat itaq;, aliud esse apud nos ab opinione scientiã. Aliud planè. Vtraq; igitur circa aliud aliud operari suapte natura potest. Necesse est. Scientia quidem, circa id quod est, ipsum ens ut se habet cognoscere. Sanè. Opinio autem opinari. Et hoc. An idẽ quod & scientia noscitur? eritq; idẽ quod opinione percipitur, & quod scientia? an potius impossibile? Impossibile certè, ex his quæ concessimus. siquidem circa aliud alia potentia ipsa ex natura uersatur: potentiæ uerò utræq; sunt, sciẽtia scilicet & opinio: alia item utraq;, ut est dictum. ex his autem fieri non potest, ut idem sit quod scientia comprehenditur, & quod opinione concipitur. Non'ne igitur si ipsum ens cognitione percipitur, id quod cõcipitur opinione, aliud quiddam præter ipsum ens est dicendum? Aliud. Nunquid non ens opinatur? an impossibile est opinari nõ ens? Sic autẽ cogita. Non'ne quisquis opinatur, ad aliquid opinionem dirigit? an possibile est opinari quidem, opinari autem nihil? Impossibile. At unũ aliquid opinatur, quisquis opinatur? Proculdubio. Quod uerò non est, non unũ aliquid, sed nihil potius est dicendũ. Prorsus. Non enim quidem ex necessitate ignorantiã tribuimus, enti uerò cognitionẽ. Rectè admodum. Ergo neq; ens, neq; non ens opinatur. Sic est. Quare nec ignorãtia, neq; cognitio erit opinio. Non, ut uidetur. Num extra hæc est supergrediens uel cognitionem perspicuitate, uel obscuritate ignorantiam? Neutrum istorum. An fortè tibi uidetur opinio cognitione obscurior, ignorãtia clarior? Maximè. Inter utraq; igitur iacet. Certè. Media ergo istorũ erit opinio. Media. An non suprà diximus, si quid appareret tale ut simul esset & nõ esset, illud inter uerè ens, & omnino nõ ens esse ponẽdum? neq; scientiã ad illud, neq; ignorantiam pertinere, sed quod medium inter ignorantiam rursus appareat, & scientiam? Scitè. Nunc autẽ apparuit medium istorum esse, quod opinionem uocamus. Planè. Illud itaq; nobis, ut arbitror, restat inueniẽdum, quod utriusq; sit particeps, ipsius esse scilicet, & non esse, neutrum'que illorũ sincerè dici debeat, ut si nobis pateat, opinabile quiddam meritò nuncupemus, extremis quidem extrema, medijs autem media tribuentes. An non ita? Ita prorsus. His ita suppositis, percontabor eum, qui ipsum pulchrum, & pulchritudinis ideam unam esse negat, semper eodem modo secundum eadem se habentem: multa uerò pulchra esse ducit, & pulchris reb. spectandis deditus, nullo modo admittit unum esse pulchrum, unũ iustum, similiterq; de cæteris, percontabor inquam hunc in modum: Est'ne aliquid ex hisce multis pulchris, uir optime, quod non turpe etiã uideatur? Itemq; ex iustis, quod nõ iniustum: & sanctis, quod non prophanũ? Non, sed necesse est pulchra ipsa turpia etiam, & quotcunq; alia interrogas, apparere. Quid multa dupla? num minus dimidia quàm dupla uidentur? Nihilo minus. Et magna insuper & parua, leuia itẽ & grauia, nũquid magis talia quàm contraria uocabũtur? Nõ, sed singula semper utraq; participabunt. Vtrũ est magis quàm nõ est unumquodq; multorũ, id ipsum quod quis illud esse dicit? Simile hoc est ijs quæ in cõuiuijs ad utrãq; partẽ plerunq; dicũtur, & ænigmati puerorũ circa eunuchum de uespertilionis percussione, quomodo & in quo illũ aue arguunt percussisse. Hęc enim ambigua sunt, neq; esse, neque nõ esse ipsorũ aliquid, neq; utraq;, neque neutra firmiter responderi potest. Habes'ne qua ratione his utaris? Vel cõuenientiorem positionẽ isto-

rum inducere potes, quàm mediã inter essentiam & non esse? Neq; enim obscurior quàm non ens apparebit, ad hoc ut minus sit: neque clarior quàm ens, ad hoc ut sit magis. Vera loqueris. Inuenimus igitur, ut uidetur, quòd multa illa quæ multis pulchra, aut alia quoquo modo existimantur, media inter omnino ens & omnino non ens uoluuntur. Inuenimus planè. Confessi autem antea fueramus, quòd si quid tale apparuerit, nõ cognitione, sed opinione percipi dicendũ, & cum medium peruagetur, media comprehendi potentia. Concessum fuit. Eos igitur, qui pulchra hæc multa conspiciunt, ipsum uerò pulchrum non uident, neq; eum sequi possint qui ad id perducat, & multa contuentur iusta, ipsum autem iustum minimè, & alia similiter, eos opinari cuncta dicemus, cognoscere autem nihil eorum quæ opinantur. Necesse est. Quid eos, qui ipsa quæque contemplantur, semper eodem modo secundum eadem se habẽtia, non'ne cognoscere potius quàm opinari? Necesse est & hoc. Non'ne amare hos & admirari ista dicemus, in quibus uersatur cognitio: illos autem, in quibus opinio? An nõ recordamur, quòd uoces & colores quosdam, & talia quædam diximus hosce diligere & intueri: ipsum uerò pulchrum, quod aliquid sit non admittere? Recordamur. Quare non aberrabimus, si istos φιλοδόξους, id est, opinionis amicos, potius quàm philosophos appellauerimus: quanquam acriter succensebunt nobis, si ita dicamus. Nõ, si mihi pareãt. Nam ueritati irasci nefas est. Itaq; eos qui ipsum unumquodque per se ens admirantur & diligunt, philosophos, non φιλοδόξους uocabimus. Ita decet, inquit.

SEBASTIANI FOXII IN LIBRVM V.

Annotationes.

Bonam equidem.) Disputationẽ in libri superioris fine positam continuare uult, dum iustam esse ait Remp. à se descriptã: reliquas uerò ab hac differentes, uitiosas. idq; quatuor modis, quòd quatuor uirtutibus quatuor uitia respondeant: imprudentia, iniusticia, intemperantia, ignauia. *Declinare nempe nobis.*) Cum pergere ulterius uellet Socrates, interpellatur ab Adimãto, ut redeat ad explicandũ id quod lib. 3. dixit, de bonorum, uxorumq; communitate: quando non satis poterit constare huius reipub. quam distinguere à uitiosis ipse uult, bonitas, nisi id quod uitiosum appareat, explicet. Qua in re tacitis obiectionibus hic respondet Socrates. *Rectè nimirum, inquit.*) Proponitur Socrati explicandum, quicquid hoc libro continetur, ne ad aliam remp. describendam, id est uitiosam distinguendam à iusta digrediatur. *Quid agitis obsecro.*) Breui circumscriptione libri tertij contentus esse uellet Socrates: sed exoratus, facit quod petitur. *Haud facilè inquam.*) Quæstionẽ de bonorũ, uxorumq; communitate proponit, eiusq; difficultatem exaggerat: tum præfatur id, se non sponte erraturum, si quid falsum dixerit, cum uerum inquirere studeat: sibiq; dari uenia erranti debeat, quòd ignoranter faciat, cum ignorantia delicti excusationem afferat. *Dicere nunc autem.*) Quoniam in libris superioribus de uirorum muneribus egerit, nũc de fœminarũ officijs differere se uelle ait. *Sequamur igitur generationem.*) Fortè alludit ad id quod in Timæo refert, fœminas è uiris ortas: ac idcirco putat, de illarum officio hic agendum, quòd affine id sit muneri uirorum. *Vtrum inter canes.*) Primum fœminarum munus uirorum muneri respondens est, de custodia iuuẽtutis. uult enim, eodem modo inter fœminas custodes esse, quo inter uiros. unde ait: *Cõmuniter his, inquit.*) id est, isto igitur modo cõmunia erunt fœminarum uirorumq; munera, nisi quod sexus ratio habeatur. *Fieri'ne potest, ut animali.*) Docet eadem forma instituendas esse fœminas, si eadem faciant ipsæ, quæ uiri: id enim sequitur necessariò, ut si actiones utrorumq; eædem sint, eadẽ sint quoq; munera, eademq; institutio. *Quid in his maximè ridiculum.*) Tacitam obiectionem de indecoro diluit: nihili enim faciendam putat hominum opinionem, quòd indecorum dicant fœminas agere, quæ uiros, cum usu id usurpari possit: nec mores aliorum quis uituperet, aut uituperare debeat, si sua natura turpes non sint: quia ut uirtus sola laude digna est, ita uitium uituperatione mores aũt huiusmodi uitiosi non sunt. *Concedere iusuper cuiq;.*) Diluta iam uulgari opinione de turpitudine atq; indecoro mulierum, si utantur ijsdem officijs cum uiris, ad quæstionem de possibilitate eius rei accedit. Qua in re obiectiones omnes sibipsi opponere se inquit uelle, ut collatione hac ueritas eliciatur. *Nam inter nos statim.*) Primum argumentum contra communitatem munerum inter mulieres ac uiros ex superiori sermone deducitur, fitq; hoc modo:

In rep. ub. ut diximus, nostra suo debet quisq; munere fungi: si sit ab alio distinctum: sed fœminæ à uiris differunt: ergo aliud agent, quàm uiri. Hæc quidẽ Glauco.) id est, talia fore non pauca argumenta existimo, quæ sint à me paulatim refutanda. Conuenimus profectò.) Superius argumentum refutaturus, eius sumptionem examinat: uidelicet illud, unumquenq; in rep. suo munere pro natura sua functarum. quod quidem concedit: sed fœminas à uiris negat differre. Diuersas naturas in præsentia.) id est, nostrum institutum hic est, non docere, idem esse fœminæ uiriq; genus, & naturam: sed officia eadem esse, tametsi differant personæ. Quia uidẽtur mihi.) Aliud est differre, aliud contrarium esse: illud est rerum in aliquo conuenientium, hoc omnino repugnantium. Ergo hic carpit eos, qui utrunq; confundant, putentq; fœminas & uiros non differre, sed contraria esse. Quod natura eadem opera.) Duo hæc pugnare inter se negat, diuersam uiri atq; fœminæ naturã esse, nec esse diuersa utrorumq; munera: quod ipsum exemplis cõfirmans, qua nam in re similitudo, aut dissimilitudo sit, docet: quãdo id uerum sit quod à se proponatur, contrarietatem in uno & eodem esse non posse, sed inter diuersa, utpote quæ maxima sit distantia, quod aiunt Peripatetici. Sin autem hoc ipsum.) Discrimen uirorum à fœminis ostenditur, quod in Timæo fit latius. Nõ'ne post hæc iubemus.) id est, Cum hoc solum sit discrimen utriusq; sexus, quæramus tandem, qua nam in re sit repugnantia ista munerum ciuilium, quæ communia ei esse uolumus. Vis ergo oremus.) Docere iam incipit, nullum in rep. munus esse, quod non à fœminis æquè atq; à uiro obiri possit. concluditq; eandem esse rationẽ uiri ac fœminæ hac in parte, quòd utriq; æquè apti sint: atq; ineptitudo agendi aut sit in ingenij, aut in corporis uiribus: utrunq; autem fœminæ non desit. Sumitur autem argumentum ab enumeratione partium. Num uiris omnia præcipiemus.) Inductione confirmat, uel inter fœminas gradus esse quosdã bonitatis: nec inter ipsas, uirosq; tantum, cum aliæ alijs robustiores sint, ideoq; nec omnes laboribus sint ineptæ. An non naturam quandam.) id est, Cum ex ipsis fœminis aliquæ ad custodiam aptæ sint, quid obstat, quominus idem subeãt munus, quod uiri: cum unam esse hominis naturam uideamus, magnamq; communionem ciuium in Rep. nostra quæramus? Nisi quòd mulieribus.) Semper haberi delectum hũc Plato uult, respectu ad uiros habito. Studia uerò non'ne.) id est, Si unam esse fœminarum uirorumq; naturam ex multis cernimus, uniq; naturæ unum cõpetit munus: sequitur, hæc quæ diximus, non repugnare naturæ muliebri. Hæc est argumenti conclusio. Imò quæ his temporibus.) id est, In corruptis rebus publicis fœminæ nihil agunt: quod est illarum naturæ multo repugnantius, quàm aliquid agere. Non'ne disceptandum nobis.) Ad aliam quæstionem transit, nunquid fœminas communia habere cum uiris munia, bonum sit, atq; utile: Siquidem hactenus fieri posse id solũ docuit. Quo in argumento à paribus ducto, optimũ esse ijs quoq; docet, eadem cum uiris agere, idq; hoc modo. Quicquid uiris conuenit, idem & fœminis, quæ eiusdem sunt naturæ: illis autem optimum est, nõ ociari: ergo & his etiam: quare & in bellũ proficiscentur (quod à fœminis Germanorum fieri solitum, multi scribunt) & ciuitates tuebuntur, aliaq; huiusmodi facient, cum uiris item communia. Scitè nanq; istud.) Communi sententia suam confirmat: si quid utile sit, idem est honestum: si inutile, turpe, utile est autem, fœminas hæc agere: ergo honestum, ac decens. Animaduerte hic, Socratem honestum ab utili, non re ipsa, sed cogitatione discernere, ut Cic. lib. 2 Offic. uult etiam ex Stoicorũ sententia. Hãc equidem, & priores.) Transit ad quæstionem de fœminarum cõmunitate, quam illis multo absurdiorem uideri posse ait Socrates, ut uisa est etiam Aristoteli, Lactantio, alijsq; permultis: sed arbitratu suo uerã existere, ideoq; à se proponi, ac defendi, quòd non modò fieri id possit, sed utile etiam, honestumq; uideatur. Sed in hac quæstione ociũ se quasi quoddam & respirationẽ aliquã inquit capere, antequã probet id esse honestũ: ut prius id fieri posse, utileq; esse ostendat. Haud secus & ipse.) id est, Vt ij qui grauioribus impediti sunt curis, ad iucundam aliquã digrediuntur cogitationem, tanquam animi leuationem: sic ego, priusquam doceo, honestam esse fœminarum communitatem, fieri posse id, atq; utile esse ostendam, quod minori labore doceri potest. Arbitror igitur, si modò.) Rectoris & subditorum munus proponit, ut ad illũ pertinere huiusmodi aliquid de fœminis statuere, ad hos id exequi doceat: cùm illius munus sit imperare honesta, horum parêre atq; hoc tanquam hypothesis est ad sermonem sequentem, sicut & illa: Isti autem utpote ædes.) Statuit præterea pro concesso, bona esse debere communia, tum munera & societatem, uitæq; communionem non solum in uictu, sed in alijs etiam. Ab innata, ut arbitror.) Alludit ad causam urbium cõdendarum, de qua suprà, quòd eas necessitate coacti homines coluerint. Haudquaquam necessaria.) Qualis sit illa necessitas uitæ, qua homines sunt impulsi ad societatem ineundam, ostendit: Nihil est, ait, aliud illa necessitas, quàm amor & studium sui similis, à natura cuiq; insitum: quæ tamẽ necessitas non cogit ad societatẽ, ut geometricæ demonstrationes ad ijs adhibendam fidem. Quo nam pacto utilissimæ.) Cum dixerit, in communitate uxorum aliquem ordinem rationemq; decori habendam, tum in nuptijs, tum in actionibus publicis, idq; postea sit latius explicaturus, utilitatem nunc fœminarum communitatis demonstrat, idq; similitudine hac: In alijs, inquit, animalibus, ut generosi fœtus edantur, optima optimis coniungere solemus, atq; id fieri longè utilissimum est: ergo principis munus erit, ex ipso fœminarum

numero optimas optimis uiris tradere: ut eoq; ille imperio suo, hæ autem obedientia sua utentur. Nec uerò id temerè ipse faciet, sed ut medicus ægrotum aliquando fallere solet, ut utile det medicamentum: sic aliquid finget. quando libro tertio rectori mentiri licere dictum est, ut commodè possit id agere. Oportet profectò secundum ea.) Ne concubitus ille communis, promiscuus fiat, ordinem iam quendam nuptiarum instituit Socrates, longè quidem diuersum ab eo quem Aristoteles lib. 7. Polit. cap. 16. affert. Duo itaque hic præcepta connubialia ponit, eorumq; curam principi ciuitatis tradit: Primum, ut delectu habito, optimi optimis coniungantur: secundum, ut occultè id fiat, & dolo quodam, ne offensioni cuiusquam detur locus: tum, ut suscepta proles ex optimis diligenter à custodibus nutriatur. Si modò armenta custodum.) Si publicè fieret delectus optimorum, essent contentiones tum ipsorum eligendorum, tum custodum eligentium, dum alij esse optimos hos, alij illos putarent: quamobrem dolo utatur tacito Princeps, ad hunc delectum faciendum. Igitur festa quædam erunt.) Tempus habendi delectus constituit, ut ordine fiant omnia: tum sacra & solennia fieri uult, ut bonis auspicijs nuptiæ celebrentur: deinde numerum coniugatorum, ut commoda distributio ciuium fiat ad omnia reip. munera. Sortes igitur quædam.) Id est, ita fingendæ sunt sortes, in coniungendis hominibus, ut cum optimi optimis, uitiosi uitiosis sunt copulandi, uitiosi sentiant sorte id sibi accidisse, non arbitrio principis, ne offendantur, cum nemo deteriorem iudicari se patiatur. Enimuero his qui.) Bonitas aliquando naturæ uel latet sepulta, si nõ erigatur: uel exercenda, colendaq; est, ne pereat. ideo iuuenibus æquè ac fœmellis, exercitationes constituit quasdam: tum frequenter cõiungi has illis uult, ut sæpius pariant reip. optimos fœtus. Communis enim uiris) Magistratum unum nutriendis infantibus, seu fœmellis seu masculis, præfici uult, quòd ea ætas maiorem cautionem nõ requirat. Sed age deinceps quod.) Formam habendi delectus, educandorum infantiũ, ac tuendorum, nutricumq; munus suprà Plato proposuit: nunc tempus generationis & cõgressus præscribit, ut & Aristoteles item fecit in Politicis: siquidem ad prolis bonitatem multum refert, qua ætate, robusta ne an debili, tum quo tempore, affectu ue parentes congrediantur. Duas autem ætates præscribit hic generationi aptas, uiris quidem à XXX (nam ante illud tempus crescit illorum ætas, & uirtus, nec retardanda est labore gignendi) usq; ad LV annũ, fœminis uerò à XX ad XL. hanc legem gignendi religiosissimè, statuta pœna, seruari uult, ne quis uel ætate immaturiori, uel extra præscriptum tempus, uel iniussu Principis cum fœmina congrediatur. Causam, cur hæ ætates generationi aptissimæ sint, require ab Aristotele tum in Politicis, tum in Problematibus. Quando igitur iam mulieres.) Quem ordinem cognationis esse putet inter procreatos, ostendit, ne omnia sint perturbatissima, tãm coitu quàm in alijs omnibus. Quare formam ipsam cognationis indicãdæ describit etiam in ijs uerbis. Sed omnes, quicunq; nascentur.) Id est, si hæc ratio seruetur, nulla generis, charitatisq; erit confusio: & amor ciuium omnium, quod quærimus, mutuus seruabitur. An non conuenientius huius.) Hactenus communitatem uxorum asseruit, eiusq; formam descripsit: nunc id optimum esse docere incipit, ita tamẽ ut primò quærat, quid reip. optimum sit: deinde id respondere huic sententiæ suæ de communitate uxorum, ostendere conetur. Habemus ne aliud.) Axiomate hoc proponitur, unionem ciuitatis esse optimam, quãdo nihil discordia perniciosius sit: ut hac communitate uxorum seruari unionem ciuitatis ostendat. Nonne uoluptatis) Id est, in uoluptate ac dolore magna est communio: hoc est, in omnibus affectibus, quorum hæc duo capita sunt. Indicare hic uult, consensionem affectuum concordiam, dissensionem discordiam parere ciuium. Hæc uerba uulgantur, Meum, &c.) Id est, ut concors tota sit ciuitas, commum uoce habere aliquid suum aut alienum debet, non singuli ciues: quod quidẽ ita fiet, si unus sit omniũ affectus, unaq; mens. Porrò quoties alicuius.) Vnitatis præstantiam, utilitatemq; à simili confirmat. Eademq; est de quouis.) Id est, ut corpus dolente una parte, totum dolet: sic unam si ciuitatem quasi corpus unum efficere uelimus, unumq; hominem, nulla affectuum discrepantia erit. Quocirca una erit mens, unusq; affectus totius ciuitatis, si concors sit futura. Alludit ad similitudinem animi uirium, qua usus est suprà in demonstranda ciuitatis iusticia. Sed hora iam est.) Hactenus generatim docuit, ciuitati concordiam optimam esse. nunc docere uult, nulla re magis eam parari posse, quàm si cuncti ciues cognatos, fratresq; esse se putẽt, ideoq; communitatem uxorum sequantur. Qua de causa in alijs ait ciuitatibus diuersa esse nomina ciuiũ & magistratuum, quòd mens animusq; illorum sit diuersus: hic autem nomina amoris significatiua esse uult, ut rebus ipsa respondeant. Vtrum cuibus tuis.) Cum dixerit ciues sese mutuò fratres appellaturos, obijcit nunc Glauco, num ijdem fraterna quoq; sibi officina præstare debeant, ut nomini respondeat res? cui respondet, Absurdum enim id.) Id est, Et re & nomine, quoad fieri possit, fratres esse ciues omnes uelim, ne quid repugnet professioni. Enimuero ciuitati summum hoc.) Hactenus docuit, concordiam, consensionemq; ciuium, optimam ciuitati esse: iam docere incipit, nulla re magis eam seruari posse, quàm communitate uxorum, atq; bonorum omnium, quod libro 3. ad finem dicebatur. Non ne quod ipse aio.) A' contrarijs ostendit, quanta incommoda ex proprietate, distinctioneq; bonorum nascantur: cum hinc auaritiæ

rapinæ

rapinæ, cædes, contentiones, dissidia, odiaq; oriantur, quæ omnia communione rerum tollantur facillime. Quid autem iudiciorum.) Id est, Prima incommoditas distinctionis bonorum est, quòd frequentes lites existunt inter homines de iure possessionum, quæ contentiones communitate diruuntur. Quin neq; de ui illata usquam.) Id est, Nec erunt contentiones extra iudicia, cum omnes sua omnia esse uideant, nihilq; priuatum habere uelint: nemo item alteri iniuriam faciet, cum legem uideant contra maleficos statutam à principe sene, & grauiter: cui sese opponere quisquã, uel metu, uel pudore uereatur. Pudet referre.) Id est, nolo commemorare alia incõmoda, quæ ex distinctione bonorum oriantur: illa tamen duo sat erunt magna, quòd adulatio & solicitudo hominum tolletur, communicatis bonis omnibus: quia cum omnes æquè multũ habeat, nemo spe lucri alteri adulabitur: deinde quòd, cum abunde suppetant omnia cunctis, nemo de uictu cæterisq; rebus necessariis solicitus erit. Vitamq; agent beatiorem.) Comparatione quadam ostendit, quanta sit fœlicitas eorum, qui communitatem hanc bonorum tueantur. Meministi quod in superioribus.) Ad finem libri 3 cum Plato cunctis communia esse bona debere assereret, obiecit Glauco, isto modo nullum fore præmium laboris custodibus, si nihil haberent priuatum: nunc id refutat idem Plato, ostendens, beatitudinem custodum non esse præferendam beatitudini ciuitatis totius, cum bonum totius sit partium bono præferendum. Deinde illos mediocritate quadã uitæ, Hesiodi præcepto, contentos esse debere. Probas igitur communionem.) Hæc est complexio totius sententiæ superioris, de bonorum uxorumq; communitate: quam & utilem, & commodam esse, hactenus docuit. Num'ne restat deinceps.) Transit nunc ad docendum, possibilia esse ea quæ retulit: quando id ita propositum sit, de officiorum communione inter uiros ac fœminas, deinde de reliquis omnibus. De re quidem bellica.) Vna ex ciuitatis actionibus est, bellica: hanc, inductione ostendit, ut à uiris, & à fœminis æquè obiri posse. Primùm, quòd ut alia opificia, sic & bellum tractare possint. secundò, quòd ut alias artes imitando, sic & rem bellicam nosse liceat. tertiò, quòd ut reliqua animantia pro filiis, sic & fœminæ pro patria pugnare possint. Verùm periculum est.) Glauconis obiectio est, contra id, quòd bellum à fœminis tractandum Plato dixerit: ait enim, fore aliquãdo, si fœminæ in prælio aliquo cædantur, ut uacua relinquatur resp. sicq; tota funditus pereat. Sed tu forsan in primis.) Respondet obiectioni, docens non esse timendum, ne id eueniat, cum ciues tam fortes, quàm hic depingantur, deuinci nequeant: præsertim cum ab ipsa infantia bello assuefaciendi sint. Qua de causa pueri etiam ad prælium spectandum uocentur, ut timorem deponere discant, quod magni momenti ad fortitudinem est: cui is etiam rei curam magistratus aliquis à rep. constitutus geret. Verùm multa dicemus.) Obijcit præterea Glauco, ne pueros quidem tutos fore, si prælio intersint, cum uictores aliquando uel in eos ipsos sæuiant. Horum causa, o amice.) Diluit obiectionem, remedio adducto: id est, ut equitandi artem, & agilitatem iidem pueri noscant, ut fugere, cum sit opus, possint: ac ne tenera, imbecillaq; ætas equorum ferocia lædatur, aptandi quoq; iis erunt equi. Ita fiet, ut omnibus modis eis consulatur. Quid de his ad bellum.) Digreditur aliquantum Plato ad belli rationem exponendam, dum & eius esse disciplinam aliquam uult, & fortibus præmia, ignauis supplicia proponit. Eum uerò qui ab hostibus.) Extat exemplum in Romanis, captiuos Anibali, & Mancinum Numantinis reddentibus, sed iustiori de causa. Atqui & legi huic.) Ad bellicam fortitudinem in ciuibus suis augendam, remedium affert aliud, quo homines instigari maximè solent: id est, ostentatio amoris studium, quod in Symposio item ponitur. Nã quòd nuptiæ.) Id est, Præmij loco tribuitur etiam fortibus uiris lectissimæ fœminæ in uxores, uel exemplo etiam priscorũ Græcorũ, ut ab Homero refertur. In his ergo Homero.) Id est, Quanquã in multis Homerũ, cæterosq; poetas accusem, hac tamen in parte sequar. Tacitæ occurrit obiectioni. Etenim nos in sacris.) Aliud præmij genus fortibus uiris proponit: id est, ut honoribus publicis, uelut hymnis, aut donariis quibusdã, quod apud Romanos fiebat, decorentur, si uiuant: si autẽ occubuerint in prælio, funebribus orationibus, aut eo denium genere honoris, quod Apollinis oraculo denuncietur. In primis quidem de seruitute.) Serui non sunt à natura aliqui, ut Aristoteles lib. 1. Polit. docet, sed iure belli tantũ: quamobrem cum belli gerendi ratio à Platone hic describatur, commode ad seruitutis formam, legesq; tradẽdas degreditur. Quo in loco eos tantum habendos seruos ait, qui bello sint capti, modò ne sint Græci: hos enim dimitti uult potius, ne cum iidem inter se sæuiant, debiliores facti, quod usu euenit postea, à barbaris opprimantur. Spoliare mortuos.) E' bello aut homines captiui, aut spolia deduci solẽt. utrunque enim superatorum supplicium est, precium autem uictorum. Sed in hoc delectum haberi uult Plato, ne mortui spolientur, quia commiserationem potius mouere illorum casus debeat: & quia noxium id fuit permultis, qui cum hostem persequi, rapinæ intenti desisterent, superati sunt. Cum aduersarius ipse.) Id est, animus, qui est uerè homo, tuus erat hostis, non corpus: sæuire autem in non hostem, turpe est: ergo non sunt spolianda cadauera. Hominem putare non corpus animumq; coniunctũ, sed animum solum, Platonicorum est, in quo à Peripateticis distant. Neq; etiam in templũ.) Ita dari uult bonis præmia Plato, ut sacris prophana non misceantur. alia cum ratione religiones, alia ciuilia negotia tra-

tractanda sunt. Ergo in templis arma, cætera ue huiusmodi non cõstituantur. Nisi quid aliud Deus.) Id est, nisi oraculo moniti, nunquã id faciemus. Mihi quidem.) Iubet etiam populationes agrorũ tolli, quod illi nihil nobis obsint, et prosint etiã ad uitam. Hoc ipsum lege Iudæorum prohibebatur, hodieq; Turcæ & Sarraceni omnes obseruãt. Videtur mihi, sicuti.) id est, Vt bellũ & seditio, sic proprium & externum, itemq; inimicitia, bellũ existit, bellum quidẽ in exteros, inimicitia seu seditio inter cognatos & similes. Hic discrimẽ belli & seditionis idem ponitur, quod lib 1. de Legib. Aio equidẽ Græcos.) Quæ de bello, inimicitiaq; retulit, ad quæstionem propositam accõmodat: id est, docet Græcos eiusdem esse generis, ideoq; inter se non bellũ, sed inimicitiam, seditionem ue habere posse: quapropter nec uastandos illorũ agros, nec in seruitutem captiuos redigẽdos. Hæc ratio ad omnes homines itẽ accommodari posset, multoq; sanè iustius. Ciuitas hæc.) id est, Cum Græcam ciuitatẽ formemus, quæ suprà de Græcis sunt dicta, illi rectè congruere possunt. Sed eatenus.) Qua ratione bellum Græci sint inter se gesturi docet, cũ cõcluserit, eos nec populaturos agros aliorũ, nec euersuros ædes aut itaq; sontes tantum puniendos, sicut in seditione fit, nõ insontes pariter: quod & Cicero de belli iure lib. 2. Offic præcipit. Sed mihi quidem.) Longa digressione usus est hactenus Socrates, ab eo loco, in quo de pugna fœminarũ agere cœpit. illam uerò quæstionẽ, quam de possibilitate huius reip. à se descriptæ cœpit explicare, prætermisit: quapropter cõmodè nũc à Glaucone urgetur ad eam resumendam. Qua in re uelut in epilogũ superiora omnia colligens Glauco, dare quidem se illa inquit libẽter: dubitare tamen adhuc, quãnam ratione t. illis resp. ita instituta & firmata, usquã extare possit. Veruntamen concedente) id est, Do quidẽ isthæc, quæ præcepisti, cõmoda esse, tametsi multa quærẽda in eo uisa sunt: sed tamẽ ad propositã quæstionem ueniamus. Subita incur.) Quæstionis difficultatem Socrates modestiæ causa exaggerat: nihilominus tamen sermoni se accingit, repetitq; paucis superiorẽ sententiam suam de rep. tũ statuit illud, quod Aristoteles itẽ in Politicis ait, talem esse remp. quales ciues: & tales ciues, qualem remp. Ex quo infert, iustã quidẽ esse remp. à se descriptam, quando eius ciues à se instituti, iusti, probiq; existãt. Censes aliquem.) Nũc ad quæstionem propositam accedit, docens, existere quidem posse hanc remp. suam, quando eam optimã finxerit, nihilq; optimũ non existat sic enim argumentatur: Si quid rectũ sit, id existat necesse est: quando bonitas per se nõ est, sed in aliquo subiecto. diximus autem, remp. nostrã optimã esse: igitur existit. Sed ne hæc quidẽ ratio firma est: eum eodẽ modo probandum fuerit, illud bonũ existere posse, quo remipsam. nã fingere quid, quod non sit, bonum esse, nihil refert. Sed si ualeamus.) Cum hactenus remp. suã existere posse docuerit, nũc inquirere uult, quomodo existere optima possit: quapropter de genere administrationis optimo disserere incipit, quòd id uel bonam uel minus bonã remp. faciat. siquidẽ administratio instar formæ est. quæcũq; uerò sunt hactenus dicta, instar materiæ. Nunquid unius.) id est, Causas mutationis rerumpub. quæramus, & genus illud, unde mutentur in alia. nam his ex effectibus intelligetur, quæ optima reip. forma, aut minus bona sit. hoc idẽ facit Aristoteles lib. 5. Polit. Nisi philosophi.) Vt supra, cum reip bonitatẽ in eius materia ostẽdisset, uelitq; nũc eandem bonitatẽ in ipsius forma quærere: eadẽq; forma nihil sit aliud quam administrationis ratio. quæritur nunc, qualis hic reip. rector, qui formã eius cõstituit, esse debeat: philosophus ne, an alius probareq; incipit. philosophũ esse debere. inprimis autẽ de philosopho genu ratim disserit, deq; eius munere & officio, ut id omne ad rectorẽ hunc accõmodet. Quòd hos quidẽ.) Id est, hos esse philosophos, qui rerum naturaliũ habeant notitiam: tales in Phædone ac Epinomide Plato philosophos esse negat. Numquid.) Philosophi munus ab ipsa deducit professione, docens philosophũ esse sciẽtiæ amatorem. in quo ut partes definitionis explicẽtur, quem appellet amatorẽ, inductione similiũ iudicat: cõcluditq; deinũ, amatorẽ alicuius rei certæ & notæ studiosum esse, philosophũ aũt scientiæ amatorẽ existere, ideoq; scientiæ certæ atq; firmæ. Non ne phil.) Ab etymologia sumitur argumentũ, ex eoq; inferre uult, scientiã, quã amet philosophus, hic certã esse debere. At uerò.) Partes definitionis huius explicat, primò genus ipsum constituẽs: id est, amorẽ: deinde proprietatẽ seu differentiã addens: id est, scientiam certam: nec enim cuiusuis scientiæ amatorem esse uult, sed sciẽtiæ firmæ atq; stabilis. Hic animaduerte duplex uitiũ cum Peripateticis poni, uero studio sciẽtiæ contrariũ, curiositatẽ, & negligentiam scientiæ. Veros autem.) Ex philosophiæ definitione munus philosophi uerè quæritur, quãdo philosophus à philosophia nomẽ habet, ideoq; nominatur sciẽtiæ ueritatisq; studiosus, ut philosophia ipsa ueritatis est cupiditas. Te aũt hoc.) Vt ostẽdat, philosophũ ueritatis esse amatorẽ, idq; à cõtrarys confirmet, naturam contrariorũ explicat, docẽs ea in unũ idẽq, subiectũ simul nõ cadere: itaq; nec philosophũ æquè sapiẽtiæ & insipiẽtiæ studiosum esse. De iusto.) Hic ideã ipsam seu uniuersale, ut ipsum iustũ, ipsum bonũ, quod in Parmenide ait, idem esse semper docet, q. eius essentia immutabilis, scientiaq; certa & firma sit. cõtrà uerò corporeæ res apparentem habeant ueritatẽ, propter naturæ suæ inconstantiã. Hæc à Platone omnia dicuntur, ut subiectũ philosophi ueri inquiratur: id quod in ijs uerbis facit. Homines oculis.) Verũ, ait, philosophus res incorporeas, ut ideam ipsam pulchri separatam, quærit, et contẽplatur: philosophaster uerò, rudi adumbrataq; cognitione cõtentus est: ergo ille uerè

studio-

studiosus scientiæ est, hic nō item. Somniare non.) A' distinctione somnij discrimē ueræ scientiæ à dubia cōcludit, ut uerā scientiā ipsius esse pulchritudinis, id est ideæ, notitiā uerò rerum corporearū somnium esse cōcludat: utamq; alteram scientiā, alteram opinionem appellet. cuius discrimē item ostēdit deinceps ijs uerbis: Huius igitur cogitationē.) id est, Quando opinionē à uera sciētia distinguimus, facilè repellemus eum, qui opinionē suam scientiā iudicet, si permittamus ignoratione sua ipsum delectari. Quicunque cognoscit.) Incipit iam, à proposito digressus aliquantum, quærere discrimē scientiæ et opinionis, idq; utriusq; subiecto demonstrato. in primis enim illud statuit quasi axioma, Ens, siue id quod sit, in scientiā cadere, non ens uerò, id est, quod nō sit, in nullam: quando existentiū sit scientia, nō existentiū ne agnitio quidē ulla. Sin aūt ita se habet.) Nunc rursus ostēdit, inter ens, & nō ens, aliquid esse medium, quod Aristoteles in Physicis materiæ tribuit, cum eam nec ens, nec nō ens uocat, mediamq; utriq; interijcit. in quo cum Platone cōuenit, res materiales putante nō cadere in certā scientiā, nec inscitiā.

Vtrum eandē potentiā) id est, Num eadē est facultas cum sciētia, an alia? Hic quærit, medium illud interiectū enti, & nō enti, in quodnam notitiæ genus cadat: ut inferat, eam esse opinionē, quæ cum incerta cōprehensio sit, ad scientiā accedat in cōprehensione, ad ignorantiā in incertitudine. Dicemus utiq; potētias esse.) Quia dixit, opinionis et sciētiæ diuersam esse potentiā seu uim, definit obiter quid sit potentia, atq; illam esse animi facultatē quandam, qua obiecta cōprehendātur: quandoquidē aliud est essentia rei alicuius, aliud uerò actio, & facultas agendi illi insita. Nam ego quidē in ipsis) id est, potentiæ animi facultates tantum sunt, ex effectu notæ, nō per se: nec enim in sensum cadūt. noscūtur aūt pro uarietate obiectorū, quæ capiunt, cum diuersa obiecta diuersas indicent potētias. Quo fit, ut potētia ad obiectum referatur aliquod. ut si potentia sit, alicuius sit rei potētia. In potentia uerò ad illud.) id est, Cum potentiæ referantur ad aliquod obiectū, quale obiectum fuerit, talis erit potētia: Ergo si obiectū sit semper ens & idem, potētia talis obiecti eadem erit semper: si uerò illud nō ens, et multiplex, talis erit etiam potentia. Vtrum scientiā potentiā.) Accommodat iam ad quæstionē propositā, quæ retulit de potentiarum discrimine: ut cōcludat, scientiam esse potentiam unam et eandem, opinionē uerò multiplicē. Potentiam uerò hic non appellat animi uim, qua cōprehenditur obiectū, sed ipsam cōprehensionē. Quo pacto quis mentē.) id est, nemo sanus dicet eandē in rem cadere scientiā & opinionem, quando diuersa utriusq; obiecta sunt. An idem quod & scientia.) Docet etiam, non modò diuersum esse obiectū scientiæ et opinionis, sed diuersam quoq; cōprehensionē. Sic enim argumētatur: Si duæ potētiæ sunt, diuersa sunt obiecta: ac si diuersa obiecta potentiæ quoq; diuersæ, proindeq; actiones erunt diuersæ: igitur alia est cōprehensio scientiæ, alia opinionis. Ex his aūt fieri nō) Hæc est argumenti superioris cōclusio: cui Aristoteles quoq; astipulatur lib. 1. Post. Analyt. qui unam & eandē rem esse negat scientiā & opinionē, quod modus perceptiōis in utraq; diuersus sit. Differt uerò, quòd utriusq; obiectum idem esse ait: quia Plato nō modò ipsam cōprehēsionis formam, ut fiat opinio, in causa esse ait, sed rei quoq; obiectæ naturam. Nunquid nō ens opinatur.) Nō ens ne in opinionem quidē cadit, quia opinio rerū est aliquo modo existentiū. Ergo neq; ens, neq; nō ens) Concludit demū, nec opinionē esse nō entis, nec ipsius entis, sed mediæ cuiusdā naturæ, id est, materialis: est enim ipsa media inter scientiam & ignorationē, sicut eius obiectum medium inter ens et nō ens. Illud itaq; nobis, ut arbitror.) id est, iam constat, aliquid existere inter cognitionē entis, id est scientiā, & ignorantiā, numirū opinionē mediā inter extrema duo. His ita suppositis.) Hactenus ipsum philosophi subiectum quæsiuit, distinxitq; à cōtrarijs suis, collata opinione cum scientia: nunc id ad quæstionē accommodās, cui sese rei dederit idem, ostendit. atq; uerum philosophum ueram scientiā, cuius est studiosus, inquirere: ueram aūt scientiā non uersari in rerum corporearum & mutabiliū inquisitione, sed in notitia ueri, semperq; entis, ut ideæ seu ipsius pulchri et boni: itaq; cōtemplatorē rerum diuinarū philosophū ac sapientē esse tantummodò uult, ut in Phædone atque Epinomide ait, & Aristoteles lib. 1 Metaphys. Physicum uerò, id est, inquisitorē rerū materialiū et corporearum, quæ in opinabilē tantum cognitionē cadant, sapientem non esse. Est ne aliquod ex hisce.) Inductione probat, semper ens, seu ideam unam, indiuisilemq; esse, caderéq; in ueram scientiā: cætera uerò, quæ illius participatione sint, ut corporea omnia, diuisilia esse, & multiplicia, ideoq; in opinionē cadere. Inuenimus igitur, ut uidetur.) Complexio totius argumētationis est, docens quid sit opinio ac scientia, & quarū rerum tum philosophi huius, qui Reip. sit præfuturus, subiectum esse ipsum ens, cuius sciētia uera firmaq; sit. in quo ueri philosophi à falso, seu philodoxo discrimē cognoscitur. Hac in re id ab Aristotele Platonem distare uideo, quòd ille firmam certamq; rerum comprehensionem scientiam appellat, siue res corporeæ ac diuisiles, siue incorporeæ sint: hic autem firmam item comprehensionem, certam esse iudicat scientiam, sed tamen rerum mutabilium, & materialium talem non esse comprehensionem, eo quòd nihil in animo firmum remaneat, propter frequentes rei mutationes: nihilominus tamen Aristoteles ipsas res corporeas, ut hominem, equum, & reliqua, remanere secundum speciem corpoream perpetuò ait, ideoq; certam in scientiam cadere.

INceptam lib. 5 disputationem de uero philosopho, id est, ciuitatis huius rectore, in hoc cõtinuat. itaq; primum docet, philosophũ hunc firmæ ueritatis studio deditũ fore: deinde, uirtutib. præditũ omnibus. Qua in parte philosophiam à multorum calumnijs tuetur, causam reddens, cur philosophi aut accusentur, aut causam nonnullis reprehensionis dent. Hunc porrò philosophum à se ita descriptum, ciuitati præficit suæ: nec obstare quicquam putat, quo minus adhibeatur, cum uera rei forma, siue existat, siue non existat, sit describẽda. Hinc progressus, officia huius philosophi in administranda Repub. ostendit: præcipuam autem illi curam inquirendi ueri entis cõmendat. Quo etiam in loco ad boni inquirendã naturã, tanquã philosophi eiusdẽ subiectũ, digreditur: atq; ita totus hic liber, & septimus, in philosophi, seu principis descriptione uersatur.

PLATONIS DE REPVBLICA
LIBER SEXTVS.

QVales philosophi sint, inquã ego, et quales qui alieni à philosophia, ô Glauco, uix tandem longa oratione constitit. Erat fortasse, inquit, haud facile paucioribus explicare. Non, ut apparet. Planius uerò id, ut arbitror, eluceret, si hoc dũtaxat solum enarrare oportuisset, neq; per alia multa peruagari, si quis ostendere uelit, quónam uita iusta ab iniusta distet. Quid posthac nobis restat agendum? Quid aliud, quàm quod deinceps sequitur? Postquam philosophi sunt, qui attingere possunt id quod semper secũdum eadem eodem modo se habet: qui uerò id nequeunt, semper autem per multa mutabiliaq; uagantur, philosophi non sunt: quósnam ex his duces esse ciuitatis oportet? Quo pacto ad hoc rectè possumus respondere? Quicunq; custodire leges possunt, & ciuitatis officia, his gubernacula sunt Reipublicæ committenda. Probè. At perspicuũ est, utrum cæcum an acutè cernentem esse oporteat, cui mandemus aliquid seruandum. Quidni perspicuum? Videntúr ne tibi à cæcis differre, qui cognitione in unaquaq; re eius quod uerè est, carent: neq; perspicuum ullum habent in animo exemplar: neq; possunt tanquã pictores ad exemplar uerissimum respicientes, referentesq; ad illud, & ipsum quàm sincerissimè contuentes, ita demum leges hic ferre de pulchris, iustis & bonis, si oporteat. & latas leges custodire atque seruare? Profectò non longè differunt. Num istos potius ad custodiam eligemus, quàm eos qui unumquodq; quod uerè est, cognoscunt, peritia quoque aut alia quauis in parte uirtutis nihilo inferiores existunt? Absurdum esset utiq; alios quosuis eligi, præcipuè si cætera nequaquam desint. Hoc certè maximo superant. An non istud iam dicemus? quónam pacto ijdem poterũt illa simul & hæc habere? Omnino. Quod ergo in huius disputationis exordio diximus, naturã ipsorũ perdiscere in primis oportet: atq; arbitror, si de illa inter nos satis conueniat, etiã hoc conuenire, fieri scilicet posse, ut ijdem hæc assequantur, neq; alios præter hos ciuitatis duces esse debere. Quónam pacto? Hoc itaq; inter nos primum constet, de philosophorum ingenijs, quod semper eam diligũt disciplinam, qua illis notior fiat natura illa quæ semper est, neq; generatione et corruptione mutatur. Constet. Quinetiã, quòd eam totam affectant, neq; sponte partẽ eius ullam spernũt, nec paruam, nec magnam, neq; honorandam, neq; uilem: quemadmodum suprà de ambitiosis & amore captis prædiximus. Rectè. Præterea & hoc animaduerte, nunquid necesse sit naturæ eorũ inesse, q̃ tales futuri sint, quales narrauimus? Quale istud? Vt mẽdacij omnis natura experti sint, neq; sponte mentiantur unquam, sed omnem oderint falsitatem, diligãt ueritatem. Probabile est. Non solum probabile est, ô amice, sed penitus necessariũ, cum qui ex natura ad aliquid amore afficitur, quicquid cognatum

& familiare est amato, diligere. Scitè. Num familiarius aliquid sapientiæ quàm ueritas reperitur? Nihil. An ergo possibile est naturam eandem esse philosophicam & mendacē? Nullo modo. Ergo discendi cupidum necesse est statim à pueritia ueritatē omnem summopere affectare. Prorsus. Quem uerò ad certum quiddā ardenter rapiunt cupiditates, huic ad alia cupidines remissiores sunt, cum aliò tanquam riuuli defluant. Nulli dubiū. Quicunq; igitur ad disciplinas & cætera talia omnia desiderio flagrant, puram ipsius animæ expetunt uoluptatem, corporis autē oblectamenta despiciunt, nisi quis fictus, sed uerus philosophus sit. Summopere necessariū istud. Temperatus itaq; uir talis erit, neq; pecuniæ cupidus. Nam ad quēuis pertinet potius quàm ad hunc, cumulandis pecunijs inhiare, cuius gratia cæteri maxima cum iactura pecunijs quærendis insudant. Ita est. Preterea considerandum, quoties naturam eius qui philosophus sit, & eius qui non sit, discernere cupis. Quidnam? Ne fortè latens quædam insit illiberalitas. Nam aduersa omnino est pusillanimitas animo uniuersū ipsum semper diuinum atq; humanum indagaturo. Vera loqueris. Nempe cui cogitationis adest magnificētia, & totius temporis totiusq; substantiæ contemplatio, humana uita magnū quid uideri non potest. Non profectò. Num Mortem hic terribilem æstimabit? Minimè. Timidæ itaq; illiberalię; naturæ philosophia uera nō conuenit. Non, ut mihi uidetur. Vir autem modestus, non quæstui deditus, non pusillanimis, non superbus, nō timidus, non in commercijs difficilis erit, aut iniustus? Nullo modo. Quinetiam quum discernere cupies, quis animus philosophus sit, qui non, statim à teneris annis id obseruabis, nūquid iustus & mitis, an iniquus atq; agrestis. Maximè. Neq; hoc, ut arbitror, pretermittes. Quid'nam? Vtrum ad percipiendum uelox, an tardus? num censes quempiam illud unquam diligere, quod cū aggredit̄, summa cum difficultate agit, & uix tandem parum quid proficit? Nunquā profectò. Quid si nihil seruet eorum quæ discit, obliuiscaturq; omniū, nónne erit sciētia uacuus? Vacuus. Cum uerò irritus illi labor omnis suscipiat̄, an nō cogetur tandē seipsum & actionē talem odisse? Nihil prohibet. Obliuiosum igitur animū legitimorū philosophorum ingenijs cōuenire nequaquā existimemus, sed admodū memorē. Ita prorsus. Absona præterea & inconcinna natura ad intemperiem semper trahit. Semper. Veritatem uerò an cum intēperie & immoderatione congruere putas, an cū temperie potius? Cum temperie. Ergo cōpositam & gratā præter cætera cogitationē huic ingenio tribuamus, quod suapte natura propensum esse uolumus ad ideam cuiusq;, quod uerè est, inspiciendam. Nempe. An non tibi uidemur singula percurrisse, quæ necesse est continuata serie sibi inuicem succedētia animo ei cōpetere, qui ueritatē rerum perfectè sit cōsecuturus? Ita prorsus. Non potes quoquo modo studiū id damnare, quod nullus sufficienter exequi potest, nisi natura sit perspicax, memor, magnificus, gratiosus, amicus, familiarisq; ueritatis, iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ. Ne Momus quidē id carperet. Nónne his solis eruditione tandem & ætate prouectis, Rempub. præbebis administrandā? Ad hæc Adimantus: Nemo, ô Socrates, posset, inquit, cōtradicere. At uerò sic afficiunt̄ qui audiūt ea passim quæ tu narras. Putāt enim, interrogādi respondendiq; imperitia à ratione in singulis quę rogantur, paululum se abductos, collectis tandē erroribus, errorē ingentē cōtrariumq; quiddā ei quod prius asseruerant, asserere. & quemadmodū qui talis ludere nesciunt, ab his qui in eo ludo periti sunt, tandem usqueadeò coercent̄ & concludunt̄, ut quod ferant, nequaquā habeant: ita & seipsos putant cogi tandē, cōcludiq;, nec habere quod dicant, uerbis ueluti calculis circumscripos: quandoquidē

uerum nihilo hic magis sit quàm illic. Aio uerò, ad hæc nostra quidem. diceret enim tibi quispiam, his quæ proponuntur uerbis aduersari non posse: re autem ipsa compertũ habere, quotcũque philosophię studiũ aggressi, ita in eo uersantur, ut non eruditionis gratia degustatis philosophiæ præceptis, iuuenes adhuc inde discedant, sed diutius immorẽtur: eos ut plurimũ absurdos admodum euadere, & à rebus hominum alienos, ne iniquissimos dixerimus. Si qui uerò pręstantiores uideãtur, tamen hoc studio quod ipse laudas, ita inquinari, ut inutiles euadãt ad Rempub. gubernandam. Censes, inquam, illos qui hæc aiunt, mentiri? Haud noui equidẽ: sed quid ipse sentias, libenter audirem. Audies certè, si id roges, quod uera loqui mihi uidentur. Qua ratione igitur rectè id dicitur, quod non prius erit ulla malorum requies ciuitatibus, quàm in ipsis philosophi dominentur, quos Reipublicę inutiles esse fatemur? Quod petis, responsione indiget per imaginem quandam inducta. At tu per similitudinem loqui, ut arbitror, non consueuisti. Esto, inquã. an mordes, cum me in sermonem impuleris adeò demonstratu difficilẽ? Audi ergo similitudinem, ut apertius cognoscas quàm lubricè similitudinibus utar. Vsqueadeò durũ est, quòd præstantes in philosophia uiri in gubernanda republica patiuntur, ut nihil aliud sit unum quod hoc patiatr. Quare oportet hoc ex multis colligendo, comparare cum his denique, & de eis rationem reddere. Veluti quum pictores tragelaphos, & cætera huiusmodi multiplicia figmenta depingunt. Finge animo quẽdam nauis aut classis gubernatorem, huiusmodi magnitudine & robore corporis reliquos nautas excedentem, surdum uerò & caligantibus oculis, & mente gubernationis inscia: nautas autẽ de gubernatione inter se certantes, dum unusquisque putet se imperio dignum, quanquam nec artem didicerit unquam, nec pręceptorem in ea re ullum possit ostẽdere, neque quo tempore didicerit, assignare queat: negãtes quinetiam artem illam doceri posse, eumque qui doceri posse contendat, ferro petentes. Ipsos autem cogita circa gubernatorẽ illum confluere, obsecrare, obnixè contendere, qui ipsis gubernacula tradat. Vbi si non ipsi, sed alij persuaserint, cæteros uel perimere, uel è naui eijcere: ac postremum generoso illo nauis principe mandragora aut mero prius occupato, gubernationẽ nauis arripere, præsentibus rebus uti, uino & epulis indulgere, ac ita gubernare ut huiusmodi homines uerisimile est. Omnes præterea eum laudare, eum nautam & gubernatorẽ uocare, eum quę ad nauem regendam spectant callere, quicunque ad usurpandum nauis principatũ, uel persuasione, uel ui, gubernatore submoto opitulari ipsis possit: eum uerò qui id nequeat, tanquam inutilem uituperare: ueri autẽ gubernatoris officium ne cogitare quidem, quod uidelicet ad eum spectet rationem habere anni & temporũ, cœli, siderum, & uentorũ, & omnium quę ad artem illam attinent, si dux nauis esse re uera futurus: ut uerò gubernet, seu uolentibus quibusdã, siue inuitis, huius ipsius artem nullã putantes accipi posse simul, & gubernatoriã facultatem. Hæc si in naui ita habeant, an non uerum gubernatorẽ censes ab illis qui talibus uehuntur nauibus, inanem & curiosum rerum sublimium inspectorẽ, & naui ipsi inutilẽ uocitari? Et maximè quidẽ, inquit Adimantus. Haudquaquam opus esse arbitror, inquam ego, ut tibi latius explicẽ, quemadmodum ad propositæ cõparationis imaginem ita in ciuitatibus affecti ciues sunt aduersus ueros philosophos, ut in huiusmodi nauibus ad uerũ gubernatorẽ nautæ. Intelligere enĩ te existimo. Summopere. Primũ itaque illi qui admiratur philosophos in ciuitatibus minimè honorari, imaginẽ hanc expone: & persuadere conare, multo mirabilius fore si honorarent. Faciem equidẽ. Adijcias & hoc præterea, uera loqui eos qui dicũt, inutiles esse uulgò eos qui philosophię studio pollẽt.

uerùm

uerùm quod inutiles sint, nõ esse ipsos in causa dicito, sed eos potius qui his philosophis non utunẽ. Neq; enim naturæ consentaneũ est, ut gubernator quasi indignus nautas oret, quo eius se gubernationi cõmittant, uel sapientes ad diuitum fores accedãt. Sed qui hoc primus iactauit, profectò mentitus est. Re uera autem ita natura comparatum est, siue diues, seu pauper ab aduersa ualetudine teneaẽ, ut necessariò fores medicorum petat: & omnes qui superioris gubernatione indigẽt, domos adeant hominũ gubernare potentium, non gubernatores, si modò alicuius precij sint, orent ut ab his gubernentur inferiores. Quin si eos qui his temporibus Respub. administrãt, cum eis cõparaueris nautis, quos modò cõmemorabamus, non aberrabis: ac si illos qui ab ijs appellanẽ uani, & superstitiosi reconditarũ rerum indagatores, ueris gubernatoribus comparabis, rectè quidem facies. Rectè, inquit, admodũ. Ob has igitur causas in his quoq; haud facile est, ut honestũ studium ab his probeẽ, qui contrarijs sunt moribus assueti. Maxima uerò & uehementissima philosophiæ calũnia oritur, propter eorum mores qui philosophię studia profitenẽ. Ferũt quippe hi qui philosophiã criminantur, ut ipse ais, plurimos eorum qui ad philosophiam se conferũt, prauos admodũ esse: si qui uerò eorũ cæteris excellũt, esse inutiles: atq; ego hæc tibi concessi, nóne? Vtique. An'non causam exposuimus, ob quã legitimi philosophi esse inutiles uideantur? Certè. Quur aũt & plurimi praui sint, uis'ne deinceps aperiamus? quód ue philosophiæ culpa nulla est, pro uiribus declaremus? Volo equidem. Pergamus ad hæc, repetẽtes quod suprà induximus, qualẽ esse natura oporteat eum qui honestus sit, bonusq; futurus. Dux autem eius in primis erat, si memoriæ tradidisti, ueritas, quam sequi omnino ac passim debet: aut si uanus sit, ueræ quoque expers philosophię sit oportet. Ita prorsus est dictũ.

Vnum hoc igitur alienũ est omnino ab ijs quæ nunc de ipso æstimantur. Alienissimum. An'nõ decẽter hunc in modũ eius causam defendemus? dicentes hominẽ sciẽtiæ cupidũ ita natura institutũ esse, ut ad id quod uerè est, semper cõtendat, neq; moras trahat in his singulis ac plurimis circa quæ uersaẽ opinio: sed ultro progrediens, non antè quiescat, quàm propriam cuiusq; naturam ea animi ui attigerit, qua id apprehendere conuenit. Conuenit autem ui quadã cognata. Qua cum adhęsent, seq; ei quod uerè est, miscuerit, atq; inde reuera intelligentiam ueritatemq; genuerit, cognoscet utiq; uerum, uereq; uiuet atque aletur. Ex hoc deniq; partu molestia eius omnis cessabit, prius uerò nequaq;. Probè admodum ista dicunẽ. An hic ullo modo amabit mendaciũ? uel omnino potius oderit? Oderit certè. Nempe ubi dux ueritas est, malorum chorum subsequi, ut arbitror, non dicemus. Quo enim pacto? Imò uerò sincerũ sequi, iustumq; morem: hunc quoq; dicemus subsequi temperantiã? Scitè. Quin etiã reliquũ naturæ philosophicæ chorum quid opus est à principio recensere? Recordaris enim, quòd cũ his cõgruit, ut dicebamus, fortitudo, magnificentia, acumen ingenij, atque memoria. Quum uerò tu obiecisses, ꝙ quislibet necessariò fateri cogeretur quæ dicebamus: uerbisq; nostris omissis, conuersus ad eos de quibus erat sermo, diceret, uidere se illos partim inutiles, partim omni prauitate corruptos: nunc sanè nos huius calumniæ causam perscrutari cœpimus, & cur multi eorum mali sint, atque hac de causa rursus legitimorum philosophorũ naturam repetiuimus, necessarioq; hanc definiuimus. Est ita.

Quærendum est deinceps, qua ratione in multis natura philosophi deprauantur. (paruum autem quiddam nos subterfugit.) Nempe & hoc animaduertendum, quos uidelicet non malos quidem, sed inutiles uocant. Deinde etiam qualia hominum ingenia sint, quæ hanc imitantur naturam, eius'que opus usurpant, & indignum

se studium ac suprà uires aggrediētia, delinquāt sæpe, & opinionem philosophiæ passim, quam narrabas, inducunt. At quas deprauationes dicis? Ostendam, si potero. profectò id arbitror nobis quemlibet concessurum, ingenium tale, quale descripsimus, & omnibus hisce præditum, quibus perfectus indiget futurus philosophus, raro in paucisq; oriri. An non ita existimas? Maximè. Atq; horū etiam paucorū uide quàm multi sint, maximiq; interitus. Qui'nam? Nam quod præter cætera auditu mirabile est, unū quodq; eorum quæ in philosophi ingenio nuper probauimus, habentem inquinat animum, & plerunq; à philosophia detorquet: fortitudinem dico, & temperantiam, & cætera quæcunq; narrauimus. Absurdum hoc quidem auditu. Præterea quęcunq; bona uulgò dicuntur, deprauant animum atq; impediunt: forma, diuitiæ, corporis uires, & genus in ciuitate potens, & cætera generis eiusdē. Habes enim quandam eorum quę dico formulam. Habeo equidem, ac libēter exactius quæ dicis audirem. Vniuersum ipsum rectè comprehēdito, ac tibi perspicuum apparebit: neq; absurda tibi quę de his dicta sunt, uidebuntur. Quomodo istud præcipis? Scimus enim omne semen & plātarum & animalium, quod non fuerit ea quæ cuiq; conuenit nutritione potitum, neq; tempore, neq; loco, quo generosius ac uehementius, eo pluribus opportunis carere. bono namq; malum cōtrariū magis, quàm non bono. Quidni? Est igitur, ut arbitror, consentaneum, naturam optimam, si sub aduersa forma nutriatur, deteriorem euadere, quàm ignauam. Est utiq;. Hac itaq; ratione dicimus, Adimante, animos præstantissimo ingenio præditos, si malè fuerint educati, pessimos fieri. An putas infanda scelera, & extremam nequitiam ex ignauo potius ingenio, quàm generoso educatione corrupto procedere? Imbecillem uerò naturam, ingētium uel bonorum, uel malorum quādoq; causam fore? Non certè. Si ipsa igitur natura philosophi conuenientem nanciscitur disciplinam, necesse est eam semper proficiendo ad omnem peruenire uirtutem. Sata autem si fuerit, genitaq; peruerse, atq; ita nutrita, ad contraria omnia rursus delabitur, nisi fortè deorum aliquis eam adiuuerit. An tu quoque putas, quemadmodum multi, uerum esse quod dicunt, quosdam adolescentes à sophistis corrūpi, corruptores uerò eorum sophistas quosdam esse priuatos: ac nō eos potius qui ita loquuntur, maximos esse sophistas credamus, qui doceant, talesq; prorsus unumquemq; & senum & iuuenum, & uirorum & mulierum reddant, quales uolunt? Quando id potissimum, inquit? Quando, inquā, frequētes multi uel in concionibus, uel iudicijs, uel theatris, uel castris, uel alio quodā hominum ingenti cœtu considentes, eorum quæ dicta facta'ue sunt, alia uituperant, alia laudant, ad utraq; ingenti cum tumultu acrius efferūtur, dum explodunt & applaudunt summo quodam strepitu & clamore: unde parietes quoq; & laquearia circùm resonāt altius, suoq; sonitu uehementer exaugent laudantium ipsorum uituperantiumq; tumultum: tunc adolescentem illum, quo animo (quemadmodum dicitur) hac in turba esse censes? uel quā priuatam disciplinam rumoribus hisce putas obsistere, quo minus ab huiusmodi uituperationibus laudationibusq; diluta dispersaq; eò protinus feratur, quò fluctus hinc deuehit? Vnde eadem, quę & illi, ut honesta approbabit, eadem quoque reprobabit ut turpia. Iisdem pręterea, quibus illi, incumbet studijs, eorumq; euadet persimilis. Necesse id omnino est, ô Socrates. Nondum tamē uehementissimam induximus necessitatē. Quam? Quam operibus inferunt, non persuadentes uerbis præceptores sophistęq; isti. An non cernis, quòd hominem illis non obsequentem infamia notant? iactura pecuniarum, & mortis supplicio damnant? Summopere. Quem igitur aliū sophistam putas, aut quos alios priuatos sermones aduersari

istis,

istis & resistere posse? Nullius certè orationem. Nullius sanè. Quin & his reniti summa stultitia est. Neq; enim fuit unquā, nec est, nec erit mos alius ad uirtutem institutus, præter istorum disciplinam. humanus, inquam, ô amice. Nam diuinum quidem, iuxta prouerbiū, excipiamus. Certò enim id scito, quisquis immaculatus & integer ex hac constitutione Rerumpublicarum euaserit, talem diuino auxilio euasisse. Haud aliter mihi uidetur. Istud preterea tibi uideri debet. Quidnā? Quisque eorum qui priuatim accepta mercede homines erudiūt, quos quidē sophistas & æmulos artiū appellāt, nihil aliud docēdum putat, quàm multorū sententias in quibus consentiunt, quoties cōgregantur, atq; hanc sapiētiam uocat: ueluti si quis uasti cuiusdā animalis bruti, robusti admodum, & ab homine enutriti, iras & cupiditates singulas obseruauerit, qua'ue ratione adire hoc deceat, qua attrectare, item quando uel ferocius est, uel mitius, & ex quibus causis talis fiat. uoces item quas in singulis quisq; solet exprimere. quibus præterea uocibus aliorum irritatur id animal, uel placatur. Postquam uerò ob diuturnam consuetudinem percepit singula, peritiam huiusmodi sapientiam uocet, & tanquam arte quadam collecta ad docendum se conferat, reuera ignorans quę potissimum harum opinionū cupiditatumq; honesta uel turpis, bona uel mala, iusta sit uel iniusta. Nominet uerò singula ad ingenius bestię illius opinionem, bona uidelicet quibus delectatur ipsa, mala quib. offenditur: nec aliam prorsus ullam de his afferat rationem: sed quæ necessaria sint, iusta nuncupet & honesta: quo uerò boni ipsius necessarij'ue natura differat, neq; ipse perspexerit unquam, neque alijs ostendere possit. Si quis, inquam, ita affectus sit, nonne per Iouem absurdus pręceptor esse tibi uidebitur? Mihi uerò. An differre tibi ab hoc ille uideť, qui multorum uariorumq; hominum in unum conuenientium iram et uoluptates callere, sapientiam esse ducit, siue in pictura, siue in musica, siue in administrandæ Reipublicæ disciplina? Patet enim, quòd si quis cum his uersetur, eisq; ostendat uel poesis, uel alterius artis opus, uel ad Rempublicam attinens ministerium, exhibeatq; uulgo iudicādi operis autoritatem, ultra necessaria, Diomedea, ut aiunt, necessitate cogetur ea facere, quę isti probauerint. quòd ueto bona hæc reuera atq; honesta sint, an audisti quandoque ipsorum aliquem rationē uerisimilem assignantem? Nec audiui quidem unquam: nec, ut arbitror, audiam. Hæc intuitus omnia, recordare & illud: Num potest uulgus, uel alio dicēte admittere, uel ex se attingere ipsum per se pulchrum, nō autem multa hæc pulchra, & de cæteris eodem modo, non quidem esse singula hæc quæ patent multa, sed ipsum unam cuiusq; naturam? Minimè. Philosophus ergo uulgus esse non potest. Non. Quinetiam necesse est ab eo philosophantes uituperari. Necesse. Et à quibusq; populo placere uolentibus. Patet. Ex his ergo quam rationem seruandi ingenij philosophici uides, ut suo in studio perseuerās, ad finem philosophandi deueniat? Sic autem ex his quæ dicta sunt, cogita. Concessum est, discendi acumen, memoriam, fortitudinem, magnificentiam ad hoc ingenium pertinere. Planè. Nonne statim apud omnes talis, in cunctis primus erit, præsertim si corpus natura nactus sit animo conforme? Nihil prohibet. Volent igitur & domestici omnes, & ciues ad sua negocia peragenda hoc uti, cū adoleuerit. Sic certè. Quare precibus, supplicationibus, honoribus, blandimentis præoccupabunt futuram ipsius uirtutem atque potentiam. Ita fieri solet. Quid hominem talem arbitraris tunc effecturum? præsertim si ampla in ciuitate natus sit, & in ea diuitijs insignis, ac genere, honesta præterea indole sit atq; procerus: nónne immensa spe elatum iri hunc censes? putātemq; se ad res tam Græcorum quàm barbarorum gerendas sufficere: unde & seipsum extollere, fastidioso habitu lasciuientē, inaniq; fastu, & insana inflatum superbia,

ba. Vehementer. Si quis hominem sic affectū amicè moueat, dicēs, mentē ipsum nequaquam habere, egere tamen: sed eam à nullo comparari posse, nisi se eius adeptioni subijciat: an facilè illum tantis occupatū malis, præstare monenti aures putas? Longè abest. Sin autem bonitate naturæ, & innato quodā erga rationes affectu inductus aliquis auscultet, flectaturq́;, & ad philosophiam trahatur, quid eos facturos existimamus, qui putant monitoris illius usu & consuetudine adolescentē corrūpi? Nónne & loquēdo & agendo omni studio certaturos, ut nec adolescēs monitis pareat, nec exhortator ille aliquid persuadeat, eum tam priuatis insidijs quàm publicis accusationibus insequētes? Valde necessarium est. Restabit ergo huic ulla ad philosophandum facultas? Exigua planè. Vides'ne haud ab re nos suprà dixisse: philosophicæ naturę partes, si peruersa adhibita sit educatio, causas esse quodammodo, ut quis ab eo studio auertatur? quinetiam impedimento esse, ea quæ uulgo bona putantur, diuitias scilicet, & omnem huiusmodi suppellectilem? Rectè nimirum est dictum. Hic est, ô mirifice uir, interitus & corruptio talis ac tantæ naturæ ipsius, ad excellēs officiū optimæ, quæ quidem rara admodum, ut diximus, reperitur. Atque huius ingenij sunt hi uiri, qui nefaria scelera patrant, & priuatim & publicè: atq; item qui sunt & priuatis & ciuitatibus bonorum ingentiū autores. Exile uerò ingenium nihil unquam uel priuatim uel publicè magnum efficit. Vera nimirum loqueris. Cum plerique ad philosophādum natura idonei ab hoc studio detorquentur, philosophiamq́; imperfectam & desolatam destituunt, uitam neq; decentem, neq; ueram ducunt: philosophiam uerò tanquam cognatis orbatam, alij quidam ea certè indigni aggredientes, dedecorant ipsam nimium, eaq; afficiunt infamia, qua notari ipsam à detractoribus illis commemorabas, obijcientibus quod eorum qui philosophiæ dant operam, nonnulli paruifaciēdi sunt, multi uerò nequissimi. Dicta certè hæc sunt. Ac meritò dicta. Conspicientes profectò alij pleriq; homunculi sedē hanc uacuam quidem, præclaris tamen cognomētis dignitateq; illustrem, instar eorum qui ex carcere ad templa confugiunt, libenter ex artibus ad philosophiam prosiliunt, quicunq; præsertim in artiuncula sua excellunt. nempe philosophia quanquam ita se habet, artibus tamen cæteris dignitate & magnificentia præstat. Quam affectant plerique, natura quidem imperfecti, & artibus opificijsq; sicuti corpora læsi, sic & animos mechanicis ministerijs depressi atque confracti. an non necessariū est? Maximè. An censes eos aspectu quicquam differre à fabro ærario, diuite, paruo caluoq;, qui è uinculis exijt, balneisq; se lauit, et noua se ueste tāquam sponsum ornauit, & filiam domini sui inopia pressi, nec alium cui daret habentis, in matrimonium sibi coniunxit? Haud longè differre existimo. Qualem ex his prolem nasci putādum est? nónne notham scilicet, & abiectam? Necesse est omnino. Homines autem disciplina indignos, quoties ipsi præter dignitatem adhærent, quales cogitationes opinionesq; producere dicimus? nónne, ut nominare decet, sophismata? nihilq; legitimum, nihil dignum, nihil prudentiæ ueræ conueniens? Sic omnino dicendum. Itaq; pauci admodum restant homines, Adimante, qui dignè in philosophia uersentur: hiq; sunt, qui bona indole nati, ac bene enutriti, ocium ad philosophiā, uel exilio deprehēsi nanciscuntur, unde philosophiæ aduersis occupationib. liberi, natura ducesuis in studijs perseuerant: uel quum magnificus quidam animus angusta in urbe natus, spretis Reipublicę ipsius muneribus, ac multo magis contemptis reliquarum artium opificijs, pro naturæ dotibus ad philosophandum se cōfert. Foret autem et Theagis familiaris nostri frenum ad cohibendum satis ualidum. Theagi enim nostro omnia ita sunt, ut à philosophando excludant. Corporis uerò debilitas, ipsum à rebus ciuilibus prohibet. Dæmonis

nis autem nostri signum referre nunc nō decet. Vel enim cuidam alteri duntaxat, uel nulli superiorum contingit. Horum uerò paucorum quicunq; gustant quàm dulcis hęc sit ac beata possessio, & insaniam plurimorū uident: quia uidelicet nullus, ut breuiter ita simpliciterq; dicam, rectè quicquam in rebuspublicis agat, neque socius aliquis & adiutor reperiatur, qui cum defendendę iusticiæ curam suscipiens aliquis, sospes euadat: sed tanquam homo in bestias incidens, cum nec unà iniustè agere uelit, nec solus ipse omnibus feris possit resistere, antè pereat quàm quicquam uel ciuitatem, uel amicos iuuet, atque ita & sibi & alijs sit inutilis. Hæc, inquam, omnia quicunque diligenter animaduertunt, quietem agunt, & sua duntaxat curant: ac uelut in procella, dum & turbo agitatur, & uenti perflant, et offunditur puluere cœlum, intra parietes tuti permanent: aliosq; intuiti nequitia inuolutos, satis habituros se putant, si puri ipsi ab iniusticia & iniquis facinoribus uixerint, & exactis uitæ curriculis, bona cum spe hilares pijq; decesserint.

Haud parua certè is egerit, qui ita uitam nansiget. Neq; maxima tamen, si nactus non fuerit conuenientem sibi Rempublicā. Nempe in ea & ipse proficiet, emicabitq; magis, & priuata simul publicaq; seruabit. Hactenus quam ob causam philosophia calumniam subijt, quod'ue iniusta ea calumnia sit, satis dictū arbitror, nisi aliquid ipse forsan adieceris. Nihil ad hæc ego præterea dicerem. Sed ęarum quę nunc extant Rerumpublicarū, quam potissimum philosophis cōuenire putas? Nullam prorsus, atque idcirco conqueror, quia nullam uideo ex his quæ nunc extant Rerumpublicarum institutionem ingenio philosophi dignam. Quamobrem mutari hanc naturam, ac uerti necesse est. Vtq; peregrinum semen in alienum solum iactum debilitatur, ac degenerans ad indigenam uertitur loci seminisq; naturam: ita & hoc genus propria nunc amissa uirtute, in alienam speciem permutatur. Sin autem optimam Rempublicam nanciscatur, sicut & ipsum est optimum, tunc demum diuinum quiddam se esse, reliqua uerò humana omnia, tam ingenia quàm studia, declarabit. Videris autem mihi statim quæ'nam ista Respublica sit, quæsiturus. Haud rectè præsagisti. Non enim hoc abs te desiderabam, sed nunquid hæc ipsa sit quam in cōdenda ciuitate induximus, an alia? Quo ad alia quidem, hæc ipsa. hoc autem tunc etiam dictum est, oportere aliquid inesse semper in ciuitate, quod rationē Reipublicæ eandem habeat, quam & tu legislator habebas, dum leges conderes. Dictum planè. Non satis tamen explicatum. Quippe nos oratio uestra deterruit, obijciens prolixā hanc & arduam demonstrationem fore Nam quod sequitur, haud dictu facile est omnino. Quid istud? Qua potissimum ratione ciuitas philosophiam suscipere debeat, adeò ut non perdatur. Nam magna quælibet fallacia esse solent, &, ut uerè prouerbio fertur, præclara difficilia sunt. Verùntamen quum istud inter nos constet, finem iam accipiat demonstratio. Facultas fortè deerit mihi, uoluntas certè nunquam. Tu uerò præsens studium meum intelliges. Aduerte age, & nunc quàm promptè & intrepidè sim dicturus, quòd contrà ac nunc fit, ciuitatem oporteat studium hoc attingere. Quonam pacto? Equidem hoc tempore adolescentuli, quum statim à teneris annis inter rei familiaris quæstuariæq; negocia difficillimā huius studij partem aggrediantur, paulo pòst discedūt, etiam qui sapientiæ apprimè studiosi fore existimantur. Difficillimam uerò partem, inquam, periciam disserendi. Deinde uerò, si ab alijs id agentibus, acciti auditores fieri patiantur, magnum quid cogitāt, exequendumq; obiter putant. In senectute uerò, exceptis paucis, multo magis quàm sol Heraclitius extinguuntur, quum nunquam iterum accendantur. Quid ergo agendum? Contrà omnino. Nam iuuenes ac pueros

puerilem disciplinam philosophiamque tractare conuenit, corporum, quatenus adolescant firmenturque ad philosophiæ ministerium, curam agere: procedente verò ætate, in qua anima iam perficit, exercitationes augere. Cum autem uires ex uetustate defecerint, tunc à ciuilibus militaribusque laboribus liberi tanquam emeriti & immunes ad uotum uiuant, nulloque certo officio sint adstricti, quicunque feliciter uicturi sunt: & post migrationem animæ, sortem suscepturi anteactæ uitæ conuenientem. Prompté admodum ac uera loqui mihi uideris, ô Socrates. Arbitror autem plurimos, quum hæc audiuerint, promptius quoque repugnaturos, abs te minimè persuasos. Et in primis Thrasymachum id acturum existimo. Ne mutuæ inter me & Thrasymachum beneuolentiæ insidieris. Nam nuper amici effecti sumus, nec eramus antea inimici. Neque uerò antè desistemus, quàm huic & alijs persuadeamus, ut saltem agamus conferens aliquid ad eam uitã, in quã quum peruenerint, hæc dicta reperient. Breue ad tempus dixisti. Immò uerò ad nullũ, si ad uniuersum id conferatur. Quod autem multi his quæ dicta sunt, fidem non præstent, nihil mirum. Nunquam enim quod modò dictum est, euenisse uiderunt, sed talia quædam uerba potius de industria in similitudinem quandam composita, non casu, ut nunc, concurrentia. Virum autem, quoad fieri potest, uirtute perfectum, ac summopere factis & dictis tali quadam in ciuitate potentem, nunquam aut unũ, aut plures intuiti sunt. An putas? Nullo modo. Neque unquam, ô beate, sermonibus aures adhibuerint honestis ac liberis, quibus obnixè & omni studio noscendi gratia uerum inquiritur. Hæc autem plena uersutijs, & subornata litigiorũ machinamenta, nihil aliud appetentia quàm opinionem, inanem gloriam, contentionem, tam in iudicijs quàm priuatis colloquijs, omittuntur. Non certè. Quamobrẽ cum hæc ipsi præuideremus, metueremusque, ueritate coacti diximus, neque ciuitatem ullam, neque Rempublicam, neque uirum perfectum fore, prius quàm paucis hisce philosophis, qui nec mali, nec inutiles sunt, ut uulgò existimantur, necessitas quædam sorte contigerit, ut seu uelint, seu nolint, ciuitatis curam suscipiant, uel à ciuibus exaudiantur: uel saltem his qui dominantur, aut eorum filijs, diuina quadam inspiratione, ueræ philosophiæ uerus amor inhæserit. Quod autem horum uel alterum, uel utraque impossibilia sint, demonstrari non posse arbitror. Alioquin iure ipsi irrideremur, quasi res pro animi uoto effingentes. An non ita? Ita prorsus. Si quando igitur olim infinito tempore anteacto, uiri in philosophia præstantes necessitate impulsi, Rempublicam gubernarunt, uel hisce temporibus regunt barbarica quadam in regione nobis inaccessibili, uel in futurum administrabunt, in hoc certè rerum statu procul dubio asseueramus Rempublicam suprà descriptam, fuisse, esse, ac fore. Quando ciuitati hæc Musa præsit, fieri certè id potest, neque nos impossibilia fingimus. Difficilia tamen hęc esse, à nobis quoque concessa fuerunt. Mihi quoque ita uidetur. Addes forsitan, uulgo id non uideri. Fortè. Ne usque adeò uulgus culpes, ô uir beate. Verum quid eos opinaturos existimas, si non contentionis studio, sed amicis monitis, dissoluta philosophiæ aduersa calumnia, ostẽdas quos potissimum uiros appellas philosophos, & ut nuper distinguas, & ingeniũ ipsorum & studium, nec te suspicentur eos dicere, quos ipsi cogitant: uel si ita conceperint, falli eos opinione dixeris, nec ad proposita respondere? an censes, inquam, aduersus mitem uirum irritari aliquem? aut hominem sine inuidia & malignitate, uiro non inuido inuidere? Equidem pro te respondeo, nõ in multitudine hominum, sed in paucis admodum, adeò immitem inesse naturam. Idem & ipse cogito. An & hoc cogitas? Causam ob quam multitudo philosophiã iniquo animo fert,

eos

eos esse, qui cũ inepti ad philosophiã sint, cum professi homines, conuicijs passim lacessunt: & quasi inimicitijs delectentur, semper de hominibus obloquuntur, rem agentes philosophiæ minimè congruam. Omnino. Neque enim uero illi, ô Adimãte, qui omnem mentis aciem ad ea quę uerè sunt duxit, ocium superest, quo negocia hominum inferiora respiciat, cumq; illis pugnans, inuidiam sibi & maleuolentiam conflet. Sed ea quæ semper eundem seruant ordinem contemplatur, quæ neque inferunt inuicem, neque patiuntur iniuriam: omnia uerò ornatè, & secundum rationem disposita sunt. Atque hæc imitatur, seq; illis quàm simillimum reddit. An putas fieri posse, ut illud non imitetur aliquis, cui cum amore admirabundus adhæret? Nullo modo. Quare quum philosophus diuino atque decoro frequenter adhæreat, diuinus ipse atque decorus, quoad homini possibile est, efficitur. Calumnia uerò in omnibus multa. Sic est omnino. Si ergo necessitate aliqua inducatur, ut ea quæ illic intuetur, ad mores hominum priuatim & publicè transferat, neq; se tantum, sed & alios formet, nunquid inertem temperantiæ, iustitiæq;, & uniuersæ popularis uirtutis opificem, fore ipsum existimas? Minimè. Si senciat uulgus uera nos de hoc perhibere, an philosophis succẽsebit? nobisq; non credet dicentibus, non aliter ciuitatem fore beatã, quàm si eam, qui diuino utantur exemplo, pictores forment? Nequaquam succensebit, si senserit. Verùm quem pingẽdi modũ dicis? Cum pictores hi ciuitatem, & mores hominum, quasi tabulam quandam acceperint, inprimis eam purgabunt: quod nequaquam facile est. An nescis, hoc præcipue ab alijs philosophos discrepare, quod neq; priuatum, neq; ciuitatem tangere, neq; leges cõdere tentant, antequam uel hæc purgata susceperint, uel ipsi purgauerint? Et rectè quidem. An non describere eos post hæc putas Reipublicæ formam? Quidni? Deinde agentes hæc, ut arbitror, ad utraq; frequenter respicient, ad illud scilicet quod natura iustum, honestum & temperatum existit, cæteraq; huiusmodi, atque iterum ad humana: & ad superioris illius exemplar humana disponent, ex hominum officijs naturam humanã contemperantes, ad figuram eius, quod Homerus quoque cum in hominibus fit, Dei speciem & imaginem similitudinemq; appellauit. Scitè. Partim ergo delebunt philosophi, partim etiã colorabũt, quousq; humanos mores, quàm maximè fieri potest, Deo in amore coniunxerint. Pulcherrima nimirum hæc est pictura. An persuademus illis, quos inuehi in nos dicebas, talem esse Rerumpublicarum pictorem, eum uirum quem suprà apud eos laudauimus: illiq; indignati sunt, quòd huic ciuitatem gubernandam committeremus, nunc uerò æquiori animo hoc audiunt? Et maximè quidem, si sapiunt. Qua nunc in parte nobis aduersabuntur? Vtrum eorum quæ uerè sunt, ueritatisq; ipsius amatores non esse philosophos asserent? Absurdum quidem id esset. An fortè negabũt naturam philosophorum, quã narrauimus, optimi ipsius esse familiarem? Neque hoc quidẽ. Quid uerò? hanc congruis instructam officijs, absolutè bonam fore, ac præ cæteris sapientiæ proximam, renuent? Vel eos probabunt magis, quos ipsi secreuimus? Nequaquam. An succensebunt adhuc dicentibus nobis, quod nisi philosophorum genus ciuitatis suscipiat gubernacula, nec ciuitati, nec ciuibus erit requies ulla, finis'que malorum? nec Respublica, quam oratione describimus, in lucem exorietur? 5

Fortè minus. Vis'ne dicamus, eos non parum, sed prorsus mites persuasos'que fuisse? ne fortè erubescentes aliquid aliud confiteantur. Absque dubio. Hoc igitur isti persuasi iam sint. De hoc autem quis ambiget, quin regum potentiumq; uirorum filij philosophi nascituri non sint? Nemo. Posset autem quis adijcere, quòd etiã si tales nascantur, inquinari eos neces-

sciit. Quòd enim seruari à maculis purum, arduum sit, nos quoq; concedimus. Quis autem illud insuper addet? in omni tempore ex omnibus hominibus ne unum quidem unquam integrum immaculatumq; euadere posse? Nullus hoc dixerit. At uerò unus natura sic institutus, ciuitatemq; nactus obedientem, sufficiens est ad hæc omnia perficienda, quæ nunc ut impossibilia reprobantur. Sufficiens utiq;. Pono, si princeps aliquis leges & officia quæ narrauimus, mandet, haud impossibile est ciues his obsequi uelle. Non certè. Atqui sentire, & alios eadem quæ & ipsi sentimus, num mirũ, aut impossibile est? Non, ut arbitror. Quòd autem optima hęc sint, siquidẽ possibilia, satis suprà est, ut arbitror, disputatũ. Satis. Quare ex his quæ dicta sunt, sequitur, ut optima futura sint, quæ de legibus ferendis prædiximus, si agantur: difficilia itẽ factu, non tamẽ impossibilia. Sequitur planè. Postquã uix tandem finem his imposuimus, ad reliqua iam pergendũ, qua ratione uidelicet, quibusue disciplinis & studijs instructi erunt huius nostræ Reipublicæ seruatores, & qua in ætate singuli singula exercebunt. De his certè iam dicendum. Haudquaquam sapienter à me dictum est, cum in superioribus reliquerim matrimoniorum difficultatẽ atq; molestiã, filiorumq; procreationem, & constitutionẽ principum. noscebam enim, quàm inuidiosa res esset, factuq; difficilis, uel omnino uera. Nunc autẽ nihilominus transigere hæc cogimur: atq; ea quidẽ quę ad mulieres ac filios pertinẽt, iam peregimus: quæ uerò ad principes, tanquam à principio rursus percurrenda uidentur. Diximus autem, si memoria tenes, amatores eos ciuitatis esse oportere, in uoluptatib. doloribusq; probatos: atq; ex hoc proposito, neq; laboribus, neq; metu periculorum, neq; mutatione alia dimoueri. Eum uerò qui hoc nequeat, abdicare oportet: at illũ qui passim sincerus & incorruptus euadit, tanquam aurum in ignis examine comprobatum gubernandæ ciuitati præficere, muneribusq; ornare & uiuentem & mortuum. Præmia uerò talia sint, qualia communiter dicta sunt, breuiter hoc percurrente, & quasi tergiuersante sermone: quippe cum res, ut nunc sunt, mouere timeremus. Vera loqueris. Memini equidẽ. Verebar enim, ô amice, quæ ausus sum dicere. Nos uerò in præsentia id asserere audeamus, quod custodes diligentissimi, optimi debent esse philosophi. Ratum id habeatur. Animaduerte quàm pauci tales erũt. Illius siquidem naturę partes, quam inesse illis oportere diximus, unà rarò concurrunt, & ut plurimum disiunctæ nascuntur. Quo pacto id ais? An ignoras, quod ijdẽ homines, dociles, memores, ingeniosi, acuti non sunt, ac etiã fortes atq; magnanimi, ut moderatè, tranquillè, constanter uiuant? Tales siquidem una cum mentis ipsius feruore quocunq; contigerit, proferuntur, stabilitatis omnis & grauitatis expertes. Vera loqueris. Habitus autem ipsi animorum stabiles, & à leuitate penitus alieni, quorum in grauitate maximè cõfidendũ, utpote qui in bello intrepidi sunt, ut in his immobiles sunt, ita ad disciplinas tardiores & hebetes. Torpent siquidẽ atq; oscitant, quoties eis est cõtemplationi inuigilandũ. Est ut dicis. Nos autem in superioribus principẽ oportere diximus, utrorumque optima ratione participem esse. Alioquin non esse illi supremam disciplinã exhibendam, neq; honores magistratusq; impertiendos. Rectè. Nónne rarò hoc euenturum existimas? Rarò admodum. Examinare igitur futuri principis oportet ingenium in his quæ suprà diximus, laboribus, timoribus, uoluptatibus. Addimus præterea, quod suprà dimisimus, oportere uidelicet illud in disciplinis plurimis exercere: ut pateat, nunquid maximè ipsius doctrinæ percipiendæ sit compos, an deficiat potius, quemadmodum qui in alijs operibus trepidant, atque deficiunt. Ita certè inuestigare decet. uerùm quam maximam doctrinam uocas? Meministi puto,

cum

cum tres in anima species posuissemus, quid iusticia esset, temperantia, fortitudo, sapientia, nos definientes, inuicem conuenisse? Si non recordaret, haud dignus essem qui reliqua abs te auditem. An & illud memoria tenes, quod ante hæc dictū fuit? Quid nam? Diximus certè, ampliori quodam alio orationis circuitu exactius ea posse cognosci: uerùm commodius esse, ut demonstrationes superioribus magis consentaneas induceremus. Quod & uos sufficere respondistis. Atq; ita tunc ea pingui Minerua, ut mihi uisum est, tractata sunt. Sin autem placet uobis, ipsi hoc dicite. At satis mediocriterq; dictum & mihi, & alijs est uisum. Sed in his rebus, ô amice, modus quamcunque ueritatis partem omiserit, immoderatè fit. nihil enim deficiens ullius est mensura. quanquam nonnullis quandoque uidetur sufficienter statim esse tractatum, neq; longiori inquisitione opus esse. Permultis id propter socordiam accidit. Vitium hoc à custode ciuitatis & legū debet esse alienissimum. Consentaneum. Ergo amplior quidem amici huic agendus circuitus, neq; breuior discendo quàm exercitando impendenda est opera: alioquin, ut paulò ante diximus, ad summæ penitusq; necessariæ doctrinæ finem nunquā perueniet. An hæc maxima non sunt? Estq; aliud insuper iustitia, & cæteris quæ narrauimus excellentius? Nempe præstantius. Et horum quidem ipsorum nequaquā decet adumbrationem quandā, qualem nunc, aspicere: sed absolutam rationem comprehendere. An non ridiculum id est, in rebus minimis omne studiū ponere, & obnixè contendere, quo quàm diligentissimè & sincerissimè peragantur: in maximis autem leuem operā satis esse putare? Ridiculum prorsus. At enim putas aliquem quieturū, nisi abs te nunc exquirat, quæ'nā disciplina illa sit, quam maximam uocas, & circa quid uersetur? Non equidem. Sed & ipse interroga, quanquam sæpenumero te arbitror audiuisse. Nunc autē uel nō aduertis, uel potius interturbare me tuis scrupulis cogitas. quod ego potius arbitror. nam sæpe audisti, boni ideam esse maximam disciplinā. Qua quidem & iusta, & alia si utātur, utilia, & conducibilia fiunt. Atq; hoc fermè dicere me uelle scito: & istud præterea, quòd ipsam non sufficienter agnoscimus. Sin uerò ipsam nescimus, & sine ipsa alia quàm maximè nouerimus, scito nullam ex alijs nobis utilitatem fore: sicut neque prodesset nobis quicquam, quod sine bono posside remus. An magis quid esse putas, sine possessiōe boni alia omnia posside re, q; sine boni ipsius & pulchri intelligētia, cętera intelligere? Nō certè. Plurib. uerò bonū uoluptas uidet, elegantiorib sapiētia. Proculdubio. Quin etiā & hoc nosti, q̃ qui sapientiā bonū existimāt, si interrogent, quæ'nā potissimū sapientia, declarare nequeūt, sed cogunt tandē boni sapientiā dicere. Quàm ridicula respōsio. Cur nō ridicula uideat, si cū nos uituperent quòd ignoremus bonū, de bono rursus nobiscū tanquā intelligentib. illud loquā tur? Aiunt enim bonū esse, sapientiam boni: quasi nouerimus quid ipsi dicāt, cum boni nomē pronunciāt. Vera loqueris. Qui uerò bonū uoluptatē esse definiūt, nūquid minus errāt quàm cæteri? Nonne & isti coguntur fateri, uoluptates esse malas? Valde. Eadē igit et bona esse, et mala, fateri coguntur. An' non? Planè. Nonne cōstat, plurimas circa hoc & maximas ambiguitates cōsurgere? Constat. Nonne & hoc perspicuū, quod quæ iusta & honesta uidentur, etiam si non sint, multi eligerent agere, possiderēq;, & uideri hominibus hæc habere: nemo aūt satis habere se putat, si quæ bona dūtaxat uident, possideat: sed quæ reuera bona sint, omnes quærūt, opinionē uerò in his quisq; cōtemnit. Et maximè quidē. Bonū quidē anima omnis expetit, eiusq; gratia agit omnia, augurans esse aliquid: dubitat tamen, neq; sufficienter qd sit cōprehendere potest, neq; fidei stabili inhærere, quali utitur circa alia: atq; idcirco et in alijs

fallitur, cum quid utile sit iudicare pergit. An circa id, cum tale sit ac tantū, similiter cæcos esse debere dicemus illos quoq; præstantissimos in ciuitate uiros, quibus uniuersa cōmittimus? Minimè omnium. Reor equidem, eum qui nesciat, ut nunc ferè accidit, qua ratiōe iusta & honesta, bona sint, haud multi faciendum sanè custodem seipsum exhibere posse. Auguror autem, neminem ipsa prius quàm bonū sufficienter cognoscitūrum. Scitè augurāris. Perfectè igitur disposita nobis, erit Respub. si custos horum peritus eam reget. Ita necesse est. Verùm tu, ô Socrates, utrum bonum ipsum dicis esse scientiam, uel uoluptatem, uel aliquid aliud præter hæc? Iam diu cōpertum habeo Adimante, tibi non satis fore, si sententias aliorū retulero. Haud certè mihi uidetur, ô Socrates, opiniones aliorum referre posse, suam uerò nequaquam, hominem præsertim tam diu in his uersatum. An decere putas, ut de ijs quæ quis ignorat, quasi sciens loquatur? Nullo modo quasi sciens, sed ut quasi ex opinione proferens quæ sentit. An nescis, opiniones omnes absq; scientia turpes esse, quarum quæ optimę, cæcę sunt? an eos qui absq; intelligentia uerum aliquid opinantur, differre ab illis existimas, qui licet cæci sint, recto tamē tramite gradiuntur? Nihilo. Vis ergo turpia cōtemplari, cæcaq; & obliqua, cū liceat ex alijs perspicua pulchraq; audire? Age per Iouem, Socrates, ne desistas, cum ad calcem ferè perueneris. Sufficiet enim nobis, si, quēadmodum de iusticia temperantiaq; & alijs tractauisti, ita quoq; de bono tractaueris. Mihi quoq;, ô amice, ualde sufficiet. At uereor, ne uires deficiant: atq; ego suprà uires ausus, ineptior appaream, risumq; audientibus moueam. Cæterùm ô uiri felices, quid ipsum bonum sit, in præsentia dimittamus. Est enim, ut mihi uidetur, præsentē supra contemplationem. Quis autem appareat boni ipsius filius, quisq; simillimus ei sit, si uobis placet, dicam: sin minus, dimittam. Dic age, patrem uerò postea declarabis. Vellem equidē, ut & ipse explicare possem, & uos percipere, non solum boni partus, ut nunc, sed ipsum bonum. Hunc ergo ad præsens partum boni ipsius, filiumq; accipite. Cauete tamē, ne inscius ipse uos decipiam, uanā reddens de filio rationē. Cauebimus pro uiribus. Dic modò. Dicam equidem, si prius repetamus inuicem, confirmemusq; quæ suprà memorata sunt, & aliàs sæpenumero dicta. Quę nam? Multa quidem pulchra, et multa bona, et singula similiter esse dicimus, & oratione distinguimus. Dicimus profectò. Atqui & ipsum pulchrum & ipsum bonū inducimus, ac similiter in omnibus quæ ut plura ponebamus, unum rursus ponimus secundū ideam unam cuiusq;, tanquam una sit: et quod unumquodque est, appellamus. Vera hæc sunt. Et hæc quidem uideri dicimus, nō autem intelligi: ideas autem intelligi, nō uideri. Sic est omnino. Qua potentia è multis quas habemus, quæ patēt oculis cernimus? Visu. Nónne & auditu quæ audiunt, & alijs sensibus omnia quę sentiunt? Quid ni? Nunquid animaduertisti, quàm perfectam sensuum auctor uim fabricauit ad id quod uidere, & id quod uideri dicimus? Non satis. Sic autem considera. Est'ne auditui atq; uoci alio genere opus, ad hoc ut ille quidē audiat, hæc audiatur? Quo tertio absente, ille non audiet, ista non audietur. Nequaq;. Arbitror equidem, neque alijs multis, ne dicam nulli, tali quodam opus esse. An tu talem aliquam uim reperis? Minimè. An nō aduertis uisus ipsius, & eius quod uisui subiacet, uim, tali aliquo indigere? Quo pacto? Præsente oculis uisu, ipsisq; ad spectandum directis, præsente item colore, nisi adsit & genus tertium, propriè ad hoc natura aptū, neque uisus uidebit quicquam, neq; uideri colores poterunt. Quid'nam id esse dicis? Quod tu lumen uocas. Vera loqueris. Profectò uisibilis ipsius uis, & uidentis potentia, iugo quodā aliarū omniū coniugationū maximè honorādo iunctæ sunt,

sunt, non exigua quadam specie, si modò contemnendum non est lumen. Longè abest ut contemnendum sit. Quem potissimum deorū cœlestium huius causam putas, cuius lumen efficit, ut & uisus noster quàm optimè cernat, & oculis obiecta cernant? Quem tu putas, & alij. nempe de sole interrogas. Ita uerò ad hunc Deum se uisus habet. Quomodo? Visus sol nō est: neque oculus cui inest uisus, sol est. Non certè. Sed ex omnibus sensuum organis id maximè solis particeps. Multum sanè. Nónne & uim quam habet, ex sole infusam seruat? Prorsus. Quinetiam sol uisus nō est. Causa uerò ipsius est, ab eo prospicitur. Sic planè. Hunc me uocare boni filiū dicito, quem ipsum bonum in hac secum genuit comparatione consimilē: ut quemadmodum ipsum in loco intelligibili ad intellectum & ea quæ intelliguntur, se habet: sic & iste in loco uisibili ad uisum se habeat, & ad ea quę uidentur. Quo pacto? latius explica. Oculi porrò, quoties non ad ea uertuntur, quorum colores diurnus fulgor illuminat, ostenditq́ue, sed ad illa quæ nocturnis radijs attinguntur, cæcutiunt, hallucinanturq́ue, & prope cæci esse uidentur, ac si purus in illis uisus non insit. Sic accidit. Quotiens uerò ad ea quæ sol illustrat, perspicuè cernunt, ijsdemq́ue ipsis in oculis esse uisus apparet. Est ita. Sic & de animo cogita. Quando enim illi inhæret, in quo ueritas et ipsum ens emicat, intelligit illud, cognoscitq́ue, & intellectum habere uidetur. Sed cum ad id fertur, quod tenebris est permixtū, quod uidelicet generat atque corrumpitur, eius obtunditur acies, opinionesq́ue uersat uarias, ac mentis expers esse uidetur. Sic apparet. Illud igitur quod ueritatem illis quæ intelliguntur præbet, & intelligenti uim ad intelligēdum porrigit, boni ideam esse dicito, scientię et ueritatis quæ per intellectum percipitur causam. Cum uerò adeò pulchra duo hæc sint, cognitio scilicet ac ueritas, si bonum ipsum aliud quàm ista & pulchrius æstimabis, rectè putabis. Et quemadmodum lumen ac uisum solis speciem quandam habere existimare decet, solem uerò ipsum esse nequaquam: ita cognitionem & ueritatem, boni ipsius speciem habere quidem aliquam, esse uerò ipsum minimè. Augustior enim est ipsius boni maiestas.

Decus narras inęstimabile, si scientiam quidē & ueritatē præbet ipsum, uerùm decore hæc superat. Neque enim uoluptatem ipsum esse dicis. Bona uerba quæso. Atque ita planius eius imaginem contemplare. Quomodo? Solem quidem dices, ut arbitror, ijs quæ uidentur non modò uidendi præbere potentiā, uerùm etiam generationem, augmentum, nutritionem, cum ipse tamen generatio non sit. Quo enim pacto? Atque ita dicas bonum ijs quæ cognoscuntur dare, non modò ut cognoscantur, sed esse insuper & essentiam elargiri, cum ipsum essentia non sit, sed supra essentiam, dignitate ipsam & potentia superans. Aedepol mirabilis hic excessus. Huius certè tu causa es, qui me cōpulisti ad ea quæ mihi de hoc uiderentur aperienda. Nequedum etiam desistas, sed absolue præcipuè solis cōparationem, si quid est prętermissum.

Atqui multa prætermittuntur. Ne minimū quid omittas. Reor equidē multa præterea superfore: ueruntamē quotcunq́ue ad præsens referri poterūt, haud spontè dimittā. Ita precor. Cogita duo hæc esse, & unū quidē in genere locoq́ue intelligibili regnare, alterū in uisibili, ne sub cœlo (inquiēs) uidear te circa nomē decipere. Attamē species duas habes, uisibile scilicet, & ipsum intelligibile. Habeo equidē. Perinde ac si acceperis lineam in duas æquales sectam portiones, & utranque rursus partē simili ratione diuiseris: ita nunc oblatū tibi genus unum uisibile, intelligibile alterū, in duo rursus secūdum claritatē & obscuritatē utrunque distingue. In genere quippe uisibilē portio una imagines cōtinebit. Voco aūt imagines, primùm umbras: deinde simulacra quæ in aquis apparēt, & quę in corporibus densis, lenibus, tersis ac

lis ac lucidis, & omne quodcunq; tale, si tenes. Teneo. Portio uero altera comprehendet ea quorum hæ similitudines quędam sunt, animalia uidelicet quę apud nos sunt, & plantas, & uniuersum fabricæ genus. Sic pono. Anuis præterea secundum uerum & non uerum dicere genus hoc distinguitur: ut quemadmodum se habet quod opinione fingitur, ad id quod scientia noscitur, ita simulacrum ad illud cuius est simile? Valde? Considera iterum intelligibilis sectionem. Quo pacto? Vnum quidem ipsius genus est, quod inquirit animus, his utens uelut imaginibus, quæ prius diuisa sunt: compulsus ex suppositionibus non ad principium, sed ad finem procedere. Alterū uerò, quod excogitat animus, ex suppositione procedens ad principium nō suppositum, nec imaginibus utens, quibus ad genus alterum uti solemus, sed in ipsis speciebus per ipsas progrediens. Haud satis quæ dicis intelligo. At enim facilius per hæc intelliges. Arbitror te nō latere, quod qui circa geometriā & arithmeticam & cætera generis eius uersantur, supponunt quidem par & impar, & figuras ac tres species angulorū & horum similia in argumentationibus singulis, & his positis tanquam cuilibet manifestis, rationem de his nullam exigendam putant. Atque hinc incipientes, ad alia iam descendunt, & ad illud tandem perueniunt quod quęrebant. Prorsus id noui. Enimuero & illud nosti, quòd & supradictis speciebus utuntur, deq; illis uerba faciunt: quanquam non ad eas mentem dirigūt, sed ad illa potius, quorum ista simulacra sunt, ad quadragulum ipsum uidelicet, ipsumq; diametrum, nō ad ea quæ scribunt. Et in alijs eodem modo, speciebus quidem hisce quas describunt, figurantq;, quarum & umbræ sunt, & in aquis imagines, tanquam imaginibus quibusdam utuntur, affectantes illa conspicere, quæ non aliter quàm cogitatione percipiuntur. Vera loqueris. Hanc generis intelligibilis speciem suprà dicebam, ad cuius inuestigationem cogi animum suppositionibus uti, ad principium non euntem, ut pote qui suprà suppositiones ascēdere nequeat, utaturq; imaginibus his quæ ex inferioribus sunt ad superiorum similitudinem comparatæ, atque ita opinione cōceptę distinctęq; sunt, quasi ad illa perspicuè conferant. Intelligo equidem dici abs te, quod in geometria & alijs eius germanis artibus fieri solet. Alteram intelligibilis partē ad illud referre me scito, quod ipsa ratio per demōstrandi facultatem attingit, dum suppositiones non pro principijs habet, sed reuera pro suppositionibus accipit, tanquam gradibus quibusdam & adminiculis utens: quousq; ad illud quod non supponitur, ad principium uidelicet ueniēs uniuersi, ipsum attingat, & rursus adhæreat illis quæ principio hærent: atque ita ad finem usq; perueniat, nullo prorsus sensibili utens, sed ipsis speciebus, per ipsas, atque ad ipsas progrediens. Intelligo tandem, quanquam minimè sufficienter, ut cuperem. Videris enim mihi magnum opus proponere. Moliris quidē differere, partem illam uerè existentis & intelligibilis generis, quā per demonstrationis scientiam speculamur, illa esse clariorem, quam ex illis scientijs quæ artes appellantur inuestigamus. in quibus pro principijs suppositiones habentur, & qui istā considerant, cogitatione coguntur, nō sensibus intueri. Quoniam uerò ad principium non ascendunt, sed ex suppositionibus indagant, intellectum circa hęc habere tibi nequaquam uidentur, licet cum principio intelligibilia sint. Videris autem mihi geometricarum & similium rerum habitum, cogitationem potius appellare quàm intellectum: quasi cogitatio inter opinionē & intellectum medium teneat. Sufficienter admodum percepisti. Atque ad has quatuor proportiones, quatuor itidem animi affectiones accipe. Intelligentiam quidem ad supremum ipsum, ad secundum cogitationem, ad tertium fidem, ad postremum uerò assimilationē siue imaginationem.

Hæc præterea inuicem alternæ ratione proportionis ordina, ut ita hæc claritatem participent, quemadmodum illa circa quæ sunt, ueritatem. Intelligo equidem, & quod dicis, admitto: & ut iubes, ita dispono.

SEBASTIANI FOXII IN LIBRVM VI.
Annotationes.

Qvales philosophi sint.) *Quæ superiori libro de philosopho principe dicta sunt, cū hoc colligantur, ut melius sibi constet disputatio. Neq; per alia multa.) Quemadmodum ciuitatem suprà quatuor uirtutibus ornauit, ita eius rectores eisdem ornatos esse debere dicit, quādo alter alteri similis esse debeat. Postquā philosophi.) Assumit ex priori libro, philosophum esse eum, quem descripserit: nunc docere uult, huiusmodi philosophum ciuitati suæ præficiendum. Itaq; ut philosophi munus esse dixit, ideam contēplari: id est, res à materia separatas: ita principis fore ait, in legibus tuendis supremam rationem, atq; diuinā tanquam ideā sequi, huiúsq; in animo exemplar, id est, imaginē expressam habere. ideo enim supra leges Princeps existere dicitur, q. supremæ rationis, à qua singulæ leges deriuantur, munus sustineat. Num istos potius ad custodiam.) Id est, multo certè commodius est, huiusmodi principes philosophos, ueritatisq; amatores reip. præficere, quàm alios quosuis. Hoc primum inter nos.) Quando reip. rector philosophus dicitur esse debere, philosophi munus describit, idemq; cum Principis munere confert. Tria aūt philosophi ueri officia constituit quæ eadem congruūt principibus. Primum, ut ueritatē semper intueatur, & cogitet: secundum, ut eam amet: tertium, ut falsum omne fugiat, & execretur, ne professionis nomini, id est philosophiæ, quæ studium est sapientiæ, repugnet. Quē uerò ardenter ad certū quiddam.) Id est, qui uni tantū se rei addicit, alia negligentius facere solet, quòd multa simul mens hominis agere nequeat: quia uni tantum rei natura sua est addicta. Temperatus itaq; uir.) Omnes illas quatuor uirtutes, quas reip. suæ inscripsit, philosopho huic principi tribuit: ut fortitudinem, qua res arduas aggrediatur atq; sustineat: temperantiam, qua cuncta sapientiæ studio postponat: ipsam quoq; sapientiam ac prudentiam, quæ in ueritate quærenda cernitur: iustitiam demum, eo quòd reliquas habeat uirtutes, à quibus hæc nequeat seiungi. Quin etiam cum discernere.) Non omnia studio comparanda sunt, sed aliqua etiam naturæ beneficia principi esse ingenita debent: ut memoria, quæ ad prudentiam pariendam est aptissima: & trāquilla, pacatáq; animi cogitatio, ad ueritatem sine affectu quærendam. Vtrunq; igitur in philosopho principe Plato spectari uult. At uerò sic afficiuntur.) More Socratis etsi ab alijs improbasti, laudat hic Adimantus, quasi illius industriam & acumen in ueritate inquirenda admiratus. At uerò ad hæc nostra.) Aliorum nomine obiectione quandā Adimantus idem opponit Socraticæ sentētiæ, quæ talis est. Laudare quidē tuum in inquirenda ueritate studiū aliqui possunt: id tamen improbabūt, quòd philosophos uelis reip. præficere, cum nō uideas eos plerunq; reip. ineptos esse. huiusmodi quoq; obiectionē Callicles in Gorgia opponit Socrati. Censes, inquā, illos.) Obiectionem superiorem diluere uult Socrates: in primis autem uulgarem quandam sententiam de philosophorum præstātia præponit, qua cōfirmet, non esse reip. ineptos philosophos, quod deinceps probare studet. Per imaginē quandam.) Id est, similiū diuersorum inductione id à me docebitur. Vsq; adeò durū est.) Digreditur ad causas reddendas, cur philosophi à uulgo pragmaticorum hominū irrideantur: ut hinc colligat, falso uerum philosophum reip. ineptum iudicari. Finge animo quendam.) Similitudine gubernatoris nauis alicuius docet, ineptū fore reip. rectorem eum, qui contemplationi nimiū intentus, actionem rerum necessariarum prætermittat, aut imperitis relinquat hominib. Mandragora, aut mero.) Id est, altissimo sopore dormienti. hæc enim duo soporem inducūt, diuersas ob causas: mādragora propter frigiditatem, uinum propter humiditatem. Haudquaquā opus esse.) Similitudinē accommodat quæstioni, eodem modo inquiens uulgus putare philosophos obdormiscere, nimiæ contēplationi intentos, publica uerò negotia omittentes: cum ipsum potius stertat, nec illorū uti opera sciat. Adijcias & hoc præterea.) Id est, causa huius culpæ, quæ in philosophos configitur, in ipsum hominum uulgus reijcienda est, qui uel illos non uocent orentq; ad reip. munia: uel eis sese nolint accommodare. relictis ineptijs. Qui dicunt inutiles.) Id est, putare philosophos reip. inutiles, falsum & inuidiosum est, cū nulli melius remp. administrare possint. Ob has igitur causas.) Hæc conclusio superioris sermonis est, causas, cur & philosophia & philosophi malè audiant uulgò, exponēs. Qua de re lege Athenæū contra philosophos multa disserentem, defendentem uerò Ciceronē lib. 5. Tusc. Pergamus ad hæc.) Transit ad causas reddendas, cur ipsimet philosophi aliquando reprehensionis occasionē præbeant, ne omnem culpā in uulgus reijciat: in primis autem ex superiori sermone, qualis sit uerus philosophus, repetit, ut forma ipsa perfecti proposita tanquā regula, uitium facilius noscatur. siquidē contraria cōparatione contrariorū internoscuntur. At hic ullo modo.) Argumenti conclusio est, eáq; huiusmodi. Verus philosophus, qui ueritatem quærit, amat, memoriáq; tenet perpetuò: ergo nunquā is falsa confectabitur, semperq; potius iustus atque honestus erit:*

cum ex ueritate, quæ in mente est, bonitas quæ est in uoluntate, nascatur: sicut ex illius errore, huius uitium. Cum uerò tu.) Causam affert, cur philosophi munus suprà descriptū, hic iterum inculcet: doceatq́; facere se id, ut obiectioni Adimāti respōdeat. Quærendum est.) Nūc ad ipsam obiectionē diluendam accedit, dū philosophorū etiam uitij causas exquirit. in quo duas huius rei causas ponit: unā, ingeniū ipsum cuiusq; hominis, cum alij ad aliud uitium procliuiores sint, ex quo fit, ut hominis uitiū, scientiæ adscribatur: alterā, institutionē, opinionesq́; ab hominibus de rebus temerè susceptas. quæ duo efficiunt, ut rariores sint ueri philosophi. Pauci orū uide.) Id est, uide quàm multa ueris philosophis obsient impedimenta. Præterea quæcunq;.) Hæc est secūda philosophorū corruptelæ causa, quòd falsas de rebus opiniones suscipiant, dum falsa bona in ueris ducunt. Hinc tota Stoicorū, Epictetiq́; ratio de bonorū generibus ortū habet. Vniuersum ipsum.) Qua ratione ex præpostera æstimatione rerū, iudicioq́; corrupto uitiū philosophorū oriatur, docet. In primis tamē statuit, nihil natura sua uitiosum esse, nisi abusu rerū bonarū: cum bono solum uitium repugnet non aliquid indifferens, siquidē omniū rerum aliæ bonæ, aliæ malæ, aliæ indifferentes sunt. Si ipsa igitur natura.) Conclusio est, id est, hinc sequitur, ait, naturam quidem ipsam uitiosam nō esse, sed prauam æstimationē, ac disciplinam solum, quæ rebus abutatur bonis. Nisi fortè deorū.) Præclara Platonis sentētia, neminē rectè facere sine Dei ope, dicētis & hic, & alijs in locis. An tu quoq.) Exemplum item uitiosum ad prauā institutionē pertinet: ideo à Platone hoc inter causas deprauationis refertur, proposita sophistarum similitudine, in qua ad Græciæ morē alludit. Vnde & eadem.) Id est, inter homines eisdē de rebus discrepantes, suamq́; sententiam singulos, reliquis improbatis, confirmātes, perperam illi faciunt, quum prauas hoc modo opiniones gignant exēplo hoc uitioso. Nondū tamen uehementissimam.) Exēplo sophistarū docet, nō modò eorundem de rerū bonitate, uitioue inter homines esse contentiones: sed unumquemq; item damnare & persequi cōtrà sentientes. Tacitè hic ineptos reip. gubernatores notat, qui opinione plerumq; ducantur, Sophistarū exemplo. Ex hac cōstitutione.) Id est, ex his opinionibus magnū erit euadere quenquam intaminatū sordibus uulgi. Istud prætereà.) Aliud ineptiæ signū in ijs ostendit, qui uulgi tanquā belluæ cuiusdā mores notare studeāt, quasi uerò magna sit eius rei cognitio: irrideantq́; philosophos à uulgo abhorrētes, dum nomē sibi scientiæ uendicāt, ob notitiā illam uulgarium opinionū. Nominet uerò singula.) Id est, sequatur uulgi opinionē in iudicandis bonis & malis, nec aliquā certam rationem sententiāq́; habeat. An differre tibi.) Accōmodat instituto similitudinē: hoc est, docet, sapientiā non esse, priuatos mores hominum, ingeniaq́; (quod est empiricorū) nosse, sed aliquid certū habere animo comprehensum. Hæc omnia.) Hactenus, quid uulgus sapientiā iudicet, ostendit. nūc philosophum aut illud contempturū, ideoq́; ab eodem uulgo irrideri. Ex his ergo.) Cōclusio est, discrimē ueri philosophi à uulgari ostendēs, quòd ille certam rationē, hic opiniones quasdam leues sequatur. Quid hominem talem arbitraris.) Aliam causam corruptionis philosophorū affert, à natura quorundā desumptam: id est, q. homines natura clari, si philosophari incipiāt, moxq́; ad remp. accedāt, ambitioni se cōtinuò dent: quo fit, ut eorū uitiū dehonestet professionē. quod contrà faceret qui bene institutus esset. Ex quo intelligitur, duplicem esse causam, cur aliqui sint uitiosi philosophi. unam, q. natura corrupta sunt. alteram, q. prauam, institutionē habuerint. Quib. ita propositis, mox philosophi ueri munus, partesq́; copiosè ac dilucidè describūtur. Dæmonis autē nostri sig.) Id est, de nostra natura, propensioneq́;, non est cur aliquod proferamus exemplū: uel quia id fortè prohibet dæmon ipse, uel ne de nobis quid insolētius dicamus. De Socratis dæmonio sat multa sunt alio loco dicta. Horum uerò paucorū.) Alia itē causa, cur philosophia male audiat, est, quòd plerīq; dum philosophari incipiunt, negotijs neglectis totos se otio dedūt. Hoc ergo uitiū philosophantibus quoq; Plato adscribit, q. otio suo & quieti reip. salutē postponant: neq; enim semper latendū est, ut Plutarchus etiam in libro huius tituli scribit, & lib. 1. Offic. Cic. Sed earū quæ.) Postquam philosophiā à calumnijs inuidorū liberauit Plato, ad reip. rationem tradendam redit: incipitq́; docere, quomodo huic reip. à se descriptæ philosophus præesse dicatur: in quo & illam optimā esse, ideoq́; philosophū ei aptissimum fore statuit. Non enim hoc abs te.) id est, Nolo diuersam aliā remp. à superiori describere, sed tantū docere, illi nostræ reip. eum philosophū principē conuenire, nullo aūt pacto ineptum esse, ut arbitraris. Nā quod sequitur.) Docere iam uult, nihil philosopho adscriptum esse, quod ipsum reip. huic nequeat cōgruere. Equidē hoc tempore.) Obiter præposteram philosophandi rationē atq; ordinem reprehendit, ne quis putet reip. statim fore se aptū, q. philosophetur. Ait enim, tū homines studijs se dedere, cum actioni maximè incūbere deberent: id est, in senectute: negligere uerò illa tum, cū ad informandā uitam omnino erant amplectēda, id est in iuuentute. Difficillimam uerò.) Id est, dialecticam, quæ metaphysicæ pars est, eaq́; perdifficilis, etiam contemnunt. Nam iuuenes ac.) id est, Contrà fieri deberet, aliūq; ordinē studia requirūt: ut prima in ætate, studia ad uitæ informationē pertinentia capiantur: insequēti uerò, quæ imbecillior est, leuiora alia. ordinem studiorū tum hic, tum in sequentib. libris sparsim Plato præscribit. In qua anima.) Non perficitur per se anima, q. crescat, minuatur ue: sed cōmodiùs uiribus suis utitur, corpore magis firmato. Sortem su-

sce-

scepturi.) Præmia à dijs dari migrantibus ex hac uita hominibus, multis in locis Plato inquit. Ne mutuæ inter me.) Ad disputationẽ priori & secũdo libro habitã alludit. Imò uerò ad nullum.) Cum uitæ instituendæ ordinẽ ad finem ultimum rerũ omnium dirigendũ dixerit, ut curã immortalitatis homines habeãt, reprehendit eos qui præsentibus solum rebus intẽti, futura negligãt. cuius rei causam dicit esse, quòd cum mentem à sensibus nõ abstrahãt, nihil uerum putent, nisi quod cernant. Quamobrẽ cum hæc ipsi.) Enumerat uitia ferè pleraq; cæterarũ rerum publicarũ, cumq; his philosophi dotes confert, ut maiori cum ratione doceat reip. suæ philosophũ præposuisse: tametsi is nusquã reperiatur, aut rarò admodũ, ut apud barbaros Persas & Indos, ubi & Magi & Gymnosophistæ magno erant in precio. Hæc Musa præsit.) Musam uidetur hic appellare philosophũ hunc, præclaris artib. imbutum. Difficilia tamẽ hæc.) Non obstare raritatem huiusmodi philosophi, quo minus quæratur atq; fingatur, inquit: cum uel præclara rara sint: & uerum inquirentibus, ipsa perfectissima forma rei sit proponenda: cumq; uulgus persuaderi facile possit, hũc sibi præfectum principem talem esse, si qualis idẽ sit, doceatur. Quam ob causam mult.) Cum uulgus persuaderi facilè possit, quis uerè philosophus, aut quis nõ sit, morem nunc uulgi opinione tantũ iudicantis describit. q, cum ueritatem intueri, auocata à sensibus mente, nequeat, philosophiã irrideat, atq; philosophos. An putas fieri.) id est, Contra fiet, si depositis erroribus, hunc à nobis propositũ philosophum amet, ut eum imitetur & laudet, eum affectum iudicio pleriq; anteponãt: neq; enim uulgus perfectam rei alicuius formam intueri potest, aut agnoscere, æquè ac philosophus. Quare cũ.) id est, Quia si decorũ ipsum, seu pulchrũ, ideãq; pulchri, cuius participatione reliqua pulchra sunt, tale est, quale suprà diximus: ac philosophus uerus, qui ea cõtempletur, talis. in uera re tantũ, nõ in multitudine est cõtẽplatio huiusmodi: quo fit, ut in sensus cadẽtia errorem afferant. Quæ illic intuetur.) Id est, in ipso pulchro, hoc est, perfectiss. cuiusq, rei forma quasi regula, philosophus intuetur quid in quoq; sit agendũ, tanquam is qui communẽ aliquam, & supremã rationẽ sequatur: uulgus aũt singula in sensum cadentia duntaxat cõsectatur. Ita cõcludit, uulgus nõ improbaturũ hunc philosophũ, si sciat eum, tanquam pictorẽ in pingendo imaginẽ, sic exemplar aliquod in agendo ipsum sequi, ut nunquã erret. quamobrẽ tria etiã præcepta ad horum pictorum, id est philosophorũ munus pertinentia, referri in ijs: Cum pictores hi.) Primũ officiũ est, à uitijs purgare ciuitatẽ: quòd nisi ijs euulsis, nihil induci honestũ possit: & potissima humanæ uitæ emendandæ ratio sit, ut uitia purgẽtur: secundũ, ut talem reddat ciuitatem, qualẽ nos suprà finximus, cum ex uirtutis ratio sit exquisita: tertium, ut in administranda ciuitate & supremam illã rationem seu regulã, & humanæ uitæ usum spectet, quo possit cõmunia singulis accommodare, sicq; optimè rẽp. gerere. qui enim aliquam non sequitur communẽ rationem in moderãda ciuitate, sed hominũ mores, is empiricus solum est: qui etiam cõmunia singulis non accõmodat, inutilem in eo operã ponit. Deo in amore coniunxer.) Finis instituendæ reip. à philosopho in eo cõstituatur, ut ciues suos ad Dei amorẽ erigat, id est, ad fœlicitatẽ optandã: quæ, ut Plotinus docet, in coniũctione mentis nostræ cũ Deo sita est. Vtrũ eorũ.) Enumeratis philosophi partib. omnibus, & earũ cõtrarijs, nihil obstaturũ cõcludit, quominus idẽ reip. præfici possit. partes aũt eædẽ suprà sunt iã positæ. De hoc.) Obiter quæstionẽ hãc attingit Plato, ac diluit: num Principem hunc philosophũ nasci ex parentibus similibus, an eligi sit melius concluditq;, nasci eũ longè fore cõmodius. At uerò unus.) id est. si talis ergo sit princeps, qualẽ finximus, & eũ subditi amẽt, & cõplectantur, nihil obstabit, quo minus reip. præfici possit. Postquã finem uix.) Suprà docuit Plato, solum philosophũ reip. rectorẽ esse debere. nec obstare quicquam, quo minus esset. Nunc ad eius uitam, moresq; describẽdos transit, ut qualẽ finxerit philosophũ, constet: & eodẽ modo illum instituat, quo suprà reliquos ciues. Neq; enim æquũ est, ciuibus optimè institutis, similẽ principem nõ præfici. Quòd custodes.) Nomen custodis latè hic sumitur, pro ipso etiã principe, qui suo debeat cõsilio remp. regere, & custodire: sicuti eius custodes, robore atque armis. Animaduerte.) Raritatem huiusmodi principũ, quos quærat, ostẽdit: tum quod hominum quorumq; mores ingeniaq; id assequi nequeãt: tum q, institutio cunctorũ eadem non sit: in principe autem requirendũ sit utrunq;. Habitus aũt ipsi.) Habitus ad aliquod semper obiectũ pertinet: nec enim est habitus, nisi unius rei tantũ. quo fit, ut qui unam ad rem sit aptus, interdum ad alias esse non possit. Virorumq; optima.) id est, Principẽ aũt & robore & consilio præstantẽ requirimus, quando necessarium in eo utrũq; est. Examinare ig.) Id est, quanquam rarò talis princeps inueniatur, tamẽ faciendũ est periculum multis modis, ut talis, nec ne, sit, noscatur. Idem præcipitur lib. 3. ut Iudex bonus quæratur & lib. 1. de Legib. Addimus præt.) Proposita difficultate inueniendi huius principis, tum ad enumerãdas artes, quas idẽ discat, progreditur: quando ipsum suprà scietia, rerũq; agendarũ dexteritate præstaturũ dixit. Ita certe.) Inquisiturus maximã illã scientiã, quam princeps habiturus sit, repetit nunc quædã, quæ antea etiã attigit, de causis, quamobrẽ de uirtute modò rudiuter differuerit, cum quatuor principi uirtutes adscripserit initio huius libri, ut eadem accuratius inculcãda esse doceat: quo possit princeps ille, qui futurus est regula totius ciuitatis perfecta, cõmodius describi. siquidẽ regula omnis perfecta suis ex partib. futura est, ac princeps nor-

ma quedã est ciuitatis. Nihil enim.) Axioma est, cui ratio innititur suprà posita: Quicquid, inquit, alterius est regula, perfectum in suo genere esse debet, nullaq; ex parte deficiẽs, cũ ad idipsum reliqua examinentur. Sed & ipse interr.) Iam igitur maximam illam scientiã tanquam subiectũ philosophiæ, quã princeps sit consectaturus, inquirit Plato: aitq; ideã esse, cuius participatione cũcta existãt: eamq; tanti esse momenti ad omnia noscenda, ut nihil perfectè sine ipsa intelligi possit. quanquã & eam nosse, sit difficillimũ, eo q̃ mentis agitatione tantum noscatur. Sed qualis'nam ea sit idea, & quomodo noscenda, ostenditur deinceps, cum ait: Sin uerò ipsam nesc.) id est, Ne putes me futile hoc nomen ideæ crebrò usurpare, nec quomodo ea noscenda sit, aut quid præstet, dicere: ita habeto, tanti esse momenti eius notitiã, ut singularia sine illa rectè intelligi nequeãt, sicut nec ipsa sine singularũ cognitione multum confert. Hic Plato docet, & uniuersalia singularibus adhibẽda esse, et singularia uniuersis, ut perfecta rei teneatur sciẽtia. Quin etiã hoc.) Quàm futile sit, nosse cõmunia, nisi ad singula referantur, ostẽdit exemplo eorũ qui se scientiã bonumq; nosse putant: sed quæ'nam, & qualis scientia sit, quod ue bonum, ignorant. siquidem alij uoluptatẽ, alij diuitias, alij aliud in bonis ducũt: id quod ex ignoratione singulariũ bonorum prouenit. Quamobrẽ in his omnib. Plato, id quod alijs in locis inquit, notitiam quidem communiũ notionum esse cunctis eandem, quòd omnes æquè noscant bona amplectenda, mala fugienda, aliaq; huius generis: singularib. uerò illa non accõmodare, cum alius hoc, alius illud bonum putet. quã ob causam philosophũ hunc principem uult utrunq; nosse. Verùm ô Socrates.) Quando maxima scientiæ pars in boni ueriq; notitia uersatur, omissis aliorũ hac de re sententijs, ad boni ueri inquisitionẽ accedit: quãdo aliorũ sententias nosse, aut refellere, longũ sit, & inutile. Cæterùm ô uiri fœl.) Cum ad boni inquisitionem inuitetur Plato, eiusq; rei magnã esse difficultatẽ uideat, petit ab auditoribus, ut de filio boni liceat nunc agere, postea de bono ipso commodius acturus. Quã in re disputationis ordinẽ cõsidera, à Platone seruatum. quoniam enim causæ à nobis per effectus noscũtur, primæ atq; intelligibiles præsertim, de filij boni natura acturũ se ait in primis, q̃ isto modo ad boni fontem citius peruenire possit. Dicam equidem, si.) Præparat se ad inquisitionẽ boni Socrates, repetitis ex superiori disputatione quibusdã huc pertinẽtibus: hoc est, docet iterũ inductione, unã esse cuiusq; rei formam perfectã, cuius participatione multa dicantur. quæq; mente comprehẽdatur solum, reliqua uerò sensu dũtaxat. Qua potẽtia è uul.) id est, Cum huius ideæ imaginem in animo habeamus, eius adiumento cuncta cognoscimus. quia ab illis notionibus mẽti nostræ insitis, deuenimus ad cognitionẽ singulariũ, simulatq; obiecta sensibus sunt oblata, quæ illas notiones excitẽt. Animaduerte hic discrimen Platonis ab Aristotele lib. 1. Post. Analyt. de scientiæ nostræ initio. ille enim putat, notiones rerũ communes nobiscũ nasci participatione quadã ideæ diuinæ, ad cuius similitudinẽ sumus facti: hic uerò easdẽ ex multis sensuũ cõprehensionibus fieri, cum animus tantũ potentiã ad eas capiẽdas habeat. Non'ne & aud.) Id est, obiecta sensuũ aliqua potẽtia cõprehendũtur. Nunquid anim.) Obiectũ appellat hic, id quod cernatur: id aũt quod cernat, potentiã ipsam uidendi, seu sentiendi. Hic aũt Socrates Adimantum docere uult, sensus omnes egere aliquo medio ad obiectũ capiendũ: id quod in singulis docet sensibus. qua in re cum Aristotele planè cõgruit, dũ putat, tria esse ad sensationẽ omnem necessaria, potentiã, obiectũ, medium: ita ut potẽtia sit instar materiæ, obiectũ ut forma, mediũ ut instrumentũ actionis ab animo editæ. De uisione, eiusq; forma & ui, plura ex Timæo nosces. Hunc me uoc.) Similitudine hactenus quadã usus est, ut filij boni naturã ostẽderet. docuit enim, cùm in omni sensu requiri obiectũ, & mediũ: tum in aspectu, cuius mediũ esset lux, obiectũ color, & lucem quidẽ à sole oriri, uisionẽq; efficere tanquam causam instrumentariã. nũc docet, eodẽ modo boni filiũ à patre nasci, quo lux aspectũ omnẽ illustrãs à sole proficiscatur. Atqui hæc si ad CHRISTVM accõmodari possint, pulcherrimè illi congruerẽt. neque enim alia ratione melius filij processũ à patre, quàm ista, explicare possumus. Oculi porrò.) Seruit ista similitudine aspectus, quomodo à patre tanq̃ sole, sic filius quasi lux oriatur, demõstrare uult. ut enim, eodẽ modo animũ nostrũ egere illustratione diuina ad bonũ ipsum noscendũ, quo egeãt oculi, ut obiecta illustrẽtur solis luce, ut eadẽ capere possint. Nec uerò hic putes Platonẽ dicere, nostras mentes à Deo illustrari debere, ut bonũ intelligãt. sed eas ad ideã sibi impressam sese cõuertere, ut ideam separatam, in Deoq; positã cernãt. ideoq; ait: Quando enim.) Id est, quãdo animus noster ideã ipsam boni sibi insitã intuetur, bonũ separatũ intelligit: cum intelligibilia, quemadmodũ Peripatetici dicũt, noscere animus nequeat, nisi se prius intueatur. id est, consideret, quicquid à materia separatum est in seipso. idq; ideæ, quã intuetur, adscribat. Sed cũ ad id.) id est, Contrà fiet, si animus idẽ ad res sensiles, quæ tenebris abditæ sunt, sese conuertat: tũc enim nihil perfectè intelliget. Illud igitur.) Conclusio est, ostendens uerã scientiã in ideæ boni notitia sitã esse. Cũ uerò.) Illud ipsum bonũ, in cuius notitia uersari scientiã philosophi dixit, nõ esse ueritatẽ, aut boni notitiã putat, sed ueritatis ipsius obiectũ: quemadmodum sol est lucis initiũ, lux aũt mediũ aspectum. Hinc probare uult, bonũ ipsum ex rebus boni participib. cognosci: deinde illud ipsum primum bonum originẽ esse participatorũ: ideoq; ueritatẽ, et huius cognitionẽ, id est scientiã certam, tanquã participata quedã in illud tendere, ipsa uerò fontẽ bonorũ esse.

esse. Deus nar.) Id est, q; si boni ipsum, seu boni origo præstantior est ipsa ueritate & sciẽtia, res est certè diuina. Animaduerte ueritatẽ, ut Peripatetici docent, in nostra esse mente tantummodo quasi formam insculptã: cognitionẽ uerò, ueluti cõprehensionem illius. utrunq; aũt in aliquod tendit obiectũ, ut in ipsum boni principiũ, id est ideam, cuius cognitio firma ueritas sit. Bona uerba quæso.) Cum boni huius, quod philosophus intueatur, nunc quærat Plato, quid non sit potius, quàm quid sit, ostendit. itaq; suprà negauit, illud esse ueritatem, aut perceptionẽ ueritatis: nunc uoluptatẽ, aut corporeum esse quicquam. rursus negat, quia in natura corporea idem non sit. neq; etiam putat solẽ esse, id est, principium aliquod materiale rerum nascentiũ & crescentium: siquidem sidera cœlumq; tale initium est, ut Peripatetici docent: quæ ipsum quidem reliqua facit bona, eorum tamen ipsum nihil habet simile: neq; talẽ etiam essentiã, quæ dis hæc sit corporea: sed supra essentiam, id est diuinum quoddam æternumq; ens. Cogita duo hæc esse.) Duplex & in Timæo, & hic, ens constituit Plato: unum intellectile & infimum, alterum sensile ac finitum: quod utrunq; in alia rursus entis genera distinguitur. Hæ entis distinctiones hic afferuntur, ut bonum ipsum seu boni principiũ à bonis participatis distinguatur: quando quidẽ ens & bonũ reciprocantur, ut docet idem Aristoteles. Perinde ac si acceperis.) Ens cõfusè acceptũ, in duas formas distinguit Plato: in ens intellectile, ac sensile. atq; hæc duo rursus distinguit, secundum claritatẽ, & obscuritatem: id est, differentia sumpta pro ratione intelligentiæ seu claritatis, & sensus seu obscuritatis. In genere quippe.) Secundi entis, id est, sensilis, seu in sensum cadentis, cuius notitia sit obscura, formam esse ait diffusam per imagines, id est, similitudines, quæ sint in aqua, terra, leui, graui, cæterisq; tam corporibus quàm qualitatibus. Quasi dicat, ens sensile corporeum esse, ut elementa. Portio uerò altera.) Secundi entis, id est, intellectilis, hæc est descriptio, ut quis ipsum ait esse incorporeum, ac primum. cuius participatione alia sint multa, ipsum uerò nullam aliam ob causam. Animaduerte hic Platonem ideales formas in corporibus ponere, ideas uerò in natura intellectili et separata. An uis præterea secundũ.) Superiorẽ entis diuisionẽ, factam in ens intellectile & sensile, explicuit: nunc aliã addit, quæ re ipsa cũ priori eadem est, ratione tamen diuersa: nã ens intellectile, uerè ens appellatur, quòd semper sit idẽ: sensile uerò non ens, quòd inconstantem suam habet essentiã, ut in Timæo docetur etiã. Atq; etiam uerè ens cognosci inquit, facta materiæ abstractione ab omni re corporea: non ens autẽ, nulla eiusmodi abstractione facta. Vide aut: Verum qualem ipsum.) id est, non ens, seu sensile ens, noscitur descẽdendo per ea quæ diuisa sunt, id est per materialia, quæ diuisionis sunt capacia: & in finẽ tendit, nec in principium entis, quòd non considerat causam primam omnis entis, sed entia participata. Hæc est descriptio entis materialis, quod ex sensibus noscitur, nulla ratione habita primi entis, unde emanat omne ens corporeum. Alterum uerò quod.) id est, Secũda entis species, seu ens intellectile sine ullis imaginibus, id est, non spectatis corporeis rebus, quæ simulacra sunt incorporearum, cognoscitur tantum, quòd initium omnis entis per se spectatur progrediendo per hæc corporea ad illud ipsum, facta separatione materiæ semper: nec enim aliter intellectilia nosci possunt. Arbitror te non latère.) Quia distinctionem entis suprà posuit, & qua ratione utrunq; nosceretur, cœpit dicere, quod obscurum uidebatur: similitudine quadam nunc usus explanat, quomodo ens uerum noscatur. Quemadmodum, ait, mathematici statuunt initia quædam demõstrationum, tum definitiones ac hypotheses earum rerum, quæ [illegible] materiæ respectũ habeant, à materia abstrahuntur, solaq; animi cogitatione noscuntur: ita etiam ens uerum noscitur, facta abstractione materiæ omnis. Hanc generis intelligibilis.) Similitudinem nunc superiorem accommodat: quæ illis planè congruit, quæ refert in Timæo Plato, de materiæ noscendæ forma, cum eã ait adulterina ratione cognosci. Ad cogitandam enim materiam, æquè atq; ad noscendum ens intellectile, necesse est, ut mens nostra habens respectum ad res corporeas semper, omnem materiam conetur ab ijs separare, atq; aliquid ultimum, in quo consistat, cogitare: id quod mathematici faciunt, dum hypothesibus, quæ nullam demonstrandi per se uim habent, nisi ex concessu datis, pro firmis usi principijs, demonstrant aliquid certum & firmum: sic enim illi utuntur hypothesibus, ut nos corporearum rerum cõprehensionibus, quæ nullam habent essentiæ certitudinem. Videris enim mihi magnum.) Colligit hic Adimantus, explanatq; Socratis sententiam omnem de notitia entis ueri ac falsi: atq; miratur se, cur sensilium rerum cognitionem, quæ nobis sit apertior, illi anteponat. Hanc aũt dubitationẽ disputatione superiori cõtẽtus Plato nõ tollit, nec nos etiã breuitatis studio tollemus: quãuis hac in parte à Platone dissentiat Aristoteles. Atq; ad has quatuor proportiões.) Entis quadripartitã diuisionẽ fecit Plato. nũc animi uires eiusdẽ partib. singulis respõdentes adijcit, ut unicuiq; proposito obiecto potentiã addat propriã. Sed nos Platonis ipsius præceptũ sequuti, & diuisionẽ entis in suas partes, & animi uires earũ cuiq; respõdentes: quadripartitò diuisa linea subijcimus, hoc modo:

Ens

intellectile | uera | non uerum | sensile

intelligentia | cogitatio | fides | phantasia

ARGUMENTUM IN LIBRUM PLATONIS VII. de Republica.

INceptam superiori libro philosophi descriptionẽ, unà cũ Glaucone persequitur in hoc Plato. itaq; primùm caliginem mentis nostræ infirmitatemq́, scientiæ ostendit, similitudine quadam specus, quẽ initio libri describit. Hinc progressus concludit, philosophum principem uersaturũ in uera certaq́, scientia, quæ firma in mentis comprehensione cõsistat. Huius diuersas enumerat partes, quas à Philosopho ediscí uult, ut arithmeticam, geometriam, astrologiã, musicam, dialecticam, ipsamq; rerũ diuinarũ scientiã, seu sapiẽtiam. quam Aristoteles Metaphysicã nominauit. Quarũ in partiũ unaquaq; quid utile, philosophoq; aptũ sit, docet, explicata singularũ ui atq; forma. Atqui eadẽ & hic Plato, & in Epinomide quærit: quia philosophum hic principem omnibus numeris absolutum, illic sapientem legislatorem describit. Quoniam autem non satis est, artes ediscere, nisi illæ conuenienti etiam ratione ediscantur, ordinem, formam, tempusq; singulis ediscendis aptum describit, eademq́, ad ciuitatis usum accommodat.

PLATONIS DE REPUBLICA
LIBER SEPTIMUS.

POst hæc naturam, inquã, nostrã quod ad eruditionem & ruditatẽ attinet, tali quadã imagine contemplare. Finge animo subterraneũ specus instar domiciliũ, cuius ingressus lõgissimus uersus lumen in antrum totũ pateat. In eo homines nutritos à pueritia, ceruicẽ & crura ita deuinctos, ut & immobiles permanere cogantur, & ad anteriora solũ prospicere, capita uerò uinculis astricta circumagere nequeant. Post tergum autẽ superné ac procul ignis fax suspensa sit, interq; ignem & uinctos homines uia superior paulo, secus quàm paries sit cõstructus exiguus, sicut plerunq; præstigiatorib. septa quædã, super quib. sua miranda demonstrant, coram spectãtib. opponuntur. Esto, inquit. Cogita rursus, homines intra parietẽ ferentes uasa uaria, supra parietem eminẽtia, statuasq; hominũ, & aliorũ animaliũ lapideas & ligneas imagines, modisq; uarijs fabricatas. Atq;, ut cõsentaneũ est, qui hęc circũferunt, partim sileãt, partim loquãtur. Quàm portẽtosa hæc figmẽta sunt. At similes isti nobis sunt. Nã primùm quidẽ putas istos aliud qcquã uel suijpsorũ uel proximorũ hominũ uidere, pręter umbras quæ ab igne in aduersam speluncæ partẽ cadũt? Nihil aliud: quando nunquã in uita mouere capita potuerũt. Quid aũt eorũ quæ circunferuntur, nónne umbras dũtaxat? Nẽpe. Si ergo inuicẽ loqui liceret, nõ'ne umbras rerũ nominib. appellãdas esse, putare eos credamus? Necesse est. Quòd si echo ex aduersa parte carceris resonaret, quoties prætereuntiũ aliquis loqueretur, putas'ne ipsos aliũ quenquã quàm transientiũ umbras loqui existimaturos? Nõ per Iouem. Omnino igitur isti nihil uerum esse, nisi fabricatarũ rerũ umbras, arbitrarentur. Ita prorsus necesse est. Contrà uerò nũc animaduerte, qualis foret eorum à uinculis solutio, ignorãtiæq; curatio. Nempe si quis eorũ solueretur, cogereturq; repẽtè surgere, collũ uertere, ambulare, lumen ipsum aspicere: doleret protinus, nec propter splẽdorem intueri posset illa, quorũ umbras antè cernebat. Huic si quis nugas hactenus spectauisse dicat, nunc aũt reb. ueris esse propinquiorẽ, uerius'q; inspicere, ac prętereuntiũ quẽq; monstrãs, quid sit quæsiuerit, non'ne uacillaturum putas, arbitraturũq; ueriora esse quæ antè cernebat, quàm quæ nũc ostenduntur? Multum. Et si coegerit eum lumẽ aspicere, nónne dolore oculorũ affectũ iri putas? oculosq; ad ea quæ facilè prius uiderat, retorquere, certiora ea existimantem quàm quæ subitò tum offerebãtur? Ita nimirũ. Si uerò quis eundem per aspera atque ardua sursum traheret uiolenter, neq; permitteret quicquam aspicere antequam ad solis lumẽ extraxisset, nónne dolere ipsum, & ægreferre, dum raptaretur, existimas? & cum ad lumen euectus fuerit, oculos splendo-

re

re suffusum hærere, nihil'que ex his posse conspicere quę uera nunc ab hominibus existimantur. Nihil certè subitò. Consuetudine igitur primum opus, si supera inspecturus sit. Vmbras que primùm facilius intuebitur, post hæc in aquis hominum cæterorumq; imagines. Ipsa uerò deinde quę in cœlo sunt, & ipsum cœlum nocte facilius contemplabitur, dum astrorum & lunæ lumen spectabit, quàm si solẽ ipsum die, solisq; fulgorem intueatur. Proculdubio. Atq; ita demũ solem ipsum suspiciet, neq; iam in aquis & aliena in regione simulacra ipsius spectabit, sed ipsum secũdum seipsum in sede propria speculabitur, & qualis sit cognoscere poterit. Necesse est. Animaduertet tandem ipsum esse, qui tempora & annos temperat, qui omnia regit quæ sub cœlo sunt, qui omnium quæ antè ab ipsis uisa sunt, modo quodã est autor. Certum est, huc illum hisce gradibus ascensurum. Quid si habitationem pristinam memoria repetat, & illorum hominum sapientiam atq; uincula? an'non censes eum beatum se loci mutatione existimaturum, illos autem miseraturũ? Et maximè quidem. Præterea si qui honores ibi inuicem exhibebãtur, & laudes, dabanturq; præmia illi qui transeuntia quælibet acutè cerneret, recordareturq; maximè quæ ex illis priora, quæ posteriora, quæ pariter progredi soleant, atq; ex his futura optimè prę-sagiret, hæc'ne desideraturum putas? beatosq; illos qui apud eos honorantur & dominãtur, existimaturum? uel quod ait Homerus malle, in alieno scilicet rure serui alicuius exortis mancipiũ effici, & quidlibet perpeti potius quàm opinionibus istis illudi, & in ea miseria uersari. Arbitror eum quæcũque alia potius quàm uitam eiusmodi electurum. Hic si rursus descẽdat, & sedẽ quam antea nanciscatur, non'ne cum repentè à sole discesserit, tenebris offundetur? Vehemẽter. At si umbras illas discernere oporteat, deq; ipsis disceptare cum illis qui perpetuis uinculis pressi sunt, proferendaq; sententia sit eo ipso in tempore, quo oculi ipsius hallucinãtur, antequam acies expurgetur, quod quidem non breui fiet, an non risum cõcitabit? eiq; ab omnibus dedecori dabitur, quòd postquam sursum ascendit, corruptis reuersus est oculis? diceturq;, nunquam ad supera contendendum esse: & eũ qui soluere tentet, & sursum ducere, si deprehendatur, protinus occidendum? Tota hæc imago, ô amice Glauco, referẽda est ad illa quæ suprà dicta sunt. Carcer quidẽ is, ad eam quæ cernitur oculis, mundi machinam: fax uerò ignis in specu, ad solis potentiam: postremò si ascẽsum ad supera, eorumq; conspectum, ritè ad eum qui intelligibilem regionem tendit, ascensum retuleris, ut ego quidem spero non aberrabis, postquam sententiam meã audire desideras. Deus autem nouit, an uera sit. Quæ igitur mihi apparẽt, huc tendunt. Nempe arbitror in ordine ipso intelligibili, boni ipsius ideam supernam existere, uixq; uideri: si autem uisa fuerit, asserendum, eam omnibus omnium rectorum atq; bonorum causam esse, cum ipsa in loco uisibili lumẽ creauerit, & luminis autorem: in ipso uerò intelligibili regnet ipsa, ueritatemq; & mentem protulerit. Quàm nosse necesse sit omnem, quicunque sana mẽte quicquam uel priuatim uel publicè est acturus. Ita & ipse cogito, utcunq; possum. Age & hoc considera, neq; mireris, quòd hi qui huc descendunt, nolint humana tractare, sed ipsorum mentis acies semper ad supera dirigatur. Probabile quippe id est, si quidem superiorem imaginem sequimur. Probabile sanè. Quid autem hoc? Mirandum putas, si quis à diuinis spectaculis ad humana hæc mala prolapsus, ineptior sit ad agendũ, rideaturq;, præsertim si antè quàm præsentib. tenebris assuescat, dũ adhuc titubat, cogatur uel in iudicijs uel alibi de iusti umbris, aut statuis illis quarũ umbræ hæ sunt, certare, deq; eorum qui iusticiam ipsam nunquã uiderunt, persuasione iudicijsq; differere? Nullo modo mirandũ. Verùm si mentẽ

quis

quis habuerit, recordabitur, quòd duobus modis & duabus ex causis turbari oculi consueuerunt: & cum ex lumine ad umbram descendimus, & cum ex tenebris in lucẽ prodimus: eodemq; modo affici animũ arbitrabitur, quotiens turbatum uiderit, & ad aliquid cernẽdum hebetiorem. Ideoq; haud temerè in risum prorũpet, sed diligenter inquiret, utrum à lucidiori uita descẽdens, nouis tenebris obruatur: uel ab insipientia plurima ad fulgidũ spectaculum surgens, sub corusco nimiũ splendore deficiat. Et huius quidem affectũ probabit, uitãq; eius beatã fore cẽsebit, illius miserebitur: aut si fortè ridere uolet, haud tã ineptè hunc ridebit, quàm cum qui à lumine superno deciderit. Consentaneum. Hæc igitur si uera sunt, ita de his cogitandum est, eruditionem non esse talem qualem aliqui prædicant. pollicẽtur enim animo scientiæ prorsus experti se sciẽtiam tradituros, quasi oculis cæcis uisum. Profitẽtur certè. Præsens autem ratio nobis innuit, primùm uim quæ est in animo cuiuscunq;: deinde instrumentum, quo rem discere quisque potest, perinde ac si oculum impossibile esset aliter quàm unà cum toto corpore ad clarum obiectum ex obscuro conuertere: ita tota mente à generatione usq; ad id quod ens dicitur, circũagere oportere, ut quod clarissimum est, possit speculando transcendere. hoc autem ipsum bonum esse dicimus. Nempe. Ad hoc igitur ipsum eruditio competens, erit facultas quædam animi dirigendi, ut ipsius oculus quàm facillimè & efficacissimè conuertatur. quę huic oculo aciem uisumq; non dabit, sed eum potius cum uisum quidem habeat, neq; tamen rectè conuersus sit, neq; quò decet aspiciat, conuertere omni machinatione contendet. Ita uidetur. Cætera igitur, quæ uirtutes animæ nũcupantur, in hoc uidẽtur uirtutibus corporis similes. Nam cum natura nõ insint, paulatim consuetudine & exercitatione comparari uidentur. Sapientia uerò maximè omniũ diuinioris cuiusdam uirtus existit, quod uim quidem suam nunquam amittit: ab ipsa uerò circunductione utile & cõferens, ac inutile rursus noxiũq; euadit. At nondum animaduertisti, quàm acutè uidet, celeriterq; discernit illorum animula, qui licet mali sint, tamen sapientes habentur, ea ad quæ conuersa est, tanquam aciem habeat nequaquam hebetem, sed prauitati seruire coacta sit? Atque idcirco quo acutius inspicit, eo plura peragit mala. Omnino quidem. Si ab hoc ingenio statim à pueritia amputentur quæ sunt generationis affinia, ceu plumbea pondera, quę comestionibus & huiusmodi uoluptatibus & libidinibus atq; delicijs inhærentia mentis aciem ad inferiora detorquẽt, confestim expeditus eius intuitus, & ad ea quæ uera sunt conuersus, ipse scilicet idem, & in eisdem hominib. tam acutè illa discernet, quàm hæc quibus in præsentia est intentus. Probabile est. Quid istud? Non'ne probabile ac necessarium ex prædictis, neq; rudes homines & ueritatis ignaros rempub. sufficiẽter administrare, neq; eos qui semper in studijs literarum uersati sunt? Propterea quòd illi quidẽ finem sibi certum non proposuerunt in uita, ad quem respicientes oportet omnia agere quæcunq; agãt & priuatim & publicè. Hi autem haud sponte tractabunt ciuilia, existimantes se etiam hac in uita à negocijs humanis semotos, in beatorũ insulis habitare. Vera narras. Nostrum igitur, qui condidimus ciuitatem, erit officium, optimas hominum naturas impellere ad eam quam suprà diximus maximam disciplinam, bonumq; cognoscendum, adeò ut & sursum ascendãt: & postquã ascenderint, ac satis inspexerint, ne ipsis, quod nunc conceditur, permittamus. Quid istud? Vt in eo uidelicet studio permaneant, neq; uelint rursus ad homines istos carcere clausos hũc descendere, neq; laborum istorum hõnorumq;, seu uiliores seu preciosiores fuerint participes esse. An ipsis iniuriam inferemus, cogemusq; eos deteriorem uitam subire, cum frui meliore possint?

poſsint? Oblitus es, ô amice, hoc legi curæ non eſſe, ut unum quoddam genus in ciuitate in primis ſit beatū, ſed ut tota ciuitas. Profectò ad hoc ciues ipſos perſuaſione & impulſione cōciliat, facitq; ut mutuò ſeſe adiuuēt, communicentq; pro uiribus utilitatē colant. Nempe lex ciuili cœtu homines congregat, non ut permittat unumquemque quò lubet ferri, ſed ut ipſis ad copulam ciuitatis utatur. Vera loqueris. Id me fugerat. Conſidera itaque Glauco, quemadmodum philoſophos qui apud nos repetiuntur, iniuria nulla afficiemus. Sed cum cogemus eos aliorum curam gerere, iure in hunc modum dicemus: quòd uidelicet quicunque in alijs ciuitatibus philoſophi reperiuntur, ob hanc cauſam meritò adminiſtrandæ Reipublicæ labores refugiunt, quia in qualibet ciuitate ipſi per ſe naſcuntur, Republica nō curante. Par autem eſt, ut quod per ſe naſcitur, cum nulli pro alimentis acceptis ſit obnoxiū, nulli exhibeat nutrimenti mercedem. Nos autem uos tam uobiſmet quàm reliquis ciuibus, tanquā in apum examine, duces ac reges creauimus, melius perfectiusq; quàm cæteri eruditos, aptioresq; ad utranq; curam ſuſcipiendam. Deſcendere ergo uiciſsim debetis ſinguli in aliorum hominum cœtum, & ad obſcura inſpiciēda aſſuefieri. Nam cum aſſuefacti fueritis, multo accutius illa cernetis, quàm qui in eis quotidie obuerſantur: & quælibet ſimulachra quæ & quorum ſint agnoſcetis, ut qui reuera noueritis, quæ honeſta, iuſta, bonáue ſint. Atque ita nobis unà ac uobis ciuitas quaſi uigilantibus recteq; ſentientibus coletur, non tanquam ſomniātibus: quemadmodum nunc plurimæ habitantur, ab his uidelicet, qui de umbris inter ſe decertant, deq; principatu tanquam maximo bono contendunt. Veritas autem ita ſe habet. Ciuitas profectò, in qua ciues ad expetendos magiſtratus minimè ambitioſi ſunt, optimè & procul à ſeditionibus permanet: contrà uerò, quæ aliter affectos habet ciues.

Sic eſt prorſus. An renuent monitus noſtros alumni, cum hæc audiuerint? nolentq; uiciſsim ſinguli ciuitatis adminiſtrationem ſuſcipere, ſed in contemplationis ocio diutius commorati? Minimè. Nam iuſta uiris iuſtis prę cipiemus. Sed omnino tanquā ad rem neceſſariam ad magiſtratū accedet eorum quiſq;, cōtrà ac illi qui nunc in ſingulis ciuitatibus dominantur. Nempe ſic res ſe habet, ô amice. Si uitam inueneris eorum qui magiſtratibus prę futuri ſunt, ipſis magiſtratibus meliorem, tunc primum tibi optimè inſtituta ciuitas elucebit. In ea ſiquidem ſola uerè diuites dominabuntur: non auri dico, ſed cuius oportet uirum beatum, diuitem eſſe, uitæ probæ atque prudentis. Sin autem inopes, bonisq; proprijs uacui ad publica aduectauerint, bona illinc rapere cupientes, ciuitas illa fœlix eſſe non poterit. Nam ubi de principatu contenditur, cum propriū hoc ſit & inteſtinum bellum, tum eos qui ita pugnant, tum reliquam ciuitatem perdit. Vera narras. Habes aliquos, qui ciuiles honores ſpernant, præter ueros philoſophos? Non per Iouem. At enim magiſtratus dandi ſunt hominibus imperij minimè cupidis, alioquin ſimultas inter æmulos orietur. Certè. Quóſnam igitur alios ad cuſtodiam ciuitatis induces, præter eos qui optimè hæc intelligunt, per quæ ritè ciuitas colitur, habētq; & honores alios, & uitam ciuili præſtantiorem? Nullos equidem alios. Vis ergo nunc inquiramus, quo pacto tales in ciuitate uiri euadant? & qua ratione eos aliquis in lumen educat? quemadmodū ab inferis ad deos aſcendiſſe aliqui memorantur. Quid ni uelim? Hæc, ut uidetur, non erit teſtæ reuolutio, ſed animæ circūductio, à nocturno quodam die ad eius quod uerè eſt cōtemplationem. Quem quidem aſcenſum ueram philoſophiam eſſe dicemus. Omnino. An non inueſtigandum eſt, quę diſciplina potiſſimum hanc habeat facultatē? Quid ni? Quę nam igitur erit, ô Glauco, diſciplina, per quam animus ex his quæ

 fluunt,

fluunt, ad ea quę uerè sunt, reducatur? Nunc interim dum loquor, cogito. Nónne enim eos esse belli athletas diximus: sed necessarium, dum iuuenes sunt, tales esse? Diximus plané. Oportet ergo hanc præterea superiori addere disciplinam, quam quærimus. Quam potissimũ? Quæ scilicet non inutilis sit bellicosis hominibus. Oportet sané, siquidem est posibile. Gymnastica porrò & musica in superioribus à nobis sunt eruditi. Ita prorsus est actum. Gymnastica quidem, circa id quod augescit et deficit, uersari uidetur. Nam incrementum corporis & decrementum considerat. Apparet. Hæc ergo nõ erit ea quã quærimus disciplina. Non. An fortè genus illud musicæ, quod suprà narrauimus? At erat illa quidem, si tenes memoria, proportione quadam gymnasticæ correspondens, cõsuetudine moribusq; custodes erudiens, præbensq; secundum harmoniam, compositionem & concinnitatem quandam potius quàm scientiã, & secundũ rhythmum modulationẽ numerosamq; decentiam. Quin etiam in oratione alia quædam generis eiusdem continet, tam quo ad fabulosos sermões, quàm quo ad ueros. Cognitio uerò talis cuiusdã boni, quale tu nunc inuestigas, in ea nulla prorsus existit. Diligenter admodum me commonuisti. Nam reuera tale nihil habere comperta est. Cæterùm, ô beate Glauco, quæ'nam talis erit facultas? Etenim artes mechanicæ illiberalesq; omnes esse quodam modo uisæ sunt. Quid'ni? At uerò, quæ nam alia præterea restat doctrina à musica, & gymnastica, artibus'que diuersa? Age itaque si nihil ab his seorsum accipere possumus, aliquid saltem ex ijs quę per omnia discurrunt, accipiamus. Quid'nam?

Commune scilicet illud quo omnes utuntur artes, cogitationes atq; scientiæ, quod cuique in primis necessariò est discendum. Quale istud? Leue hoc & puerile, cognoscere scilicet unum, duo, tria: quod summatim numerum & computationẽ uoco. An non ita natura comparatũ est, ut omnis ars atq; scientia cogatur horum particeps fieri? Et maximè quidem. Nónne res bellica etiam? Necessarium est omnino. Ridiculum ducem Palamedes Agamemnonem fuisse passim in tragœdijs ostendit. An ignoras, quòd se profitetur numeri inuentorem, asseritq; apud Troiam belli acies ordinasse, nauesq; & reliqua omnia numerasse, quasi horum numerus antè fuisset incognitus: & Agamemnon, ut uidetur, neque quot pedes haberet, agnouerit: siquidem erat computationis ignarus. Qualem itaque tunc fuisse ducem existimas? Absurdum equidẽ, si uera hæc erant. Necessariam ergo numerorum cognitionem militi esse dicemus, ut & numerare & computare ualeat. Maximè omnium, si modò ad ordinandas acies omnino rudis esse nõ debet. imò uerò si homo futurus est. An tibi in hac disciplina, quod mihi, uenit in mentem? Quid? Videtur natura ex eorum numero esse, quæ ad intelligentiam homines eleuant, qualia nos perquirimus. Cumq; talis sit ut omnino mentem ad essentiam attollere possit, nemo ut decet hac uti cognitione uidetur. Qua ratione id ais? Conabor equidem sententiã tibi meam explicare. Animaduerte obsecro, quemadmodũ mecum ipse genera rerũ ita distinguo, ut quædam ad intelligentiam ducant, qualia nos dicimus, quædam minimè: & quę dicam cõfirma, uel nega, ut clarius dignoscamus, an hoc tale sit, quale uaticinor. Ostende iam. Ecce ostendo: si modò res quæ sensus mouent, uides partim tales esse, ut ad cõsiderandum intelligentiam minimè prouocẽt, utpote quæ sufficienter sunt à sensibus iudicatæ: partim tales ut prouocent, quasi sensus in eis nihil sincerè dijudicet. Quę ꝓcul admodũ prospiciunt, dicis, & quę quodammodo adumbrata sunt. Haud satis quæ'nam dixerim coniecisti. Quæ'nam igitur? Ea porrò inquam mentẽ minimè prouocant, quæcunque in contrarium simul sensum non incidunt, Quæ uerò

incidunt?

incidit in contrarium, prouocant, postquam sensus nō hoc magis quàm contrarium monstrat, siue eminus seu comminus intueatur. Sic autem quod dico, magis tibi patebit. hos utique tres esse digitos dicimus, pollicem, indicem, medium. Planè. Ita me loqui existimato, quasi proximè uideantur. Atque id in ipsis cōsidera. Quid?

Digitus quidem esse similiter quisque eorum apparet: atque ad hoc nihil interest, siue medius offeratur, siue postremus, albus seu niger, pinguis aut tenuis, & quicquid generis eiusdem. In omnibus siquidē huiuscemodi non cogitur animus intelligentiam ad disceptandum prouocare, quid è multis sit digitis. Neque enim sensus ei simul significauit digitum contrarium esse, quàm digitum, Non certè. Meritò igitur quod tale est, mentē nec mouebit, nec excitabit. Meritò. Ipsorum uerò magnitudinem & paruitatem nunquid aspectus satis cernit? nihilque ad eam refert, siue in medio quædam illorum iaceant, siue in extremis? Eodemque modò pingue, tenue, uel mollitiem & duritiem tactus ipse? Atqui & alij sensus nunquid non imperfectè talia quædam declarant? Vel sic agit eorum quisque? Nam primum quidem sensus qui ad durum attinet, cogitur & ad molle pertingere, animoque ita renunciat, quasi idem & molle & durum esse sentiat. Ita certè.

An non necessarium est, in rebus huiusmodi animum dubitare, quid significet duri hic sensus, si quidem idem molle insuper asserit? Itē sensus ipsius grauis & leuis, quid graue & leue, si leue graue esse, & graue leue significat? Absurdè profectò hæ ad animum interpretationes deueniunt, & consideratione indigent. Meritò igitur in his rebus primò quidem animus nititur rationem & intelligētiam prouocans considerare, nunquid unū aut duo sint singula quæ nunciantur. Cur non? Nonne si duo apparent, alterum & unum apparet utrunque? Ita. Si ergo unum utrunque, ambo autē duo, separata duo intelliget animus. Nam si indistincta perceperit, non duo, sed unum intelliget. Rectè. Magnum quidem & paruum, aspectum uidere dicimus, nō discretum aliquid, sed confusum. an non? Planè. Propter huius autem declarationem, magnum rursus & paruum intelligentia cogitur intueri, non confusa, sed distincta potius: contrà ac sensus. Vera loqueris. Hinc ad sciscitandū protinus incitamur, quid magnum sit, quid paruum. Maximè uerò. Atque ita aliud quidem intelligibile, uisibile aliud nuncupauimus.

Scitè admodum. Hæc sunt quæ nuper disserere aggressus sum, quòd uidelicet quædam animum ad intelligentiam erigunt, quædam minimè: quod'ue ea erigunt, quæ in sensus unà cum suis contrarijs incidunt: quæ uerò non ita, mentem non suscitant. Intelligo iam, atque ita mihi uidetur.

Quid uerò numerus & unum? Vtro in genere tibi esse uidentur? Haud intelligo. At ex suprà dictis animaduerte. Si enim sufficienter ipsum secundum seipsum inspicitur, aut alio quopiam sensu unum comprehenditur, haudquaquam ad essentiam mentem deducit, quemadmodum de digito diximus. sin autem aliquid semper contrarium illi simul suboritur, adeò ut nihil magis unum quàm cōtrarium uideatur, iudicis discretione iam indiget, cogiturque in ea animus dubitare atque perquirere, & mouens in seipso intelligentiā, sciscitari quid nam unū ipsum est. Atque hoc pacto unius consideratio ex eorum numero erit, quæ attollunt animum, conuertuntque ad eius quod uerè est, contemplationem.

At enim tale nonnihil habet unius inspectio. Simul nanque ipsum ut unum cernimus, & ut multitudinem infinitam. Si unum id patitur, idem omnis numerus patietur. Absque dubio. Enimuerò computandi & numerandi scientia omnis circa numerum. Maximè. Hæc autem ad ueritatem conferre uidentur. Mirum in modum. Hæc itaque disciplinæ ex earum genere erit, quas quærimus,

militi quidem cognitu maximè necessaria ad acies ordinandas: philosopho autem, ut è fluctibus generationis emergat, essentiamq; attingat, sine qua disciplina cōputatrice ratiocinariq; non poterunt. Est ita. Custos autem noster & miles est, & philosophus. Nēpe. Conueniens utiq; institutio erit, ô Glauco, persuadere illis qui ciuitatis muneribus functuri sunt, ut se ad computandi scientiam conferant, neq; rudes adhuc inde discedant, sed persequantur, quoad ipsa mente ad numerorum naturam contemplandam perueniant, non uendendi emendiq; gratia, tanquam mercatores uel caupones: sed ut ad bellum instructi sint, facileq; animum à generatione ad ueritatem essentiamq; conuertant. Præclarè loqueris. Atqui his ita de ratiocinandi disciplina dictis, equidem mecum ipse cogito, quàm numerorum cognitio decora sit, utilisq; nobis passim ad id quod uolumus, si quis eam cognoscendi, non cauponandi gratia sequitur. Qua ratione? Hoc ipsum inquam, quod modò diximus, quòd uidelicet uehementer subleuat animum, deq; ipsis numeris differere cogit, nullo modo admittentem, si quis disputando pro numeris corpora quæ & uidentur & attrectantur, induxerit. Nosti enim, quemadmodum qui in his periti sunt, quotiens aliquis ipsum unum uerbis discerpere nititur, subrident protinus, neque hoc tolerant: uerùm si tu secas, ipsi multiplicāt, cauētes, ne quādo ipsum unum non unum appareat, sed particulę plurimę. Vera loqueris. Si quis eos ita percontetur, ô mirifici uiri, quibus de numeris disputatis, quibus unum tale inest, quale uos traditis, æquale scilicet unumquodq; est, & omne penitus omni, neq; minimo quouis discrepans, partem tamen nullam continēs in seipso? Quid eos ad hæc, ô Glauco, existimas responsuros? Reor equidem responsuros illos, de ipsis se numeris loqui, qui cogitari duntaxat possunt, aliter autem attrectari nequaquam. Cernis igitur, ô amice, hanc reuera peritiam huius disciplinę nobis necessariā esse? quandoquidē, ut apparet, animum ad hoc inducit, ut ipsa intelligentia utatur ad ueritatem ipsam percipiendam. Vehementer id efficit. An & hoc aduertisti, quòd homines natura arithmetici ad omnes doctrinas, ut ita dixerim, acuti uidentur. Quinetiā si qui ingenio tardiores huic se studio dederint, si nullam utilitatem aliam susceperint, tamē hoc assequūtur, ut acutiores quàm antea sint. Sic est. Sed enim haud facilè multa reperies, ut existimo, quæ maiori cum difficultate quàm ista discantur. Non profectò. Propter omnes quas adduximus rationes, haudquaquam negligenda hæc sunt, sed in his præcipue erudiendi qui optimis sunt ingenijs. Assentior equidem. Hoc itaq; nobis ita positū sit: post hoc, quod huic proximum est, cōsideremus, nunquid nobis conducat. Quid istud? num Geometriam dicis? Hanc ipsam. Quatenus enim ad bellicam rem confert, eatenus certè nobis conuenit. Nam ad castra ponenda, regionem occupandam, colligendas turmas, uel etiam spargendas, & ad cætera machinamenta, quibus circa acies, uel in obsidione, uel itinere uti solent, permultum interest, Geometricus'ne aliquis sit, an non. Ad hæc utique exigua quædam Geometriæ Arithmeticæq; particula sufficit. Inquirendum est autem, utrum diuturnius studium, uberior'que perceptio conferat ad ideam boni facilè dignoscendam. conferunt uerò ad hoc omnia, quæ animum illuc conuertunt, ubi est essentiæ beatissimum, quod ipsi est penitus cognoscendum. Rectè. Ergo si essentiam intueri Geometriæ studium cogit, conuenit quidem: si autem generationem, non conuenit. Ita dicimus. Profectò nobis hoc non negabunt, quicunque uel paululum quid Geometriæ gustarunt, quin hæc scientia contra omnino se habeat quàm de ea loquantur, qui in ipsa uersantur. Quónam pacto? Quippe ridiculè admodum, & quasi coa-

cti

cti sæpe loquuntur. Nam uelut operatores quidam, operisq́; grana uerba faciunt, dum & quadrare aiunt, & perducere, atque addere, cæteraq́; similiter. Doctrina uerò hæc omnis cognitionis gratia quæritur. Sic est omnino. An non id quoque nobis est concedendum? Quid? Quod quærit̃ cognoscẽdi illius gratia, quod semper est, nõ eius quod & orit̃ quandoq́; & interit. Concedendum planè: nam Geometria eius quod est semper, cognitio est. Attollet igitur, ô generose uir, ad ueritatem animũ, atq́; ita ad philosophandum præparabit cogitationem, ut ad supera cõuertamus, quæ nunc contrà quàm decet, ad inferiora deijcimus. Quàm maximè heri potest. Quàm maximè igitur præcipiendũ est, ut qui preclarissimã hanc habitant ciuitatem, nullo modo Geometriam spernant: nam & quæ preter ipsius propositum quodammodo esse uidentur, haud exigua sunt. Qualia? Quæ tu circa rem bellicam commemorabas. Scimus quinetiam, ad disciplinas omnes facilius perdiscendas interesse omnino, attigerit ne Geometriam aliquis, an non. Prorsus. Hanc ergo doctrinam secundo loco discendam iuuenibus. Statuamus. An tertio in loco ponemus Astronomiam? Quid censes? Ponendam equidem: nam mutationes opportunitatesq́; temporũ præsentire, non minus rei militari quàm agriculturę nauigationiq́; conuenit. Quàm dulcis uir es, Nempe uereri uideris, ne multi te putent inutiles disciplinas inducere. Est autem non leue istud, sed difficile admodum persuadere. quod ex huiusmodi disciplinis instrumentũ quoddam cuiusq́; animi expurgatur, reuiuiscitq́;, quod antè ex alijs studijs infectum occecatumq́; fuerat: cum potius id seruandum sit, quàm oculorum corporis decem milia. Solo enim hoc inspicitur ueritas. Eis ergo qui idem hoc sentiunt, mirum in modum bene loqui uideberis. Qui autem id nunquam excogitarunt, meritò nihil te dicere arbitrabuntur. aliam enim ab ipsis utilitatem æstimatione dignam nõ cernũt. Hic ergo tu uideris, utris cum potissimũ disseras. An fortè cum neutris, uerùm tui gratia maximè uerba facis: neque tamen ulla detineris inuidia, si quis aliquam ex his utilitatẽ capiat. Hoc potius eligo, mei scilicet gratia in primis interrogando & respondendo disserere. Age igitur, inquam, retrogredere: nam nunc haud rectè, quod Geometriæ succedit, accepimus. Quare? Quia post planum, statim solidum illud quod circumfertur, accepimus, antequàm ipsum secũdum seipsum cõprehenderemus. Decet autem statim post augmentum secũdum, tertium capere: est autem hoc circa cuborum augmentum, atque id quod profunditatis est particeps. Est certè. Sed hæc, ô Socrates, nondum reperta uidentur. Huius duę sunt causæ, quia uidelicet nulla in ciuitate hæc honorantur: & cum inuentu difficilia sint, haud ardenter quæruntur: & qui ista perquirũt, duce indigent, sine quo minimè reperirent. Quem esse primò difficile est: deinde etiam si sit, dum tamen ita se habent, ut nunc qui hæc indagant, fastu elati nequaquã parèrent. Sin autem ciuitas tota huic operi pręsideat, honorificè deducens, & isti obtemperabunt quidem, & hæc sedulò studioseq́; discussa clarius emicabunt. Quippe etiam nunc, quãquam & uulgus hęc contemnit & prohibet, et qui hæc perscrutantur, qua ratione utilia sint ignorant, tamen ui gratiæ cuiusdã ualent. Neque mirum, si hæc ita apparuerint. Nempe quod gratum est, id præcipuũ sed mihi apertius, quę nunc dicebas, explana. Studium quod circa planum uersatur, Geometriam uocabas. Equidem. Post Geometriam cõtinuò Astronomiam ponebas. Sed paulo pòst retro retulisti pedem. Enimuero quo magis propero, eo peruenio serior. Nam cum mox illi succederet facultas illa quæ de augmento in profundum agit, quia ridiculosa eius habetur inuestigatio, eam trãsgressus, post Geometriam, Astronomiam protinus attigi, quæ in pro-

mundi ipsius agitatione consistit. Probè loqueris. Ergo quarto in loco ponamus Astronomiam, tanquam adsit ea facultas quæ nūc fuerat prætermissa, si modò in ciuitate suscipiatur. Sic decet. Atq; eam Astronomiæ laudationē, ô Socrates, in qua tu me interpellasti, quasi importunius ipsam extollerem, ex tuo progressu nunc prosequor. Nam cuiq; patere existimo, hāc animi oculos ad superiora dirigere, & hinc illuc ipsum perducere. Fortè hoc omnibus præterquā mihi perspicuū. Quoniam mihi quidem non ita uidetur. At quónam modo? Porrò ut nunc eam tractant, qui philosophiæ ipsam iungūt, ad inferiora deijcere animi oculos mihi uidentur. Qua ratione id ais? Non ingenerose mihi uideris tecum ipse supernorum intelligētiam definire. Constat enim, quòd si quis laquearia uarijs coloribus depicta suspiciens quicquā perceperit, eum nō oculis intueri, sed intelligere arbitraberis. Ac fortè rectè sentis, ego autem ineptè. Reor equidem nullā aliam disciplinam ad supernam inspectionem animū excitare, nisi eam quæ circa essentiam, & id quod uideri non potest uersatur. Quod si quis sursum inhiās, nunquam conuersus deorsum, sensibile aliquid percipere studet, discere ipsum nequaquam assero. scientiam enim adipisci hunc nego, et eius animū non sursum, sed deorsum aspicere censeo: etiam si resupinus in terræ littore, uel maris æquore iacens, quicq; perceperit. Haud iniuria me corripuisti. Verùm quæ ratio discendæ Astronomiæ, præter eam quam isti sequuntur, si eius nobis cognitio sit ad ea quæ dicimus profutura? Hæc utiq;. Existimandum est, has quæ in cœlo sunt uarietates, postquā in loco uisibili sunt, si ad cæteras eiusmodi comparentur, optimè integerrimeq; dispositas: sin autem ad ueras, longè deficere. Veras inquam uarietates & motiones, quibus ipsa quæ uerè est uelocitas, & ipsa quæ uerè est tarditas in uero numero, uerisq; figuris omnibus & in uicem feruntur, & quę insunt ferūt. Quę quidē omnia ratione & cogitatione comprehendi possunt, usu uerò nequaquam. Quid censes? Idem prorsus. Nonne igitur cœlestium uarietate urendū est uelut exemplo quodam ad supernarū rerum cōtemplationem? perinde ac si quis uideat figuras à Dædalo uel alio artifice uel pictore egregiè cōpositas et elaboratas. Nempe si esset is qui eas uidet Geometriæ peritus, artificium ipsum laudaret, ridiculum tamen esse censeret, si quis attentius talia considerare, tanquam in ipsis ueritatem æqualium, uel duplorū, uel alicuius proportionis alterius reperturus. Cur non absurdū id uideatur? Idem quoq; facturum putare debemus uerū Astronomum, quādo motus siderum intuebitur: arbitraturum scilicet, quoad in operib. huiusmodi possibile est, quàm pulcherrimè ab ipso cœli cōditore & cœlum ipsum, & quę in eo sunt, fabricata: absurdum tamē existimaturum, si quis noctis ad diem cōparationem, horumq; ad mensem, mensisq; ad annum, & aliorum astrorum inuicem & ad ista, semper similiter fieri censeat, neque unquam quoquo modo mutare tenorem, cum et corpus habeant & uideantur, quærarq; in his omni studio ueritatem. Mihi certè in præsentia tē audienti idem uidetur. Itaq; propositionibus utemur ut in Geometria, ita & in ipsa Astronomia: & quæ in cœlo sunt, dimittemus: si modò ita percepturi sumus Astronomiam, ut quod in nobis sapientiæ compos natura existit, utile ex inutili efficiatur. Quanto amplius laborum imponis Astronomo, quàm hodie imponit uulgò? Arbitror autem & alias nos præcipere eodem modo debere, si qua ex nobis tanquam legum conditoribus sit utilitas prouentura. At quam nunc ex cōuenientibus disciplinis commemotabis? Nullam ad presens habeo, quam commemorem, inquit. Attamē non unam tantum, inquam ego, sed plures species motus nobis præbet. Omnes quidem depromere, qui sapiēs est, poterit. Quæ uerò mihi occurrunt, duæ sunt. Quales? Vna quidē

Astronomiæ

Astronomiæ cõsimilis & æquipollẽs. Qualis inquam? Quemadmodum ad Astronomiam oculi, sic ad harmonicum motum uidentur aures fabricatæ. Vnde & has inuicem esse germanas scientias, & Pythagoræi putant, & nos, ô Glauco, assentimur. Vel quidnam agemus, inq; ego. Ita prorsus, inquit. Nónne quia grande hoc opus est, eos percontabimur, quo pacto de ipsis loquuntur, & nunquid aliud præter ista, nos autem ad hæc omnia nostrum illud seruabimus? Quid? Ne quãdo dent operam, ut nostros alumnos quicquam ex his minus perfectũ doceant, quòd nõ illuc tendat semper quò proficisci omnia debent, quemadmodum paulo antè de Astronomia narrauimus. An ignoras, quòd circa harmoniam tale aliquid agitur? Nam dum cõcentus & tonos qui percipiuntur auribus, metiuntur & comparant, irrito labore, quemadmodum Astronomi, tempus conterunt. Per Deos, ridiculè admodum isti crebrius uoces frequentant, ingeminantq;, & aures propius admouent, uelut è uiciniore loco uocẽ ipsam rectius uenaturi. Atque eorum alij dicũt, in medio adhuc sonitum aliquem se audire, minimũq; esse interuallum hoc, quo metiri quis debeat: alij uerò ambigunt, quasi sonus iam similis audiatur. & utriq; aures menti præponunt. Tu uerò, inquam ego, utiles'ne eos musicos uocas, qui chordas iugiter uexant, examinantq;, & clauiculis tum intendendo, tum remittendo pulsationes contorquent? Sed ne longius similitudo in pulsatiõe, quæ plectro fit, & illa iactãtia peruicaciaq; chordarum accusanda prouehatur, imagini huic finem imponam: aioq; nõ hos, sed illos potius, ut de harmonia dicant, rogãdos. Nam idem faciunt, quod & illi qui in Astronomia uersant. Nempe numeros eos sectantur, qui in concentibus ad aures pertinentibus insunt. Sed ad inuestigandum inde non transeunt, qui consonantes numeri sint, qui nõ, & quam ob causam utrique sint tales. Rem egregiam narras. Adde & utilem ad boni ipsius pulchriq; indaginem: quæ si aliter quæratur, fit prorsus inutilis. Probabile istud quidem. Arbitror autem supradictorum omnium tractationem, si mutuam ipsorum communionem cognitionem'que attigerit, inuestigaueritque qua secum ista inuicem ratione cohærent, ad ea quæ expetimus conducturam: neque frustra in his homines, sed utiliter admodum uersaturos: inutiliter autem, si aliter actum fuerit. Atqui & ego ita uaticinor: sed magnum est quod iubes, ô Socrates. Quid? initium, inquis, an aliud quiddam? An ignoramus hæc omnia ipsius legis, quam discere decet, initium esse: nondum enim dialectici de his reb. differere tibi posse uidentur. Non per Iouem, nisi perpauci quidam omnium quos unquam cognouerim. At enim nisi quis, inquam, & accipere possit, & reddere rationem, nunquã sciet quicquam eorũ quæ esse dicimus cognoscenda. Nunquam prorsus. Nónne hæc iam lex est, ô Glauco, inquam, quæ per differendi artem ostenditur: quam rursus, intelligibilis cum sit, ea uis imitatur aspectus, quam suprà diximus, ad ipsa iam animalia sese conuertere, & ad stellas, & ad ipsum denique solem? Haud secus, cum quis ad differendum se confert absq; sensibus, ratione duntaxat ad ipsum quod est, quodlibet nititur: qui si non destiterit prius, quàm ipsum quod est bonũ, intelligentia ipsa perceperit, tunc demũ ad finem intelligibilis ipsius ita peruenit, ut ille alter ad uisibilis finẽ ascẽdit. Omnino sic accidit. Nónne dialecticam hanc progressionẽ uocas? Quid prohibet? Atqui quemadmodum solutio illa à uinculis, conuersioq; ab umbris ad simulachra ac lumen, & ex antro ad solis lumen exitus, ibiq; animalium & plantarum inspectio, solisq; & siderum in aqua propter imbecillitatem oculorũ intuitus, ipsum quod in corporibus est clarissimum, ad id conuertunt, quod est in corporali & uisibili regione omnium fulgentissimum: ita omnium suprà dictarum

artium

artium studium deducit animum per umbras nō simulacrorum, sed eorum potius quę uerè sunt: diiudicareq; eas facit, ad aliud quoddam lumen tanquam ad solem: habetq; uim quādam extollendi id quod est in animo præstantissimum, ad contemplationem eius quod in ordine rerum est optimū. Equidem sic accipio: quanquam mihi talia hæc esse uidentur, ut neque facile admitti possint, neq; facile reijci. Veruntamen cum non in pręsentia solum audienda, sed deinceps sæpius repetenda sint, his ita positis, ut nunc traditum est, ad ipsam iam legem deueniamus, atq; ita eam percurramus, ut procemium iam transegimus. Quare dic amabo, quis potentiæ differendi modus, & quas in species distribuitur, & quæ uiæ sint. hæ namq; sunt, ut uidetur, quæ illuc perducunt. quò quisquis peruenerit, illic demum tanquam in itineris termino requiescet. Nondum ô amice Glauco, assequi poteris. Profectò quantum in me est, nihil tibi deerit studij, quo uoti compos efficiaris. Neque imaginem amplius eius quo de agimus, sed rem ipsam ueram qualis mihi uidetur, aspicies. Vtrum autē reuera talis sit, nec'ne, haudquaquam affirmare decet. Sed illud duntaxat asseuerandum, quod tale aliquid est cognoscendum. nónne? Nihil prohibet. Quinetiam & istud, quòd sola differendi facultas homini in his quæ diximus, erudito id ostendet. Aliter uerò cognosci penitus impossibile. Hoc quoque asseuerandum. Nemo autem aduersabitur nobis dicentibus, quòd differendi facultas duntaxat conatur ordine certo circa unumquodq; quid ipsum sit inuenire. Siquidem cæterę artes, aut opiniones hominum cupiditatesq; respiciunt, uel ad generationes & compositiones, uel ad culturam eorum quæ generantur & componuntur. Reliquæ uerò, quas diximus uerarū rerum quoquo modo participes esse, Geometria scilicet, eiusq; comites, circa ipsam essentiā quodam modo somniant: sincerè autem quicquam ab illis cerni impossibile est, tantisper dum suppositionibus hærent, easq; ratas & immobiles adeò seruāt, ut illarum rationem reddere nequeāt, Nam ubi principium quidem ponitur id quod est ignotū, finis autem & media ex ignoto tracta, inuicem conne-ctuntur: collectam inde assertionem quo'nam pacto scientiam uocemus? Nullo. Dialectica uerò sola, sublatis suppositionibus omnibus, ad ipsum principium, ut compertū habeat, pergit, ac reuera animi oculum cœno barbarico obrutum, paulatim sursum trahit, ac ducit, tanquam adiutricibus ac ministris quibusdam utens his artibus quas narrauimus. Eas porrò nos sæpe scientias propter consuetudinem nominauimus. Indigēt autem alio nomine, clariore quidem quàm sit opinio, obscuriore uerò quàm scientia. Cogitationem certè nos in superioribus, earū notionē cognominauimus. Neq; tamen est de nomine controuersia inter eos, quibus de rebus tantis, quātis nobis ad pręsens, est discrepatio. Nō certè. nam solam exigunt ad rerū habitum interni cōceptus expressionē. Placet igitur, quemadmodū suprà, primam partem uocare scientiam, secundam cogitationem, tertiam fidem, postremam imaginationem uel assimulationem. Et ambo illa simul intelligentiam, hæc autem ambo simul opinionem: & opinionem quidem circa generationem, intelligentiam uerò circa essentiam esse. Quod autem est ad generationem essentia, id ad opinionem intelligētia. Quod'ue intelligentia est ad opinionē, id & ad fidem scientia, & ad imaginē deniq; cogitatio. Comparationem uerò illorum in quibus ista uersantur, diuisionemq; utriusq; geminā, opinabilis scilicet intelligibilisq;, ô Glauco, omittamus, ne prolixior de his oratio q; de superiorib. habeat. Equidē quantū mea mens potest, reliqua cōsequi libet. An non dialecticū uocas eum, qui rationē cuiuslibet capit essentię? Illum uerò qui hanc rationem non habet, quatenus nec sibi, nec alteri potest reddere rationē, eatenus intelligētiā circa hoc habere negabis?

Certè

Certè non aliter est dicendum. De bono etiam similiter iudicādum. Nam quicunque boni ideam ratione definire non potest, à cæteris omnibus eam distinguens, & tanquam in prælio per omnia penetrando, cætera cuncta rejcere, non secundum opinionem, sed secundum substantiam arguens & refellens, perque hæc omnia stabili & inconcussa progredi ratione: hunc tu ita affectum, neque bonum ipsum dices cognoscere, neque aliud quicquam bonum: uerùm si quod fortè simulacrū attigerit, opinione potius quàm scientia illud attingere: atque hac in uita insomnijs dormitantem illudi, & antequam expergiscatur, ad inferos descendentem, extremo tandem occupari sopore. Per Iouē, omnia hæc prorsus asseuerabo. Ceterùm liberos tuos quos nunc oratione instruis, si quando reipsa erudires, ut arbitror, nō permitteres maximarum rerum in ciuitate potestatem habere, dum linearum instar non possent cuiusque reddere rationem. Non certè. Legem itaque feres, qua iubeamur eam potissimum disciplinam capessere, ex qua ad interrogandum & respondendum, ut scientem decet, aptissimi sint. Tecum unà istud præcipiam. An ergo uidetur tibi doctrinis omnibus dialectica uelut apex esse præposita, nec ulla doctrina ulterius ac eminentior reperiri, sed hic iam doctrinarum omnium esse finis? Mihi quidem uidetur. Restat ergo deinceps aperiendum quibus distribuendæ hæ disciplinæ sint, & quomodo. Videlicet. Recordaris in prima illa optione quales delegerimus principes? Quidni recorder? Quo ad alia quidem naturas illas eligendas existimato. Nam & grauissimos homines & fortissimos decet eligere, & quoad fieri potest, speciosissimos. neque solum quærendi sunt homines generosi, atque terribiles, sed qui insuper eas habeant naturæ dotes, quas disciplina hæc exigit? Quas? Acumen, inquam, facilitatemque ingenij oportere ad doctrinarum perceptionem adesse. Magis enim absterret animum disciplinarū quàm gymnasiorum corporis, difficultas. Si quidem magis proprius illi labor est, qui soli competit, quàm qui corpori etiam est communis. Vera loqueris. Quærendus itaque etiam est memoria ualens, integerrimus, tolerātissimus. Nam quem alium censes libenter labores corporis subiturum, tamque arduum doctrinæ meditationisque studium ad finem usque prosequuturum? Neminem prorsus, nisi qui optima natura sit præditus. Ex eo quippe errore, ut suprà dicebam, aduersus philosophiam oborta est infamia, quòd non pro dignitate ipsam attingunt. Neque enim à spurijs, sed legitimis est attrectanda. Quo pacto?

Principiò ad labores suscipiendos claudus esse nō debet, quisquis est philosophiæ sacris initiandus, ut partim eos adeat, partim recuset. Contingit autem hoc, quotiēs aliquis gymnasijs & uenationi & reliquis corporis exercitationib. deditus, disciplinarum studium refugit, neque audiendo delectatur, nec inquirendo, sed omnem hanc odit curam. Claudus præterea & ille est, qui exercitationibus animi delectatus, contemnit alias. Vera narras. An non &, quo ad ueritatem, similiter mancum eum ponemus animum, qui uoluntarium mendacium odit, & ægrè fert ipse secum, & alijs mentientibus indignatur, inuoluntarium uerò mendacium facilè tolerat: & si ignorare aliquid deprehendatur, haud grauiter perfert, sed libenter ueluti sus in ignorantiæ sordibus uolutatur? Omnino quidem. Quinetiam circa temperantiā & fortitudinem magnificentiamque, & reliquas uirtutis partes non minus obseruandum est quinam legitimus sit, qui spurius. Quādo enim hęc minus considerant, & priuati, & ciuitas, ignari utuntur mancis & spurijs ad quodcunque istorum contigerit, priuati quidem amicis. Respublica uerò principibus. Sic accidit prorsus. Nobis hæc omnia præcauenda sunt. Nam si homines, quo ad corporis ac mentis habitum, integerrimos ad tātam doctrinam exercitatio-

nemq; ducemus atque erudiemus, & ius ipsum nobis minimé succensebit, & ciuitatem Rempublicamq; seruabimus. Sin aliter affectos homines ad ista ducem⁹, cõtraria faciemus omnia, & philosophiã multo etiam magis dedecorabimus. Turpe quidẽ id esset. Mirum in modum. Ceterùm nonnihil mihi in præsentia risu dignum contigisse uidetur. Quid istud? Latuit me nimirum, quod iocabamur: quare acrius egi quàm deceret. Quippe inter loquendum ad philosophiam ipsam conuersus, eam dedecore affectam aspexi. Quod & grauiter perpessus sum se uideor, & his qui in culpa sunt, tanquã indignatus seuerius hęc dixisse. Non per Iouem, ut mihi audienti uidetur. Mihi tamen dicenti sic apparet. Hoc autem ne nos fugiat, quod in priori electione senes eligimus, in hac uerò nequaquam licebit. Neq; Soloni credendum est, hominem senescentem posse in dies plurima discere, qui minus id potest quàm currere. Iuuenibus enim conueniunt multi maximiq; labores. Necesse est. Illa igitur quæ ad Arithmeticam & Geometriam omnem'que doctrinam eam pertinent, quæ Dialecticam antecedere debet, pueris tradẽda sunt. atq; is docẽdi modus accipiendus est, quo minimé coacti ad discendum esse uideantur. Cur istud? Quoniam non decet liberum hominem cum seruitute disciplinã aliquam discere. Quippe ingentes labores corporis ui suscepti, nihilo deterius corpus efficiunt. Nulla uerò animæ uiolenta disciplina est stabilis. Vera loqueris. Ergo non tanquam coactos pueros in disciplinis, ô uir optime, sed quasi ludẽtes enutrias, ut & magis ad quod quisque natura sit aptus, possis agnoscere. Consentaneũ est quod dicis. An nõ recordaris, à nobis in superiorib. dictum, pueros esse equis spectandi gratia in castra ducendos: & si tutò id tentari possit, propius admouendos, ut catulorum instar sanguinem incipiant degustare? Recordor equidem. Quicunq; uerò ad hos labores, disciplinas, pericula, promptiores, acrioresq; apparent, in numerum aliquem seligendi sunt. Qua in ætate? Quando à necessarijs negocijs exercitationibusq; soluti sunt. In hoc siquidem tempore siue biennium sit, seu trienniũ, facere aliud nequeunt. Labor enim ac somnus disciplinis aduersi sunt. Et simul hæc examinatio aliarum non minima esse uidetur, qualis uidelicet quisque in gymnasijs ipsis apparebit. Quid ni? Post id tẽpus quicunque ex uiginti annis, ut cæteris pręstantiores electi fuerint, maioribus quàm cæteri afficiantur honoribus: & quæ disciplinę istis in pueritia sparsim ostensæ sunt, unà his iterũ offerantur, ad ipsam disciplinarum inter se cognationem, & ipsius quod uerè est naturã conspiciendam. Sola hæc cognitio, quibuscunque traditur, stabilis permanet. Atqui & hac experientia cognoscitur maximè, qui ad dialecticam optime à natura est institutus, qui nõ. Nempe quisquis ad hoc dignoscendum est perspicax, dialecticus est: qui uerò hebes, nequaquã. Teneo equidem. His igitur animaduersis, oportebit eos qui apprimè tales in ipsis reperientur, stabiles in disciplinis, cõstantes in bello, in alijs legitimis officijs perseuerantes, postquam trigesimum egerint, ex electis præelectos in maioribus honoribus constituere, & ipsa differendi facultate diligenter examinare, quis eorum potest sine oculorum & aliorum sensuum ministerio, ad ipsum quod uere existit, cum ueritate transcendere. In quo maxima, ô amice, opus est cautione. Cur'nam, inquit? Non animaduertis, inquam, quãtum nunc malum circa differẽdi peritiam inolescat? Quale istud, inquit? Iniquitate prorsus abundant, inquam. Summopere, inquit. Mirum aliquid perpeti ipsos existimas, nec ignoscis? Qua ratione maximè? Si quis suppositicius puer multis in delicijs à nobili familia nutriatur, inter adulatores complurimos: adultus autem persentiat quòd ex eis, quos parentes existimat, natus non fuerit, ueros tamen genitores nusquam reperiat: nunquid uaticinari

ticinari potes, qualis huic animi affectus luturus ſit erga adulatores, & erga eos qui ipſum ſuppoſuerũt, tam eo tempore quo nihil de ſuppoſitione ſuſpicabatur, quàm poſtquam rem ipſam agnouit? An nis præſagiũ meum audire? Volo equidem. Vaticinor itaq; illũ, dum ſuppoſitionem penitus ignorabit, magis eos honoraturum quos parentes & propinquos exiſtimat, quàm aſſentatores: minusq; eos, ſi quando egeant, neglecturũ, tardioremq; fore ad iniuriam ipſis inferendam, uel conuicium dicẽdum, magisq; illis in rebus grauibus quàm adulatoribus pariturum. Veriſimile quidem. Sin perſenſerit, hos certè minus honorabit, curabitq;: aſſentatores uerò magis quàm antea colet, illis propenſius obſequetur, ad eorum exemplum uitã inſtituet ſuam, cum illis palàm ac liberè conuerſabitur. De his uerò quos parentes & propinquos putauerat, niſi alioqui probo naturà ſit ingenio, nihil prorſus curabit. Omnia prorſus, ut narras, contingerent. Sed quid hęc ſimilitudo ad eos qui diſputationes ſectãtur? Audies modò. Sunt nobis à pueritia opiniones de honeſtis iuſtisq; officijs, ſub quibus tanquã parentib. educati ſumus: his paremus, has prę cęteris honoramus. Sunt planè. Offerunt ſe nobis & uoluptates, quę ad contraria nos alliciunt: & dum animæ blandiuntur, ad illa detorquẽt. Non tamen ab his flectuntur, qui uel paulo quàm cęteri moderatiores ſunt: ſed illa ueluti paterna colunt, eisq; obtemperãt. Sic euenit. Si dialectica uis aggreſſa aliquẽ ita affectũ interroget, quid honeſtum ſit: ac reſpondentem, id quod ex legislatore perceperat, ratio confutet, crebrisq; & uarijs redargutionibus eò deducat, ut opinetur illud nõ magis honeſtũ eſſe quàm turpe, deq; iuſto ac bono ſimiliter arguat, & de cæteris quæ ſummo in honore antè habebat, paru'ne illa poſthac honore & obſeruantia proſequuturũ putas? Minori admodũ puto. Quãdo igitur neque iſta quis cenſet domeſtica, ut antea, uel honoranda, neq; reperit uera, in uitam potius blandam, quàm in aliam, ut conſentaneum eſt, prolabitur. Veriſimile id quidem. Ex iſto igitur fiet iniquus. Neceſſe eſt. An non merito, ut nuper dicebam, affectio eorum qui ita ſe ad diſſerendum comparant, talis eſt, ut plurimam exigat ueniam? Et miſericordiam inſuper. Vt igitur miſerabilis hic euentus uitetur, triginta annos nati duntaxat, cautè admodum dialecticas argumentationes deguſtent. Ita prorſus. An non hæc prudens cautio eſt, ut eas uidelicet iuniores homines non attingant? Neque enim te latet, ut arbitror, quod cum primũ adoleſcentuli diſputationis artificium guſtant, eo protinus quaſi ludo quodam ad refellendum utũtur: eosq; qui confutant alios, ſtudioſe ſectantes, & ipſi alios quoq; redarguunt, ac diſtrahendis lacerendisq; proximis catulorum more aſsiduè delectantur. Mirum in modum. Cum uerò plures conuicerint, & à pluribus ipſi conuicti fuerint, eò cõfeſtim deueniunt, ut ex priſtinis opinionibus ratam nullam habeant. Atque ex his & ipſi & omnis philoſophia apud alios calumniam reportarunt. Vera refers. At uir natu grandior, ab hac inſania diligentius declinabit, ac hominem inueſtigandę ueritatis gratia differentem imitabitur potius, quàm eum qui iocandi cauſa rerſutijs captiunculisq; incumbit. Quin & ipſe modeſtius ſeſe geret, & diſputãdi ſtudiũ ex infami reddet illuſtrius. Scitè. Ad eiuſmodi præterea cautionem, ſuperiora dicta ſunt omnia: oportere uidelicet moderatos & graues eſſe illos, qui ad diſputationis ſtudiũ acceſſcuntur: neque communicandum eſſe id ineptis hominibus, &, ut nunc fit, omnibus quoſcunque ſors obtulerit. Summopere. Si quis diſputationi diligenter aſsiduè'que det operam, nihil'ue agat aliud niſi quod uiciſsim quandoque gymnaſiis corpus exerceat, huic ad perceptionem huiuſmodi anni duplices ſuperiorũ ſufficient. Nunquid ſex dicis? an quatuor? Quinq; adhibeas. Deinde ad antrum

illud erunt iterũ deducẽdi, cogendiq́ eos principatus assumere, qui ad bellum spectãt: & si qui sunt iuuenũ principatus, ne usu rerum ab alijs superentur. atq; in his quoq; examinandi sunt, utrũ constantes permaneant, dum trahuntur undiq;, aut nutent. Quot autem annos istis ascribis? Quindecim. Quum uerò ad quinquagesimum annum peruenerint, quicunq; integri inter eos, rebusq́; gestis & scientijs pręcellentes apparent, ad finem iam perducendi sunt, cogendiq́; ut animi radium ad supera dirigẽtes, ipsum quod omnibus lumen præbet, suspiciant: cumq́; ipsum bonum nouerint, exemplo illius freti, ciuitatem, priuatos, seq; ipsos per omnem sequentem uitam, & singula uicissim exornent. Ac plurimum quidẽ in philosophia uersentur: cum uerò ad magistratus accersentur, in ciuilibus negocijs inuigilent, sigillatimq́; gubernent reipublicæ gratia, ita ut non tanquam bonum aliquid & optãdum ministerium, sed necessarium potius exequi uideantur. Atq; ita cum alios similiter ipsi instruxerint, eos uicissim reipublicę custodes relinquent, ipsi uerò in beatorum insulas transmittentur. Monumenta uerò illis & sacra tanquam dæmonibus si Pythias oraculo confirmauerit, publicè dicabuntur: sin minus, saltem ut beatis atq; diuinis. Mirificos prorsus, ô Socrates, Principes quasi sculptor figurasse uideris. Quod de uiris dixi, idem & de mulieribus intelligendum. Neque putes, ô Glauco, magis me de uiris quàm de mulieribus fuisse locutũ, quæcunq; uidelicet natura aptæ ad hæc officia sunt. Rectè se id habet. siquidem pariter in omnibus, ut narrauimus, cum uiris communicabunt. Num concedis nos de republica omnia, non quasi pro desiderio effinxisse, sed pro ueritate loquutos, difficilia quidem factu, possibilia tamen, ea duntaxat ratione qua diximus? Quando scilicet homines reuera philosophi, uel unus, uel plures, nacti in ciuitate potẽtiam, pręsentes honores despiciẽt, illiberalesq; eos, & nullius existimabunt: ipsum autem quod rectum est, & honores qui ab eo proficiscuntur, plurimi facient, maximum uerò & summopere necessarium quod iustũ: & huic ministrantes, idq́; adaugentes ciuitatẽ suam ritè disponẽt. Quo pacto? Omnes quicunq; in urbe decem annos impleuerint, in agros transmittẽt: filios autem ipsorum suscipiẽtes, procul ab his moribus quibus hodie parentes utuntur, morib. legibusq́; suis educabunt: quales uerò sint, enarrauimus. Atque ita celerrimè atque facillimè ea ciuitas & respublica orietur, quam suprà diximus, si quando extiterit, beatam fore, & genus hominum in quo cõdita fuerit, plurimũ iuuaturam. Maximè quidem. Atq;, ut cõstitui posit eiusmodi ciuitas, si quando constituatur, ô Socrates, adinuenisse uideris. Nónne ergo abundè, tum de hac ciuitate, tum de homine eius persimili iam nobis dictum? Constat enim, qualem eius similem esse debere dicemus. Constat planè: & quod quæris, finem mihi iam habere uidetur.

SEBASTIANI FOXII IN LIBRVM .VII. Annotationes.

Naturam inquam nostram.) Id est, quomodo mens nostra in scientia cõprehendenda se habeat, attẽde. *Finge animo.)* Hæc tota in descriptione hac, quæ minimè difficilis est, quanq̃ multa in eam cõmentatur Proclus, proponit Plato, eum uidelicet specum abditissimum esse: deinde uersari in eo homines cruribus ceruicem alligatam habentes, ut unam tantum in partem cernere possint: tum exigua ipsos luce, eaq; a tergo illucente, ad uidendum uti. Sed situ in primis specus describit. *Cogita rursus homines.)* Hactenus de situ specus: nunc de ijs quæ ibi cernantur, agit. *Nam primum quidem.)* Similitudinem accõmodat nostræ intelligẽtiæ, quam eadem in obscuritate rerum uersari inquit, in qua subterranei homines illi. *Nisi fabricatarum.)* id est, Nihil fixum, æternum'ue intuẽtur, sed res solum creatas atq; corporeas. *Contrà uerò nunc animaduerte.)* Quomodo ab ea caligine homines liberari possint, à cõtrarijs ostendit, ut uel ipsa in obscuritate aliqua ex parte illustrentur. *Quid sit, quæ fuerit.)* id est, antea rerum accidentia, nõ essentiam penitus latentem, et à sensibus remotam inspexisse tantum, nunc uerò

uerò intueri. Nõnne dolore oculorum.) Quia maior lux minorem offendit, quòd ea sit ignis natura, ut minorem ignem debilitet: uel quòd obiectum excellens potentiam lædat, cui esse proportionatũ deberet. Consuetudine igitur primùm.) Id est, ut ij qui obscuro ex loco egrediũtur, paulatim assuefiunt luci, quam statim apertis oculis cernere nequeunt, propter subitam mutationem in alterum cõtrarium ab altero: ita consuetudine quadam cognoscendi est opus, ad cognoscendum. Post hæc in aquis.) Ad solis eclipsim alludit, quam in aquis intueri solemus, nõ in ipso sole. Vnde ait, In aquis homines, id est, in corporeis rebus simulacra ueri entis nosse, quia nihil sine ratione materiæ capiamus. In alieno scilicet rure.) id est, Qui lucem hanc externam cerneret, à tenebris liberatus, quamuis alibi esset seruiendum, id est, abiectissimè uiuendum, nollet in specum unquam redire. Nõnne cum repentè) Nam mutatio hæc maiores offundit tenebras. At si umbras.) Turpissimum ait esse, eos qui in clarissima rerum luce uersati sint, aperta negligere: atq; ad obscura, id est corporea redire. Tota hæc imago.) Explicat iam specus huius rationem, cum illi hunc comparat mundũ, in quo tanquam in carcere abditi simus: lucem autẽ tenuem in eo apparentem, solem esse putat, cuius luce illustrati cernamus corporeas res, cernẽdoq; causas earum inuestigemus, ac philosophemur, quod in Timæo docetur. Arbitror in ordine.) id est, In rerum intellectilium ordine ideam boni comparo luci illi tenui in specu apparenti, cuius ope omnia intelligimus. Cum ipsa in loco.) Causam effectricem esse omnium rerum sensilium ideam ait, quòd boni gratia, sicut in Timæo refert, omnia sint facta. Atqui in hoc ipso intelligibilis naturæ ordine seriem hanc ponit Plato:

- 1 Intelligibile.
- 2 Bonum, siue idea boni.
- 3 Lumen, ueritas, mens.

Age & hoc considera.) Cur contemplationi deditι, actionẽ homines prætermittant, in similitudine adducta ostendit. Causas autẽ huius ineptiæ, seu negligentiæ in philosophis, quære apud Gorgiam Platonis. Quod duobus modis.) Duæ mutationes in causa sunt, quòd oculi offuscentur: una, si à luce ad tenebras: altera, si à tenebris ad lucem uenianus. siquidem extremorum contrariorum eadem est ratio. Ita de his cogitandũ.) Idem hic docetur, quod in Menone, ac Phædone, scientiæ initia seu notiones animo nostro inesse, quòd animus expers scientiæ non sit, id est, non careat initijs ad scientiã assequendam. Præsens autem ratio.) Ex superiori similitudine colligit, mentem nostram non esse uacuam notionibus, ut Peripatetici uolunt, sed instructam.
A` generatione usq;) id est, à rebus generabilib. & corporeis, ad æterna & incorporea ascendendo.
Ad hoc igitur ipsum.) id est, Certa igitur aliqua scientia tradi potest, per quam conuertatur animus in illius primi entis ac boni notitiam. Quæ huic oculo.) id est, Nostræ menti tanquam lux sic notiones insunt, quibus bonum ipsum ut lux quædam noscatur: quam tamen intueri mens ipsa nequit, nisi sese ad illud conuertat. Cætera igitur quæ uirtutes.) Hic docet adhuc, animo nostro inesse lucem quandã tanquam sum, id est notiones, per quas capiat scientiam: habitum uerò scientiæ, ac uirtutum usu comparari, quando à natura solam facultatem habeamus. At nondum animaduertisti.) Inesse uim aliquam naturalem nobis, ad scientiam, uirtutesq; capiendas, probat à similitudine eorũ, qui cum uitiosi indoctiq; sint, multa tamen solo naturæ ductu faciant, & intelligant. Ex quo intelligitur, uitium aut ignorantiam prauæ institutioni & consuetudini inesse: quoniam si homines ab infantia inciperent mentem erigere à grauib. corporeisq; rebus, ad æternarum contemplationem, adiumento animi notionum omnia tenerent. Nostrum igitur qui.) Hactenus philosophus ille ciuitatis præfectus descriptus est: nunc ad reipub. descriptionem redit, quando hæc omnia ad eam instituendam referuntur Præcipit igitur huius urbis ciuibus, ne mentem rebus terrenis defigant, sed erigant ad ueritatis contemplationem, exemplo eorũ qui ab specu egrediantur. Oblitus es, ô amice.) id est, Cum tota ciuitas beata esse debeat, siquidem ea de causa coacta ex multis est: necesse est, inquit Glauco, ut unus tantũ princeps beatus nõ sit, id est, philosophus, sed omnes ex æquo. Huic obiectiõi respõdens Socrates, id minimè negat: quinimò qua ratione philosophi esse cuncti ciues possint, ostendit. Sed cum cogemus.) Quoties persuadere quid alij uult Plato, prosopopœia ad eos utitur, ut in Timæo Deus summus ad iuniores deos loquens facit, alijsq; in locis Socratis oratio ad alios inducitur, ut uel in hoc ipso: in quo ciuib. suis persuadet, proposito discrimine philosophi ueri à falso, eos uerè philosophos ac beatos esse, quòd sic sint instituti. Descendere ergo uicissim.) id est, Vt noscatis, ò ciues, nostram remp. bene esse constitutam, ad alias prodite, ut ex cõtrariarum collatione, uestræ præstantiam noscatis. Sed tamẽ ut id ipsorum arbitrio non committat solum, sed aliquam item regulam tradat, inquit: Ciuitas profectò, in qua.) Illam esse animaduertito bonam remp. in qua ciues sic philosophi sint, ut cum eorum opera sit opus, ad remp. accedant sine ambitione: atq; etiã illam, in qua ij, ex quorum numero deliguntur magistratus, uel ipsis sint magistratibus meliores: non q; hi sint mali, sed quòd cum illis collati, sint inferiores multo. cõtra uitiosa erit ea respub. in qua magistratus sint omnium optimi. His tanquam regulis propositis, concludit, tales esse philosophos eos, quos hac in repub. constituerit, quales descripserit. id est, ciues reipub. studiosos, non ambitiosos, ueri contemplatores, qui animum ab his rebus corporeis ad incorporea euehant, ut separatione hac ueram philosophiam,

quemadmodum in Phædone dicitur, assequantur. Quæ nam igitur erit, ô Glauco.) Cũ artes huius sapientis principis ediscendæ quærantur, eæq; ab alijs sint separandæ ac distinguendæ, ne quis putet esse illas musicam & gymnasticam, aut quas suprà in custodum institutione retulit, sed alias quasdam diuersas ac præstantiores: & ea quæ illis de artibus antea disseruit, repetit hic nunc, & alias à principe artes aut ediscendas: id quod in Epinomide fecit, dum sapientem illum legislatorem describeret. Nonne enim eos esse.) id est, Supra iuuentutem diximus robustam esse debere ad bellum pro patria sustinendum: ideóque illi gymnasticen addidimus, qua confirmaretur id quod augescit & deficit, id est, corpus: sed neque hæc scientia sapientem hominem facit, quod circa corpus uersetur. An fortè genus illud musicæ) id est, Præcepimus item iuuentuti, ut musicam in moribus temperandis aptissimam ediscerct, cuius una pars in sermone falso uersatur, ut poesis: altera in oratione uera, id est cantibus. sed neque in hac etiam scientia, eius'ue parte aliqua, est sapientia. Age itaque, si nihil ab his.) id est, Quòd si nulla in earum artium, quas diximus, est musica, quæramus iam in qua consistat. Inductione quadam Plato singulas artes persecutus, quæ'nam philosophum deceant, & quæ rursus dedeceant, quærit. In primis interim arithmeticam artem proponit, id est, arithmeticam, ut quærat, an ea sit necessaria. Commune scilicet illud, quo omnes.) Arithmeticam obscuris uerbis describens, eam dicit esse artem, quæ illa quæ sensibus ac disciplinis omnibus sint notissima, tradat: ut numeros, quorum omnes artes participes sint, propterea quòd sine numero nihil existit. Verùm hac de re longè plura in Epinomide Plato.

Necessariam ergo numerorum) Arithmeticam, cuius iam descripsit, principi philosopho ait in primis necessariam esse, quòd nihil ab homine prius noscatur, quàm numerus in quaque re: quodq; naturæ rationali, cuius est proprium numerare, id maximè congruat, cum ratiocinari nihil sit aliud quàm numerare. Animaduerte quemadmodum.) Quia supra philosophum res tantum in mentem cadentes dixit contemplaturum, modoq; arithmeticam ab eo ediscendam retulit, docet eandem esse ex numero artium intellectilium, cum artium omnium siue scientiarum aliæ sint circa res sensiles, aliæ circa intellectiles. Conabor equidem sententiam tibi.) Cum scientias distinxisset Plato in intellectiles & sensiles, eam nunc distinctionem à rerum diuisione confirmat, quando pro ratione subiectorum artes narrantur. Quædam enim ait certò sensibus cõprehendi ut ea quæ ennum tantum cadant in sensum ut colores, sapores. alia uero dubiè comprehendi, quæ tamẽ ad intelligentiam nos ducant: ut illa quæ cum communia pluribus sensibus sint, nec ab uno sensu certo capiantur, nisi à mente cognoscantur, errorem inducerent: ut motus, numerus, quantitas, aliaq; huiusmodi uarios in sensibus calumnia. Atqui hoc secũ rerum genus, exemplo quodam digitorum edocet: ut intelligatur error sensuum, & occasionem ad inuestigationem ueritatis data. Hic animaduerte, Platonem errorem nullum sensibus tribuere circa propria obiecta, quod Peripatetici etiam docẽt: sed circa illa, quæ communia multis sensibus sint: tum rerum intelligentiam putare nasci ex eo, quòd sensus fallantur in multis, quæ mens ipsa contemplando inquirat, quum sensus ad unum tantum obiectum corporeum distincti sint. Hæc sunt, quæ nuper dissirere.) Postquam distinctis artiũ subiectis, quarum non rerum esset contemplatio, dixit: redit ad arithmeticæ genus inquirendum, quod ante instituerat. siquidem oportet asserentem, nullam esse philosophi aliam scientiam nisi intellectilem, docere, arithmeticam etiam ex eo genere esse. Quæ sine dubio est talis, quando numerus certo quodam sensu non capitur, sed mente abstrahente illum à materia rerum numeratarum. Si enim sufficienter ipsum.) id est, Si obiectum cuiusque sensus per se spectetur, quo illi sensus acquiescit, non præbet occasionem menti, ut eius rationẽ inquirat. si uerò aliquid contrarium suboritur, id est, si cadit idem obiectum in diuersos sensus, ut lateat dubitatio, num id huius an illius sit sensus, aut num hoc sit, an eo modo: tunc mens erigitur ad contemplationem rei à materia separatæ, atq; ita fit scientia intellectilis. Hic nota, dubitationem causam inquisitionis fuisse, ut Aristoteles item libro primo Metaphysicũn ait. Atque hoc pacto unius consideratio.) Vnum, siue unitas et numerus differunt, quòd numerus ex unitatibus constat. Circa utrunq; autem, id est, enumerationem unitatum tanquam subiectum uersatur arithmetica, eademque e genere intelligibilium scientiarum est: quando unitas & numerus nullo certo sensu capitur. Simul namq; ipsum unum.) Ratio est sumpta à subiecto, qua docetur, arithmeticam esse ex artibus in intelligentiam cadentibus. Sic enim ait. Vnitas & numerus non magis hoc quàm illo sensu capiuntur: ergo mente solum intelliguntur. uersatur autem arithmetica circa numerum: ergo intellectilis est. His positis, concludit, eam artem philosopho necessariam esse, ut in bello milites, in pace reliqua numerare queat, ac denique ut essentiam attingat è fluctibus generationis emergens: id est, ut anocet mentem à rebus generationi subiectis, & corporeis, erigatq; ad ueri entis contemplationẽ. Conueniens utiq; institutio.) Docere uult, nõ quodcunq; arithmeticæ notitiam cõmodum esse: sed eam præcipuè, quæ à corporeis rebus erigit mentem ad incorporea. neque enim praxis tantum utilis est, quantum est simul, quantum ipsa theoria. Hoc ipsum, inquam.) Duplex est numerus: unus, qui numerans dicitur, nostræ menti insitus, per quẽ omnia numeramus: alter numeratus, id est, in rebus numeratis situs. illius contemplationem perutilem esse ait, quod ad

ad contemplationem rerum intellectiluũ erigat animum, quàm diu consideret in se quisq;, quomodo numeret mens, id est, numeros rerũ contẽpletur. Hanc igitur inam esse uel maximam arithmeticæ utilitatem, quòd mentem ita erigat, docet Socrates. Addit aliam item rationem à naturæ nostræ insumptam, q. homines natura numeros noscant, eorumq; in se habeant notiones, cum ait: An & hoc aduertisti.) id est, Hominibus numerorũ notitia insculpta est à natura, eorumq; contemplatio utiliß. est. Post hoc, quod huic proximũ.) Transit ad geometriam, quã secundo loco à philosopho ait ediscendam, quòd minus sit simplex quàm arithmetica, utpote quæ in magnitudine coniuncta uersetur, quã mens nostra sensuum cõprehensione, id est, multorum perceptione usa, nunus assequitur. Huius in primis usum ad rem militarem, cæterasq; reip. necessaria officia ostendit, ut eam à philosopho ediscendam doceat. Sed præter hos ipsius usus pragmaticos, eam ait esse potißimum Plato, q. & Geometria & Arithmetica cogant mentem inuerti essẽntiã: id est, ab omni materiæ concretione discedere ad contemplationẽ ueri entis, quod sensu comprehendi non potest. ideoq; ait: Profectò hoc nobis nõ negabunt.) id est, Quamuis Geometriæ praxis ad multa conferat, tamen potißima eius pars est Theoria, quæ philosophum doceat, mentem ab his materialibus auocare, contemplariq; incorporea: siquidem ipsa & magnitudinem, & omnes eius rationis extra materiam intuetur. Nam uelut operatores.) id est, Praxim uerò huius amplecti, ut in efficiendis quadratis, producẽdis lineis, addendis ue segmentis ad aliquam figuram, exiguũ est, & minus utile, quàm horũ omnium causas intueri. Animaduerte, in hisce artibus mathematicis & praxim, & theoriam esse: ut in arithmetica, geometria, & musica.

An non id quoq; nobis.) Cũ usum, partesq; geometriæ descripserit, nunc eam philosopho utilẽ esse docet, hoc argumento: Omnes artes mentem ad cõtemplationem rerum incorporearũ erigentes, à philosopho sunt ediscendæ: talis aũt est geometria: igitur est ediscenda ab illo. Quare hanc discat ipse nec modò noscat theoriam, sed praxim etiam. An tertio loco ponemus.) Addit superioribus Astrologiam: cuius item duplicem usum ostendit: unũ praxeos, alterum theoriæ. nam ad bellũ, nauigationem, agriculturam, aliaq; huiusmodi utilis ea est in rep. sed id præcipuum confert, q. eadem est tanq̃ instrumentũ, quo animus purgatur à sordibus contemplationis rerum corporearum, erigiturq; ad ueritatem intuendam, dum species motus cœlestis causis, & rationib. immaterialis incipit intueri. Qui aũt id nunquã.) id est, Qui non deprehenderunt hunc in astrologia usum, sed praxi tantam artẽ metiuntur, hæc fortè irridebunt, quæ dixisti. Age igitur, inquã.) Proposita astrologiæ utilitate, redit ad geometriæ iam atq; usum describendum, quo magis non solum illa, sed & astrologia ipsa, quæ illius species est quædam, intelligatur. Ipsam ergo Geometriam imperfectam ait suo tempore fuisse, duabus de causis: prima, q. in honore nõ esset, quæ res nullũ incitabat ad perficiendã artẽ: secũda, quòd eius inquisitionis nullus erat studiosus: ac si fortè erat, is elatus arrogantia ad alios se nõ accõmodaret. Defuisse aũt ait solidorũ corporũ rationem, quam Stereometriam appellant uulgò: cũ antea planorũ corporum tantũ ratio, atq; etiam circularium, siue eius solidi corporis quod circũferatur, cognosceretur: ignoraretur uerò illa species solidi, quæ profunda efficit corpora, quæ cubica communi uoce dicitur, q. post superficierũ extrusionẽ seu augmentũ in profunditatẽ efficiatur, cũ plana corpora e superficie tantũ, solida seu cubica ex ductis in altũ superficieb. fiant. Sed hanc rem magis explicat, cũ ait: Studiũ quod circa planũ.) id est, Suprà tu, cum geometriæ mẽtionẽ faceres, eam duntaxat circa corpora plana uersari dixisti, postea ad astrologiam es progressus, quasi nihil aliud geometriæ inesset, q̃ ut circa plana uersaretur. Glauconis uerba sunt, defectũ huius artis ostẽdẽtis. Qua de causa Socrates Stereometriã nondũ inuentã tertio loco post arithmeticã, geometriamq; cõstituit, quarto uerò astrologiã: quanquã hodie uulgus stereometriã geometriæ adiũgat, tertio uerò loco astrologiã, quarto musicã ponat. Atq; etiã astrol laud.) Cũ ab astrologiæ descriptione ad stereometriæ rationem Plato sit digreßus, nũc redit ad institutũ, ut quod duab. in artibus suprà fecit, in hac quoq; faciat: id est, usum, formamq; huius artis ostendat. Distinctis igitur his, in eas quæ ad contẽplationẽ ueri entis, & illas quæ ad materialiũ rerũ tantũ notitiam erigãt animũ, concludit, astrologiã, quæ ad contemplationẽ entis excitet, à philosopho esse discendam. Verùm qua rat. disc.) Quasi obiectioni respondens docet, nõ erigi animũ ab astrologia, si cœli motus, cõuersionesq;, temporũ noscamus, contenti hac noticia motus cœlestis: nisi inde erigamur ad rationes eorũ motuũ, autoremq; contẽplandum, in quo est cõtemplatio ueri entis. Ideo concludit, sic ediscendã esse hanc artẽ, ut id potißimũ unum spectemus. Sapientiæ cõpos nat.) id est, mens nostra, quæ suapte natura capax est supremæ scientiæ, quæ à sensibus abhorret. Nullam ad præsens.) Post astrologiã adiũcturus musicã Plato, Glauconis hortatu, nõ uult statim eam subiungere, quasi cõstet de illa arte quicquã: sed de cœli motu quædã præponit generatim, ut genus eius artis ostẽdatur. Animaduerte hic Platonẽ adiũxisse musicã astrologiæ, tanq̃ eius speciẽ quandam: sicut stereometriã geometriæ, nõ ut uulgus hodie, arithmeticæ. quoniã Pythagoræ sententia cœlũ harmonia quadã mouetur, et musicã ex eo motu discimus. Qua etiã de causa de motu agit in primis. Attamen non.) id est, Duæ sunt motus species, quæ circa idẽ subiectũ uersantur, & duobus sensib. capiuntur: una oculos mouens, qualis est conuersio globorũ cœlestium, in astrologiæ rationẽ cadens. altera, aures incitans, qualis est harmonia motuum cœlestiũ, quæ musicã efficit. Ex quo intelligitur, astrologiã & musicã eade causa germanas esse,

& originem

& originē musicæ ipsum esse cœli motū. An igno ras.) Postquā musicæ ortū descripsit, cuius nūc addit usum in repub. doctāq; musicæ notitiā uerā non esse sitam in ipsa sonorū auditione, quæ tota sensilis est: nec in notitia tonorū, & concentus uoluptate, quod uulgus existimat: sed in contēplatione rationū cuiusque harmoniæ, adeóq; theoria ipsa, ut inde mens excitetur ad rerū incorporearū contemplationē. Atq; ita propositis omnib. mathematicis artibus, cōcludit Plato, eas à philosopho tanq̄ necessarias ad praxim & contemplationē ediscēdas, quādo in codē utrūq; requiratur ad remp. recte gerendā. Arbitror aūt.) id est: Ita sunt hæ artes ediscendæ, ut q̄d in iis sit commune, quid'ue discrepans, hoc est, cōnexio, discrepantia, totáq; eorū ratio inter se noscatur: quod ad theoriam maximè pertinet. Quid initiū.) Cum dixerit mathematicorū rationē, connexionemq; noscendā, neq; modus quo id fieri possit, fuerit expositus, hoc est, de dialectica nihil fuerit dictum: eadē re agere iam uult Plato quanq̄ eam artē nondū fuisse ait perfectā suo tempore, q. non omnes possent accipere ac reddere rationē, id est cuiusq; rei propositæ rationē tenere, eamq; argumentando (nam id est accipere ab alio rationē, & ei uicissim aliā reddere) cōfirmare, nihilominus tamē eam usq; adeò utilē esse inqt, ut sine ipsa rectè nihil sciatur. Nóune hæc lex.) Docet disserendi artē seu dialecticā ad intelligibilia nos ducere, q. disserere mētē faciat nō sensibus: id quod astrologiæ similitudine ostēdit, quæ nō intueatur cœlestes motus solū, sed eorū rationes inquirat potius. ideóq; ait, dialecticā esse progressionē quandā à sensibilib. rebus ad intelligibilia: nō solum q. mentē ad id inuet, sed q. ex singulis etiā uniuersalia colligat. Atqui quemad.) Cum omnes artes à philosopho ediscēdas tradiderit, similitudinē speluncæ superiorē repetit, ut intelligatur, quemodo illæ omnes mentē à corporib. ad cœlestia et incorporea excitent. Memēto hic simulacra & umbras uere entiū appellari, ut alias sæpe, res corporeas, quæ ad ideæ seu uere entis formā sunt factæ. Veruntamen cū in.) Dixit dialecticam unā esse ex iis artibus, quæ mentē erigerēt ad ueri entis contemplationē: nunc ad eum usum ostendendū redit: nam superiora proœmij loco se ait retulisse. Appellat hic dialecticā legē, ut suprà, q. legem disserendi, formāq; tradat. Quare dic.) Tria de dialectica proponit ad dicendū: primū, quis modus sit huius facultatis seu artis: secundū, quas habeat species: tertiū, quas uias habeat, seu methodos. Hac tamen in re magnā inesse difficultatē inqt, q. nondū illa de arte omnia cōstent, tamē daturū se operā, ut quæ proposuit, explicet, doceatq; in homine dialecticæ perito inueniri posse. Nemo aūt aduers.) Officiū dialecticæ loco descriptionis statuit, quādo de illa est disserendū: itaq; ait eam esse artē, quæ certo ordine ac methodo doceat essentiā cuiusq; rei inuenire. quòd aūt id eius sit propriū, ab artiū reliquarū differētia ostendit, quoniā reliquæ essentiæ accidētia, illa uerò essentiā ipsam intueatur. Nā mathematicæ nō essentiam, sed essentiæ accidens, id est magnitudinē considerant: physica non cernit essentiā, sed imaginatur, somniatq; de essētia, utpote quæ in rerū corporearū notitia uersetur: ergo his omnib. præstantior est dialectica. Animaduerte hic, dialecticā à Platone metaphysicā dici. nam ideo ait eam uersari in essentia noscenda, illiq; postponit mathematicas, quæ mediæ inter eam & physicā sunt. Addit aliā causam, cur mathematicæ minus certæ hac dialectica sint, q. eædem utantur hypothesibus tanquā certis principiis, cum nō sint, idq; necessitatē scientiæ nullā faciat: quando uacillantibus principiis, ipsa quoq; uacillet cōclusio. Dialectica uerò sola.) Metaphysicæ, seu dialecticæ præstantiā à cōparatione ostendit, eam dicens ad entis ueri contemplationē erigere, utiq; ad id efficiendum tanquā administris, sic artibus mathematicis: quarū exemplo incipiat ipsa abstrahere à rebus materiam omnē. Eas porrò sæpe.) id est Mathematicas appellamus scientias, non q. ueræ scientiæ sint, si cū dialectica conferantur: sed q. id usus obtinuerit. Vnde medias illas constituit inter scientiā & opinionem q. inter physicam, id est corporū notitiam, & metaphysicā, id est certā scientiā sint mediæ. Placet igitur.) Cū ens in suas partes suprà distingueret, animi uires unicuiq; respondentes retulit, ut gradus scientiæ ostenderet. Nunc idem repetit, quando dialecticam supra mathematicas cōstituit, ut quā in animi partē illæ, in quam hæ cadant, doceat. Quam in re huiusmodi proportionē esse ait, quā nos in hac figura, ut melius intelligatur, subiicimus.

essentia, id est, ens uerum — non ens, seu res generabilis

intelligentia | scientia — cogitatio — fides — imaginatio | opinio

dialectica — physica

mathematicæ

En uides, quomodo habita ratiōe ueri entis, ac nō entis, supremū scientiæ gradum dialectica seu metaphysica, infimū physica, mediū mathematicæ teneant: sicut & gradus noscēdi in animo eandē habent. Annō dialect.) Cū dialecticā à reliquis artibus distinxerit, qualis dialecticus sit, docet. ait enim, illū entis supremi, ac boni indagatorē, sapientēq; scire: sicut de metaphysico libro ea de re inqt Aristoteles. Hunc tu.) id est. Qui nerit istam facultatē, quā dixi, & ueri entis, et boni notitiā habuerit, reliqui uerò nō item.

Restat

Restat ergo deinceps.) Hactenus artes à principe philosopho ediscendæ, enumeratæ sunt: nunc quo ordine eædem tradãtur, docet: quando ad doctrinam nihil æquè atq; ordo cõducit. Quem quidẽ ordinem ut ostendat, repetit ea quæ de principis munere sunt antea dicta, ut reliqua cum ijs cõiungantur. Magis enim absterret animum.) Difficultatẽ doctrinæ comparatione corporeorum exercitamentorũ ostendit: quæ cum laboriosa sint, citius tamen suscipiuntur, quàm literarũ studia. Principiò ad labores suscipiendos.) In similitudine seu cõparatione proposita perstat. ait enim necessariam in primis esse philosopho naturæ uim ingenijq; dexteritatem, ut propositas artes capiat: quando sine hac claudicare illum, id est, imperfectũ esse necesse sit. Claudicatio enim eodẽ modò fit in animo, atq; in corpore: si quis animo nõ bene formato, institutoq; sit: ut si affectibus quis frequenter cõmoueatur, si de rebus nõ rectè iudicet, si alia demũ agat, quæ in uirũ non cadũt sapientẽ. Cæterùm nõnihil mihi.) Cum dixerit sapientẽ affectib. cariturũ, excusat se, quòd suprà inuectus sit in philosophiæ reprehẽsores, nec in eo sapiẽtiæ præceptum pauerit. Hoc nos aũt non fugiat.) Proposita tanquã fundamento ingenij facultate, quam in principe requirat: ætatẽ iam cuiq; arti ediscẽdæ definit, id quod lib. 8. Polit. ab Aristotele fit. Ait itaq;, iuuenilem ætatem his studijs esse aptissimã: nec obstare, quòd dixerit, principem senem esse debere, quando senes plura discere iuuenib. nequeãt, ut Solon dicebat: et senũ in moribus, non in ætate solum, ut ait Aristoteles lib. 1. Ethic quæratur: cumq; senes studiorũ laborem, ut iuuenes, ferre nequeant. quorum ætas infirma, exhaustaq; sit. Quæ dialecticã antecedere.) Animaduerte hic, mathematicas artes prius, quàm dialecticam, ediscendas: tum ordinem in studijs à iuuentute obseruandum. Ergo non tanquã coact.) id est, cum ætatem iuuenilẽ studia deceãt, quæ docilior est: tamen illa ita tractanda est, ut labore aut morositate nõ absterreatur ab studijs, sed incitetur potius uel præmijs, uel alia quauis ratione. Quando à necessarijs.) Tempus item studijs aptũ definit, quod in iuuenili esse ætate, in senili uerò minimè posit: nimirum, ut tunc studia capiãtur, cum ocium est, ne aut labore diuersarũ curarũ frangatur animus, aut somno atq; ocio languescat: utrunq; enim necessariũ est. Post id tempus quicunq;.) Finis earum artiũ quas retulimus, erit, ipsum ens uerũ ac bonũ intueri: id est, ueritatem nosse nudam, ac simplicem. ergo paulatim iuuenes deducendi, cum instituũtur, sunt per eas artes, quæ minus id præstant: ad illam artem, quæ id perficiat omnino: id est, ad metaphysicã, seu dialecticam: quam cum teneãt, ad rempub. demũ uocẽtur. neq; enim decet, ueritatis inscios ad eam accedere. Mirum aliquid perpeti ipsos.) Cum ætatem unicuiq; studio aptam describat, similitudine quadã docet multũ referre, quibus artibus quisq; ab infantia imbuatur, & quo animo, quibus'ue affectib. sit. Itaq; ait, in nobis à natura esse opiniones quasdam, seu notiones, quas crescentib. affectib. in bonũ, prauũ'ue usum accommodare soleamus: nisi admoniti principio aliqua recta institutiõe, rationeq; ueritatis, ijs rectè utamur. quo nomine, in prima ætate artes iam relatæ ediscendæ sunt: in adultiori uerò, ut anno trigesimo, cum iudicium est integrũ & maturũ, dialectica ediscenda, quæ nõ modò uerũ ens inquirere, sed iudicare etiam rectè de rebus docet. Nam si alia ætate capiatur, multa inde incõmoda orientur, quæ ex his patebũt. Vt igitur miserabilis hic.) Iuuenibus esse incommodam dialecticã ait, multis de causis: præcipuè aũt, quòd ea ueritatis inquisitionẽ, rectiq; iudicij usum requirat, quod in iuuene nõ sit: deinde, quòd iuuenes arguti et cõtentiosi existãt in disputando, quæ res ueritatẽ occultat. Si quis disputationi diligenter.) id est, quòd si quis dialectica nõ bene utatur, sed argutationibus cõtentiosis delectetur, remoueatur ab eo studio, remittaturq; ad illas priores artes, quas iunioribus proposuimus: cum maturiora iudicia facultas illa requirat, addaturq; illius institutioni longius tempus: quando definitũ spacium alijs, ei satis ad rectam institutionem nõ fuit. Nunquid sex dicis, an quatuor.) Rogat Glauco, quantũ temporis talibus hominibus dialectica abutentibus sit præscribendum, ut iterum instituantur? Respondetq; Socrates, quindecim annorũ. nam quinque additis denario, totidem efficiũt.

Deinde ad antrũ.) Alludit ad specum ignorantiæ suprà positum, dicens, tanquã in specum tenebricosum, sic ad artes minus certas & ueras remittendos homines dialecticæ inutiles, quòd eorum mentes huius scientiæ uim non satis capiant. Vtrum constantes permaneant.) id est, postquàm in illis primis artibus sint bene uersati, examinentur, num possint ad dialecticã adduci. Cum uerò ad quinquagesimũ.) id est, Cum autem ijdem illi ad senium peruenerint, tandẽ ad contemplationẽ ueri entis accedãt, in eaq; uersentur, quando antea non licuit per ineptiã. nisi fortè Respub. illorum opera indigeat: tunc enim deserenda est contẽplatio, ut Reip. cõsulatur. Optandum ministeriũ.) Hoc animo ad Rempub. accedendum putat Plato, ut eius quæratur utilitas, nõ priuata: siquidem magistratus Reipub. ministrant, nõ dominãtur. Quod de uiris dixi.) Omnia Reipub. munera Plato paria esse uiris cum fœminis uult: ideo idem de fœminis principibus statuendũ putat, quod de uiris sit hactenus dictum. Quod ut facilius intelligatur, epilogi loco omnem philosophi principis munus, descriptionemq; repetit. Omnes quicunq; in urbe.) Vnum ex principis muneribus esse dixit, ut ciuitatem bene disponerẽt, & constituerent siquidem id eorum propriũ est. nunc qua ratione ciuili ordines, & quasi classes cõstituendæ sint, distinguendaq; singulorũ munera, ad finem ostendit. Nihil uerò de forma distinguendæ ciuitatis refert, quòd in legibus accuratius doceatur: hic autem arbitrio philosophi ac sapientis uiri commodius possit committi.

Hoc in libro Socrates cum Glaucone de formis Reipub. omnibus differit: easq; cum optima illa, quã hactenus descripsit, confert. Nam superioribus quidem in libris, quia quinq; Reipub. formæ sunt constitutæ, perfectissimam proposuit, quam regnum licebit appellare: nunc uero reliquas quatuor cum eadem illa comparans, id est, aristocratiam, oligarchiam, democratiam, & tyrannidem, quomodo aliæ ex alijs nascantur, et quid singulæ uitij habeant, ostendit. Quamobrem initio quidem libri breuem totius Reipub. à se descriptæ imaginem proponit: deinde, quot sint, esse ue possint omnino formæ, quærit mox. singulas formas cum prima illa optima collaturus, quemadmodũ eadem in reliquas paulatim degeneret, docet: in primis quidem in aristocratiam, deinde in oligarchiam, tum in democratiam, postremò in tyrannidẽ. Putat autem hasce formas ex se mutuò gigni, diuersas ob corruptionis causas, quas deinceps enumerat.

PLATONIS DE REPVBLICA
LIBER OCTAVVS.



ESTO, inquam: cõstitit equidẽ inter nos, ô Glauco, in ciuitate optimè instituta cõmunes esse debere mulieres & filios. Communem quoq; omnem eruditionem. Communia similiter omnia, tum belli, tum pacis officia. Reges autem ipsorũ esse homines debere in philosophiæ & rei militaris studio præstantissimos. Constitit planè. Quin & hæc cõcessimus, quòd scilicet cum tales principes iam fuerint constituti, in expeditionẽ euntes, habitatiões militibus, quales prædiximus, assignabũt, cõmunes scilicet omnibus, in quibus nihil cuiusquam sit proprium. Neque de habitatione solum, uerùm etiam de supellectili & possessionibus, si recordans, quales debeant esse, cõuenimus. Memini equidem, inquit, cẽsuisse nos nihil eorum quæ nunc possident alij, esse ab aliquo possidendum, sed tanq; belli athletas atq; custodes in mercedem custodiæ annua ab alijs alimenta suscipientes, eos oportere & sese & ciuitatẽ tueri. Probè, inquã. Sed postquam hęc absoluimus, repetamus iam unde hinc digressi sumus, ut per eadẽ rursus proficiscamur. Haudquaquam difficile istud. ferme enim, quemadmodum nunc, quasi de ciuitate satis egisses, adiecisti, quod talem ciuitatem bonam uocares, qualem descripseras, bonumq; uirum quicunq; illius foret persimilis: cum talem posses adhuc, ut apparuit, meliorem ciuitatẽ uirumq; referre. Dixisti præterea, si hæc recta sit Respublica, cæteras aberrare. Reliquarũ uerò Rerumpublicarũ, ut memini, species esse quatuor, de quibus uerba facere oporteret, earumq; defectus inspicere, & homines ipsarum similes declarare: ut eos omnes intuiti, & quis optimus sit uir, quis pessimus, declarantes, consideremus nunquid uir optimus felicissimus, pessimus autem sit miserrimus, an se res aliter habeat. Cum uerò abs te ipse quærerem, quas potissimum quatuor Respublicas diceres, tunc sanè Polemarchus & Adimantus mihi sermonem interruperũt: unde tu orationem sumens, huc denique peruenisti. Rectè admodum meministi. Ergo rursus tanquam luctator eandem ansam præbe, & me idem interrogãte, conare nunc ea dicere quę tunc eras declaraturus. Si quidem potero. Equidem audire percupio, quas'nam respublicas quatuor suprà dicebas. Haud difficile istud audies. Sunt enim quas dico, illæ quæ & nomina habent, ipsa uidelicet quæ à multis laudatur Cretensis & Laconica. Secunda uerò secundo loco laudata, ea quæ paucorum potentia nominatur, plurimis plena malis Respublica. Item quæ ab hac differt plurimum, eamq; sequitur, gubernatio popularis. Preterea generosa tyrannis, ab his omnibus differẽs: quartus ciuitatis, extremus'que morbus. An aliam habes Reipublicæ formam, quæ in perspicua & distincta quadam ratione sit sita? Nam & minores quidam principatus, & regna uenalia, &

tales quædam ciuiles potentiæ inter hæc quodammodo medium obtinent. Quarum non pauciores inter Barbaros quàm inter Græcos reperiuntur. Multæ certè, & absurdæ memorantur. Totidem quoque sunt hominum quodammodo species atque mores. An ex quercu forte existimas, aut silice Respublicas fieri potius, quàm ciuium moribus, qui quocunque fluxerint, cætera secum rapiunt? Ex moribus procul dubio. Quare si gubernationum species quinque sunt, priuatorum quoque animorum affectus quinque erunt. Nil obstat. Virum certè similem optimatum gubernationi uidimus, quem bonum & iustum rectè asserimus. Vidimus. Deteriores deinceps narrare decet, contentiosum ambitiosumque hominem secundũ Lacedæmoniorum Rempublicã institutum: præterea paucorum imperij cupidum, & popularem hominem, & tyrannicum: ut iniustissimum discementes, cum iustissimo comparemus: perfecteque cognoscamus, quomodo summa meraque iusticia ad summã se ac meram iniusticiã habeat, quo ad hominis iusti uel iniusti beatitudinem, uel miseriam pertinet: ut uel Thrasymacho obtemperantes, iniusticiam prosequamur: uel præsentibus rationibus persuasi, iusticiam. Ita prorsus agendum. Num, sicuti cœpimus antè in Rebuspublicis mores animaduertere, quàm in priuatis personis, quia illic magis pateant: ita & nunc in primis consideranda est ambitiosa Respublica, cuius nullum habeo nomen præter ambitiosam potentiam, & principatum: post eam uerò uirum talem considerabimus: deinde paucorum potentiam, talemque uirum: postea multitudinis gubernationem, & hominem popularem: demum tyrannide pressam ciuitatem considerantes, & inde tyrannicum cognoscentes animum, conabimur ea quæ proposuimus, sufficienter dijudicare? Rectè in huncmodum inspectio, iudiciumque procedet. Age itaque explicare conemur, quo pacto ambitiosum imperiũ ex optimatum gubernatione nascatur. Quin hoc simpliciter uerum est, omnem Rempublicã ex eo quod dominatur, mutari, quando in ipso seditio oritur: dum uerò secum ipso consentit, etiam si ualde exiguũ sit, mutari impossibile est. Est ita. At uerò quonam pacto, ô Glauco, ciuitas hæc nostra è suo statu mouebitur, principes & defensores inuicem & inter se dissidebunt? An uis, imitantes Homerum, Musas oremus, ut nobis explicent, qua ratione seditio primùm incidat? Dicamus ipsas tragicorum ritu, nobiscum ueluti pueris iocantes, nugantesque ita loqui, ut dum nugantur, seriò agant, magnumque quiddam loquantur? Quonam pacto? Ita fermè. Difficile quidem est ita cõstitutam ciuitatem à suo statu moueri. Verùm cũ omne quod genitum est, corruptioni sit obnoxiũ, talis etiam constitutio semper manere non poterit, sed soluetur. Solutio uerò hæc est: non solum circa plantas, sed terrena etiam animalia, fertilitas & sterilitas animæ, corporumque contingit, quando reuolutiones singulis circulorum coniunxerint ambitus: his quidem quæ breuis sunt æui, ambitus breuiores, contrarijs uerò contrarios. Illi uerò quos ad ciuitatis gubernationẽ educauistis, quãuis sapientes fuerint, nihilo magis uestri generis uel fœcundam uel sterilem generationem, ratione unà cum sensu assequantur, sed latebit eos opportunitas generandi, & plerunque cum non opportunum fuerit, gignendis filijs operam dabũt. Est autem ei quod diuinitus generandum est circuitus, quem numerus cõtinet perfectus. Humanæ uerò geniture is utique, in quo primò augmentationes superantes, & superatæ tres distantiæ, atque quatuor terminos accipientes, similantiũ & dissimilantium, & crescentium et decrescentium, cuncta correspondentia & comparabilia inuicem effecerunt, quorum sesquitertia radix quinario coniuncta, duas harmonias præbet ter aucta. unã quidem æquale æqualiter, centũ centies, alteram uerò, æqualis quidem longitudinis,

tudinis, sed oblongiori, centum quidem numerorum ex diametris compa rabilibus inuicem quinarij, indigentibus uno ex singulis, duobus uerò qui inuicem dici nequeant, centum uerò cuborũ trinitatis ipsius. Vniuersus autem hic numerus geometricus talem autoritatem habens, ad potiorem deterioremq́ue generationem uim habet. Quòd si ciuitatis uestræ custodes ignorauerint, nec opportuno in tempore spõsas spõsis coniunxerint, haudquaquam ingeniosi fœlices'ue pueri inde nascentur. Aclicet maiores ipsi eos constituant principes, qui inter illos præstantiores fuerint: tamen quia indigni erunt parentum successione, in ipsis magistratibus subiectos negligent, neq; musicæ curam ut decet habebunt, neq; gymnasticæ, unde iuuenes nimis erunt à musica alieni. Ex his autem principes constituentur negligentiores quàm decet, ad examinandum genera illa quę apud Hesiodum, & quæ apud uos referuntur: aureum scilicet genus, argenteũ, & æneum atque ferreum. Quoniam uerò mixtum erit agento ferrum, & æs auro, dissimilitudo & inæqualitas discors exorientur. Quæ ubicunq; nascuntur, bellum semper & inimicitias pariunt. Genus autem huiusmodi hominum ubicunque adest, semper seditionibus agitatur. Recta admodum respondere illas dicemus. Necesse est enim, cum Musæ sint. Quid uerò posthac Musæ dicent? Postquam orta sedino fuerit, utraque genera ferentur, ferreum quidem & æneum ad quæstum, agrorumq́ue & domorum possesionem, auriq; & argenti copiam. Quod uerò inest aureum, & argenteum, quasi non inopi, sed opulẽta natura, ad uirtutem statumq; pristinum: pugnãtia uerò inuicem, & in cõtraria retrahẽtia, in medium tandem conuenient, ut diuisis agris & domibus priuatim quæq; possideantur: illi uerò qui antè ab eis seruabantur tanquam liberi, amici, & nutritores, in seruitutem redigantur, & uelut subditi atq; serui, belli custodiæq; ipsorum curam gerere compellãtur.

Hinc & mihi certè uidetur mutatio hæc accidere. Hæc utique gubernatio inter optimates & paucorum potentiam erit media. Erit certè. Mutabitur quidem ita. Cum uerò in id fuerit permutata, quem potissimum gubernationis modum seruabit? Vel cõstat, quòd partim priorem Rempublicam imitabit, partim paucorum potẽtiam, utpote quæ in medio locata est, partim etiam quiddã sui propriũ obtinebit? Ita prorsus. Et priorem quidem imitabitur in eo, quòd principes honorabuntur, & milites ab agricultura, mechanicisq; artibus, & alijs quęstibus abstinebunt, & communia hent cõuiuia, gymnasticiq; ludi, & belli certamina frequentabuntur. Profectò. Sui autẽ ipsius propria, talia quædam habebit: quòd sapiẽtes metuet ad principatus admittere, quia non simplices neque integerrimos huiusmodi uiros, sed mixtos possideat: & animosiores potius simplicioresq; homines ad gubernandum asciscet, qui ad bellum potius quàm ad pacem nati uideantur? Dolos quinetiam, & machinamenta belli, plurimi faciet, semperq; pugnabit? Certè. Atqui pecuniarum cupidi erunt isti, quemadmodum qui in paucorum potentia uitam agunt: et tenebris obruti aurum & argentum rusticius honorabũt, utpote qui æraria, propriosq; thesauros habeant, quibus ista recondant, ac etiam circumsepta domorum ceu proprios nidos, in quibus multa cum mulieribus et alijs pro libidine erogabunt. Vera loqueris. Nónne & in rebus proprijs parci magis erũt quàm deceat? quippe qui magnifaciant pecunias, nec palàm acquirant: in alienis autem propter libidinem profusiores, & clanculum uoluptatibus indulgebunt, haud secus legem passim refugientes, ac pueri patris aspectum, non persuasione, sed ui educati, ex eo quòd ueram musicam quæ cum sermonibus & philosophia coniuncta est, neglexerint, multoq; magis ac prius gymnasticã quàm musicam honorauerint? Rempublicã ex malo bonoq; mixtam refers. Mixta est

ta est profectò: præ cæteris autem in ipsa propter animositatis iracundiæq; imperium, cōtentionis ambitionisq; studia inualescūt. Vehementer. An non hæc Respub. ita coalescet, talisq; erit, quantum licet sermone Reipublicæ figuram non summa omnino diligentia describere, quia sufficiat ex ipsa descriptionis summula uirum iustissimum iniustissimum'ue discernere: sitq; fermè opus inextricabile, si quis omnes Respublicas, omnes'que mores, nullo penitus prætermisso, enarrare aggrediat̃. Probè. Quis igitur secundum hanc rempublicam uir? quomodo efficitur? qualis existit? Reor equidem, inquit Adimantus, similem esse Glauconis huius, contentionis gratia. Fortassis, inquam ego, in hoc est similis. uerùm in his haud natura similis esse uidetur. In quibus? Contumaciorem sanè esse eum necesse est, & à musica quodammodo alieniorem, musicæ tamen cupidum: & audiendi quidem studiosum, rhetoricum uerò nequaquam. Atqui & aduersus seruos agrestis erit huiusmodi uir, haud seruos despiciens quemadmodum uir tolerabiliter eruditus: erga liberos autem erit mitis: erga principes quidem obediens maximè, sed & principatus & honorum auidior, oportere existimans non arte dicendi, uel alia quauis simili facultate, sed rebus bellicis, similibusq; excellere, & cæteris præesse, cum sit & gymnasticę & uenationis admodum studiosus. Est certè, inquit, mos hic illius Reipublicæ. Nonne & pecunias iste in iuuentute cōtemnet: quo uerò senescet magis, eo magis pecunias diliget, ex eo quòd auaræ naturæ sit particeps, neque sit integer ad uirtutem, quia ab optimo custode deficiat? A' quo'nā, inquit Adimantus. Ratione & operatione, inquā, musicæ cōmixta: quæ sola cum adest, per omnem uitam uirtutem in eo cui præest seruat. Præclarè loqueris, inquit. Est utiq; talis adolescens ambitiosi imperij cupidus, tali similis ciuitati. Prorsus. Efficitur aūt hic talis hunc in modum interdum: uidelicet cū iuuenis aliquis filius est patris boni in ciuitate, non bene gubernata habitantis, honores, principatus, & iudicia fugientis, et reliquam huiuscemodi negociorum curam, libēterq; se subijcientis, ut labores uitet. Quónam pacto efficitur? Quando scilicet matrem audit ægrè ferentē, quòd maritus magistratibus minimè fungatur, & idcirco inter alias mulieres sese contemptam haberi: tum indignantem, quoties uirum aspicit, pecunijs cumulandis minimè indulgere, neq; pro illis uel priuatim, uel in iudicijs & publicè contendentem, sollicitumq;: sed ad hæc omnia negligentiorem, talemq; ut secum ipse uiuat ut plurimum, uxorem uerò nec aspernetur quidem, neque admodum colat. Ex quibus sæpe filio mater prædicet, ignauum esse patrem, nimisq; remissum, & alia quæcunq; de talibus garrire mulieres consueuerūt. Multa profectò, inquit Adimantus, talia, suiq; similia obloqui mulieres solent. Neq; te latet, quod & serui & domestici, præsertim qui maximè uidentur esse beneuoli, talia quædam auribus puerorum sæpe insusurrant. Et si quem uiderint, uel pecunias patri debētem, quem ipse nequaquam conueniat, uel in alio quodam iniuriātem, edicunt puero, si quando uir euadat, hæc omnia ulciscatur, uirq; magis sit quàm pater extiterit. Idem ille filius domo egressus, alia horū similia multa audit, uidetq;: homines scilicet, qui sua in ciuitate officia colunt, aliorum minimè curiosi, stolidos uocitari, penitusq; contemni: horum uerò dissimiles honorari, laudariq;. Cum hæc adolescentulus audit, uidetq;, rursusq; patris sermones audit, & studia uidet, ꝓximè preter studia ceterorum, ab utrisq; attractus: à patre quidē rationalis eius uis fouet̃ et auget̃, ab alijs autē cōcupiscēdi & irascēdi natura. Quapropter cū nō malo sit ingenio natus, mala tamē ceterorū cōsuetudine usus, & in medium ab his tractus, mediæ se cuidā potētiæ cōtentiosę iracundiæq; subijcit, fitq; uir elato animo, gloriæq; cupidior. Naturā huius sufficiēter e-

natrasse mihi uideris. Habemus itaque secundam Rempublicã, uirumq; secundum. Habemus profectò. An'non post hæc Aeschyli illud dicimus, Alterum hominem alteri ciuitati conuenientem? Imò uerò secundum superiorem illam suppositionem, alteram ciuitatẽ alteri cõgruã? Ita prorsus. Quæ uerò huiuscemodi Rempublicam sequitur, paucorum, ut arbitror, potentia est. Quam potissimũ Reipublicæ institutionem paucorum uocas potentiam? Eam in qua magistratus à census æstimatiõe ciuibus tribuuntur, & in qua diuites dominantur, pauperibus uerò nulla Reipublicæ est communio. Intelligo equidẽ.

Nónne dicendum, quo pacto à gubernatione ambitiosa in hanc transgressio fit? Dicendum certè. Vel cæco id quidem perspicuũ est, quo pacto transgressio fiat. Quónam pacto? Aerarium illud cuiusque auro plenum, talem perdit Rempublicam. Nam primùm quidẽ nouos sumptus reperiunt, & ad leges deducunt, quibus néque ipsi, neque mulieres ipsorum obtemperant. Consentaneum id quidem. Deinde alter alterius exemplo & æmulatione perciti, multi tandem tales euadunt. Verisimile. Hinc effusius ad pecunias cumulandas delapsi, quanto id preciosius æstimant, tanto uirtutem existimãt uiliorem. An'non ita uirtus à diuitijs discrepat, quasi utraque in lance stateræ sint posita, semperq; in cõtrariam partem declinent? Ita prorsus. Quando igitur in ciuitate diuitiæ ac diuites honorantur, uirtus probiq; uiri despiciũtur. Constat. Incenduntúrq; ad ea studia omnes quę in honore sunt, eáq; frequentant: quæ uerò nullo honore censentur, apud quosq; iacere solent. Atque ita ex uictoriæ honorisq; cupidis, quæstus & pecuniarum auidi tandem efficiuntur. Et diuites quidem uiros laudant, & admirantur, & ad magistratus euehunt, pauperes uerò despiciũt. Omnino sic accidit. An nõ & lege statuũt principatus fines, dum statuũt ubi maior est pecuniarum copia, ibi talem principatum esse maiorem: ubi minor, contrà minorem: prohibentq; aliquẽ imperare, qui non ad certum aliquem censum peruenerit? Hæc autem aut ui armisq; efficiũt: aut postquã metum incusserint, talem cõstituerũt Rempublicam. Nónne ita?

Ita prorsus. Constitutio quidem, ut ita dicã, hæc est. Est certè. Sed quisnam Reipub. modus? quiue defectus sunt, quos habere eam Rempub. dicebamus? Principiò qualis sit præscriptus hic in ea terminus, aspice. Si quis in nauis gubernatione, à census æstimatione gubernatores eligat, pauperem uerò licet gubernandi peritiorem haudquaquam admittat, quid ex hoc sequuturũ censes? Vt malè nauem ducant. An non eodem pacto in quouis alio principatu? Sic equidem arbitror. Sic'ne in omnib. præter quàm in ciuitate? An & in ciuitate præterea? Multo etiam magis, quoniam hæc grauissima est, & maxima gubernatio. Vnum quidem hunc & tantum paucorũ potentia defectũ patitur. Apparet. Quid autem hoc? Nunquid leuius? Quale istud? Quod necesse est non unam hanc, sed duas esse Respublicas: unam quidem pauperum, diuitum alteram, & homines intra mœnia eadem habitantes sibi inuicẽ semper insidiari. Certè non leuius istud. Sed neq; hoc pulchrum est, bellum scilicet gerere non posse: quia coguntur, siue populo utantur armato, eum formidare magis quàm hostes: siue nõ utantur, reuera in ipso prælio paucorum potentiæ studiosi uideri: ac etiam pecunias in eum usum erogare detrectabunt, utputa homines auari: istuc inquam an decorum est? Non certè. Nunquid rectè fieri illud existimas, quod suprà uituperauimus, ut in huiusmodi ciuitate ijdem homines in diuersis simul officijs occupentur, terram colant, pecunias cumulent, militent? Nullo modò rectè. Vide utique, si horum malorum omnium hæc prima id grauissimum patitur. Quale id? Vt liceat cuiquam sua omnia alienare, alteri uerò illius omnia

nimia possidere: atque ei qui alienauit, habitare in ciuitate, dum nulla ciuitatis pars existat, neq; numularius, neq; opifex, neq; eques, neq; armiger, sed pauper & egenus passim cognominatus. Prima hæc certè. Hoc profectò in ciuitatibus quæ paucorũ subijciunt̃ imperio, minimè prohibet̃. neq; enim alij opulẽtiores essent quàm decet, alij prorsus mendici. Rectè loqueris. Hoc autem considera: nunquid quando diues huiusmodi erogabat, conducebat'ne magis ciuitati ad ea quæ paulo antè dicebamus: an uidebatur quidem è principum numero esse, re etera autem neque princeps, neque minister erat, sed propriorũ cõmodorumq; cõsumptor? Sic utiq; uisum est. Erat autem nihil aliud quàm consumptor. An uis dicamus, quemadmodum in fauo fucus ortus examinis apũ morbus est, ita et hominem huiuscemodi domi natum pestem Reipub. fore? Prorsus, inquit, ô Socrates. Nónne uolatiles fucos omnes sine aculeis Deus fecit? hos autem terrestres, partim sine aculeis, partim diris armatos aculeis cernimus. Et ex his qui aculeos nõ habẽt, inopes tandem in senectute fiunt. aculeis autem instructi sunt hi qui uocantur malefici. Vera loqueris. Constat ergo, in ciuitate, ubi mẽdicos uides, & fures inesse clam, & latrones & sacrilegos, & horum omnium scelerũ auctores. Constat certè. Nónne in ciuitatibus quæ reguntur à paucis, egenos inesse uides? Omnes fermè, exceptis principib. An non igitur arbitramur, maleficos in ea esse multos aculeis ipsis armatos, quos diligẽtia a cui principatus detinet̃? Arbitramur planè.

Nónne ob prauam educationem, & disciplinæ defectum, & iniquam Reipublicæ dispositionem, homines ibi tales euadere asseremus? Asseremus.

Talis utique erit ciuitas paucis subiecta principibus, tota'que premetur malis, fortè etiam pluribus. Sic fermè. Constituta iam nobis sit ea respub. quam paucorum potentiam uocant, à census æstimatione principes eligentem: post hæc autem inuestigemus quo pacto uir aliquis similis istius efficiat̃, & postquã similis est effectus, qualis sit. Sic prorsus. Nónne hac ratione maximè ex ambitioso in paucorũ imperij cupidũ transit? Qua? Quando ibi adolescens aliquis primo quidem patrem imitatur suum, eiusq; uestigia sequit̃: deinde ipsum aspicit, ut qui in ciuitatem tanquam in scopulum offenderit, subitò ex culmine dignitatis prolapsum, seipsum suaq; omnia dispergentem, siue post belli expeditionẽ, siue alterius magistratus maximi dignitatem, in iudicium ab insidiatoribus tractum, à calumniatorib. circumuentum, eiectum, depressum, patrimonio spoliatum. Consentaneum quidem. Ille, ô amice, hæc intuitus atq; perpessus, amisso patrimonio, propter formidinem, confestim ex animi throno ambitionem illam & audaciam deijcit, & humilior propter paupertatem factus sese ad quæstum conuertit, & angusto admodum animo aridè nimiũ & parcè uiuens, seq; in obeundo negocio uexãs, pecunias congregat. An non huiusmodi hominem tunc existimas in ea animi sede auaritiam, & lucri cupiditatem locare? eiq; in animo regium locum concedere? ornamentisq; regijs exornare, coronis, balteis, fibulis, fimbrijs, ense Persico? Equidem. Atq; hic quidem rationalem uim, & animositatis ardorẽ humi hinc inde depositã seruire huic cogit, & nihil aliud inquirere & considerare permittit, quàm unde ex paucioribus pecunijs plurimæ cõgregentur: hanc autem nihil aliud mirari, & colere, q̃ diuitias atq; diuites, neque dignitatẽ ex re alia quàm ex pecunijs quęrere, & si quid aliud ad id cõferat. Nulla certè alia mutatio est usqueadeò uelox & uehemens ex iuuene ambitioso in pecunię cupidum. Nónne igitur hic paucorum imperij studiosus est? Mutatio quidem ipsius ex homine similis est illius Reipublicæ, ex qua paucorum potentia extitit. Considеremus utique, nunquid similis sit. Cõsideremus. Principiò in eo quòd pecunias multifacit, similis erit.

Quid

Quid ni? Quinetiam & in eo quòd parcior est, & ad lucrũ auidior, solasq; necessarias cupiditates explet, cæteris uerò sumptibus nequaquã indulget, sed alias appetitiones tanquam superuacuas cohibet. Magnopere. Aridior itaq; & squalidior uiuit, undique summa parsimonia rem familiarem augens, coaceruando intentus thesauro, quos quidẽ homines uulgus probat. an non hic erit uir talis Reipublicæ similis? Mihi quidẽ uidetur. Pecuniæ itaq; maximè honorãtur & ab hoc, & ab omni ciuitate. Neque enim hic, ut arbitror, disciplinæ applicuit animũ. Non, ut opinor. Neq; enim cæcum sibi ducem præposuisset. Optimè quidem. hoc autem animaduerte. Nónne fucorũ naturæ similes cupiditates ob disciplinæ defectũ inesse dicimus, partim mẽdicas, partim maleficas, ui quidem ab alia diligentia detentas? Et maximè quidem. Scís ne quò inspiciens, ipsorũ maleficia cernes? Quónam? Ad orphanorum tutelas: & si quid ipsis tale contingit, quo licẽtiam plurimam ad iniuriam nanciscantur. Vera narras. An non id cõstat, quód in alijs commercijs uir talis, in quibus probus habetur, cum iustus esse uideatur, æquitate quadam uitæ cæteras cupiditates prauas quę in ipso sunt, cohibet: non idcirco obtemperãs, quia nõ præstet: neq; ratione mansuefaciens, sed necessitate ac metu circa reliquã substantiam cõtremiscens? Summopere. Enimuerò, ô amice, in multis eorum reperies, quando aliena oportuerit erogare, fuci persimiles cupiditates. Maximè. Non igitur seditione intestina is carebit: neq; unus quidã erit, sed duplex, habebitq; in se cupiditates ut plurimum cupiditatũ dominatrices, meliores scilicet deteriorum. Est ita. Quamobrẽ modestior hic alijs multis erit. Consentientis tamen et compositæ mentis uera uirtus longè hunc effugiet. Mihi quidem uidetur. Quinetiã ad certamen erit tardior uir parcus, quoties priuatim in ciuitate de uictoria aliqua honesta, & magnificentia erit certandum, cum pecunias erogare nolit decoris & cõtentionũ huiusmodi gratia, metuens prodigas libidines suscitare, prouocareq; ad propugnandum, cõtendendumq;. Cum paucis eorum qui circa se sunt, optimatum ritu pugnãs, ut plurimum uinci patitur, & diuitias auget. Summopere. Nunquid ultra diffidimus, ad ciuitatis eius exemplũ quæ gubernatur à paucis, hominem parcum atq; auarum institutũ esse? Nullo modo. Post hæc inuestigandum uidetur, quo pacto popularis gubernatio constituitur, & quæ sit eius cõditio: ut eandem in tali homine conditionem recognoscentes, eum in iudicium deducamus. Ita sanè iter nobis incœptum similiter peragemus. Nónne hunc in modum ex paucorum potentia, in popularem gubernationem ciuitas permutatur, ex eo quòd ciues optimũ esse proposuerunt, ut quàm ditissimi sint? Quo pacto? Quia principes in ea propter diuitias dominantur, prodigalitatem dissolutorum iuuenum lege prohibere negligunt, ut emptionibus & fœnoribus eorum usurpantes bona, opulentiores etiam honoratioresq; euadant. Maximè omniũ. Cõstat itaq; impossibile esse, in ciuitate diuitias honorare simul, & temperãtiam possidere: sed necessarium est, ad alterius æstimationem alterum semper istorum negligi. Cõstat planè. Dum igitur in paucorum potentia iuuentutis educationem negligunt, permittuntq; ad libidinem uiuere, cogũt sæpenumero homines nõ ingenerosos ad paupertatẽ redigi. Maximè. Sedẽt, ut arbitror, isti in ciuitate aculeis armati, partim alieno ære grauati, partim ignominia affecti, partim utrisq; malis oppressi, insidiãtes illis quos sua nouerũt possedisse, atque alijs: atque idcirco res nouas quotidie moliunt. Est ita. Homines aũt auari, dum lucro incumbũt, hosq; nõ animaduertere uidenẽ, & reliquorũ insuper ut quisq; maximè cedit, maximè argẽto immisso uulnerãtes, et patrinatos fœnusq; plurimũ reportãtes, ita fucis egenisq; hominibus ciuitatẽ replent. Maximè. Neq; uolũt tanti

mali

mali incẽdium ita extinguere, ut non permittant quemq; res suas pro arbitrio agere. Neq; ita rursus & secũdum alteram legem talia quædã prohibentur. Secundum quam potissimum? Secundum eam, quę post illam proximè sequitur, cogitq; ciues uirtutis curam suscipere. Si quis enim multa ex uoluntarijs cõmercijs sui periculo tractare iubeat, nõ usqueadcò impudenter pecunias congregabunt, paucioraq; in ciuitate mala nascent̃ talia, qualia diximus. Sic omnino. Nunc autem his de causis principes subditos sic in ciuitate disponunt: seipsos uerò, & suos, & iuniores, delicatos & molles & secordes reddunt, nullũ aut animi aut corporis laborẽ tolerantes, uoluptatibusq; & doloribus succumbentes. Prorsus. Et ipsi quidem tales euadunt, ut nihil aliud præter quæstum æstimẽt, neq; maiorem uirtutis curam habeant quàm mendici. Sic certè. Ita igitur instituti, quoniẽs cõgrediuntur inuicem principes ac subditi, siue in itineribus, siue in alio quopiã communi commercio atq; opere, aut circa spectacula ad exercitũ, uel nauigantes unà, uel militãtes, uel etiam in ipsis periculis sese inuicem spectantes, nullo modo in his pauperes à diuitibus despiciuntur, sed frequẽter homo pauper, macer, cutimq; sole duratus, cum in acie ad opulentũ collatus est, in umbra molliter enutritũ, atq; obœso corpore oneratũ, cumq; inspicit anhelantem & anxium, nónne censebit, ignauia cæterorum uiros huiusmodi diuites fieri? alteri q; alteri, ubi priuatim cõuenere, narrabũt, locupletes illos suos crassosq; homines precij nullius esse? Noui certè ita eos solere. Nónne igitur, quemadmodum debile & ualetudinariũ corpus, uel minima mutatione extrinsecus iniecta in morbos incidit, sæpe etiam nulla extrinsecus re nocente, ipsum intra se dissidet: ita & ciuitas malis ijsdem affecta, parua occasiõe, aliunde sibi, uel his ex optimatũ, uel illis ex populari republica auxiliũ adiungentibus, ægrotat, & secum ipsa dissentit. Sæpe etiam absq; externorũ opera seditionibus agitatur. Prorsus. Popularis utiq; gubernatio fit, ut arbitror, quando pauperes superãtes, diuites partim necant, partim in exiliũ pellunt, reliquos autẽ æquis Reipub. honoribus muneribusq; afficiũt, atq; ut plurimũ in ea sorte magistratus obtingunt. Huiusmodi certè est popularis ciuitatis cõstitutio, siue armis fiat, seu metu discedẽtibus alijs. Quæ nam erit igitur horum ciuium uita? qualis gubernatio? Constat enim, quòd uir talis popularis aliquis apparebit. Perspicuum. An non primũ quidem liberi erunt omnes, ciuitasq; libertatis plena, summaq; licentia pro libidine omnia omnes audebunt? Fertur equidem. Vbi autem licẽtia, ibi quisque arbitratu suo uitam instituet. Patet. Omniformes in hac ciuitate nascuntur homines. Valde. Videtur utiq; hæc omniũ esse Rerumpub. pulcherrima: atq; ut pallium uarijs depictum coloribus, speciosissimum esse uidetur, ita ciuitas ista diuersis ex moribus uaria, pulcherrima prorsus apparet: ac perinde ut pueri & mulieres uarietate distinctis opificijs & spectaculis delectantur, sic multi propter hanc uarietatem pulcherrimam arbitrantur. Et maximè quidem. Atqui facilè est, ô beate, in hac ciuitate Remp. quærere. Quamobrem? Quoniam omnia Rerumpub. genera propter licentiam habet: ac uidetur necessariũ illud, qui Remp. instituere cupit, quod modò nos fecimus, popularem ciuitatem ingressum, eam Reipub. constitutionẽ, quæ magis placeat sibi, deligere, quasi rerumpub. nundinas adeuntem, atq; ita eligentem, ciuitatis modum statuere. Fortè exempla huic nequaquam deerunt. Quid uerò? an non dulcis hæc prima fronte atq; diuina uidetur uita, ut neq; cogaris in hac ciuitate magistratibus fungi, nec etiã si ad id sufficias, neque parere si nolis, neq; bellum gerere, alijs bellum gerẽtibus, neq; pacem agere agentibus alijs, nisi id placeat? Vel etiam, si qua te lex imperare uetet, et sententias ferre: nihilominus & impe res, & sententias

feras in iudicio, modò tibi hoc uisum fuerit? Fortè sic primùm uidetur. Quid autem mansuetudo damnatorum quorundam? nónne decora? an nondum hac in ciuitate uidisti homines morte uel exilio condemnatos, nihilominus urbem incolere, ac prodire in medium, & sæpe quasi nemo id uideat aut curet, instar heroum quorundam per urbem incedere? Vidi equidem multos. Indulgentia uerò ipsius nimia, & sine ulla obseruatione negligētia eorum quæ nos dicebamus, rem ipsam honestantes, quando ciuitatem constituebamus: quòd uidelicet nisi fortè quis excellenti sit ingenio præditus, nunquam uir præclarus euadet, nisi à prima pueritia statim honestis sese exerceat ludis, & eiuscemodi omnia frequenter exerceat, tanquam quæ alto animo hæc pessundat omnia, ea inquam negligentia nihil pensi habet, ex quibus studijs aliquis se ad ciuilia conferat: sed honorat, si quis duntaxat ametur à uulgo. Valde admodum generosa. Hęc utiq; habebit, & horum similia, gubernatio popularis: eritq;, ut apparet, dulcis Respublica, & sine duce, ac uaria, æqualitatem quandam similiter æqualib. inæqualibusq; distribuens. Manifesta admodū narras. Contemplare quis'nam uir talis priuatim sit: an fortè primò inuestigandum est, quemadmodum in Republica fecimus, quo'nam pacto talis efficiatur? Ita prorsus. Nónne ita maximè accidit, ut auari patris, & paucorum potentiæ cupidi, filius aliquis sub parentis moribus nutriatur? Quid ni? Hic ui uoluptates suas coercet, quæcunque ad sumptus alliciunt, non ad lucrum: quę quidem uoluptates nō necessariæ appellantur. Manifestum est. Num lubet, ne in ambiguitate uersemur, ut in primis quidem quæ necessariæ sint cupiditates, quæ non necessariæ, discernamus? Lubet equidem. Necessariæ quidem illæ meritò uocarentur, quas amouere nō possumus: & quæ cum percipiuntur, nos iuuant. has enim ambas quærere naturam nostram necessarium est. Nónne? Maximè. Iure igitur eas necessarias appellabimus. Iure. An non rectè eas necessarias esse negabimus, quæ remoueri possunt, si quis assuescat à teneris: quæ ue cum adsunt, nihil afferūt boni, imò plerunque nocent? Præclarè quidem. Accipiamus earum exemplar, ut quæ utræque sint, cognoscamus, & figura quadam eas inspiciamus. Sic oportet. Cupiditas utique comedendi cibiq; & obsonij usque ad salubritatem, & bonam corporis ualetudinem, necessaria est. Arbitror. Certè cibi usus duplici de causa necessarius: & quia sine ipso uita nō sufficit, & quia utilis. Ita est. Aliorum uerò condimentorum, quatenus ad bonam corporis habitudinem confert. Prorsus. Sin autem nihil confert uel horum uel aliorum appetentia superuacua, tum etiam coerceri à teneris potest, obstat autem & corpori & menti ad prudentiā temperantiamq;, meritò non necessaria nominabitur. Meritò. Has igitur sumptuosas cupiditates, illas uerò quæstui deditas, quia conferant ad agendum, uocabimus. Quid ni? Idemq; de ueneris alijsq; dicemus. Idem. Profectò, quem fucum paulo antè nominauimus, hunc esse dicebamus, qui talibus uoluptatibus & libidinibus plenus est, & cupiditatibus non necessarijs est mancipatus: cum uerò qui necessarijs, parcum, & paucorum potentiæ cupidum. Procul dubio. Rursus dicimus, quemadmodum ex paucorum potentię cupido popularis efficitur. Videtur autem mihi hoc pacto ut plurimū fieri. Quo'nam? Quando iuuenis, ut modò diximus, nutritus ruditer, & andè nimium, fucorum mel gustat, adhæretq; ardētibus uehemētibusq; & callidis animalibus, quæ possunt omniformes & uarias uoluptates undique comparare: hinc utique existima eam oriri mutationem, qua iste ex paucorum potentia, quæ in eo est, transit in popularem. Necessarium est. Nunquid, quemadmodum ciuitas mutabatur, dum extrinsecus præsidium alterutri partium præstaretur,

tur, à ſimili ſimile: ita adoleſcentis mutatur ingenium, dum rurſus externarum cupiditatum ſpecies cognata & ſimilis, alteri cupiditatum ſpeciei earum quæ in eo ſunt, ſuffragatur? Prorſus quidem. Quod ſi quæ ſuppetiæ ingenio eius paucorũ imperij ſtudioſo, ſiue à patre, ſeu à domeſticis alijs ſeranſ, admonentibus, increpantibuſq;, ſeditio, & reluctatio, & pugna in ipſo ad ſeipſum tunc naſcatur. Quidni? Et quandoq;, ut arbitror, popularis cõditio paucorum ſtatui cedit, et nonnullæ cupiditates partim intereunt, partim excidunt, pudore aliquo in animo iuuenili exorto, unde rurſus excolitur. Fit nõnunquam. Rurſus præter eas quæ exciderunt cupiditates, aliæ coaleſcentes cognatæ propter inſcitiam paternæ educationis multæ uehementeſq; fiunt. Sic certè heri conſueuit. Trahunt porrò ad ſe conſuetudines, ac dum clàm ſerpunt, magnum excreſcunt in numerum. Quid prohibet? Tandem iuuenilis animi arcem occupant, præſentiẽtes uacuam eſſe doctrinarum, honeſtorumq; officiorum, & uerarum inſuper rationum: qui ſanè optimi omniũ cuſtodes ſeruatoreſq; in hominum piorũ mentibus extant. Summopere. Falſæ uerò, & ſuperbæ petulãteſq; rationes & opiniones eorum in locum ſuccedentes, eundem talis hominis locum obtinent. Maximè. Nónne iterum ad Lotophagos illos accedens, manifeſtè iſtic habitat? Ac ſi ab amicis ſubſidium aliquod laboranti meliori animi eius parti ſubmittatur, ſuperbæ petulanteſq; rationes claudẽtes regij in eo muri portas, neq; ſubſidium ipſum admittunt, neq; legatos priuatorũ ſenum monitus excipiunt, ſed ipſæ prælio ſuperant: & pudorem quidem appellãtes fatuitatem, in exilium turpiter expellunt: temperantiam uerò ignauiam uocantes, reprobanteſq; eijciunt: modeſtiam quoque in moribus, & in ſumptibus moderationem, tanquam ruſticitatem & illiberalitatem penitus deteſtantur & fugant, & ipſæ unà cum multis futilibuſq; cupiditatibus inualeſcunt. Magnopere. Cum hæc depulerunt ex eius animo quem occupatunt & purgarunt, magnis impenſis iam initiato, poſt hæc petulantiam, licentiam, prodigalitatem, impudentiam, ſplẽdidas, ingenti caterua coronatas deducunt, extollentes applaudenteſq;: dum petulantiam quidem, ingenuam educationem: licentiam uerò & libertatem & prodigalitatem, magnificentiam: impudentiam, fortitudinem uocant. An non ita quodãmodo iuuenis tranſit ex innutrita neceſſariarum cupiditatum affectione, in reſolutam licẽtiam non neceſſariarum futiliumq; uoluptatum? Planè id conſtat, inquit ille. Viuit deinceps talis, ut arbitror, nihilo magis neceſſariarum quàm ſuperuacuarum uoluptatũ gratia erogans pecunias, labores, exercitatiões. Verùm ſi ita fortunatus eſt, ut neq; ultra modum debacchetur, ſed ſenior factus, & ingenti uoluptatum turba aduenientenõ omnes, ſed aliquas admittit, excluſis interim cæteris: nec ingreſſus illis torum ſe dat, ſed ita uiuit, ut æqualiter ſingulis impertiat ſe: ei quæ fortè tum incidit, uelut magiſtratui ſummo imperium ſui committens dum ea expleatur, & rurſus alteri, nulla neglecta, dum unamquamque apud ſe alat. Sic accidit. Hic quidem rationem ueram non accipit, neq; in cuſtodiæ ſuæ arcem admittit, ſi quis dixerit uoluptates parom eſſe bonarum honeſtarumq; cupiditatum, partim uerò malarum: & illas exercendas eſſe & honorandas, has contrà moderandas & cohibẽdas. Verùm omnibus his annuit, affirmatq; ſimiles omnes eſſe, & pariter honorandas. Profectò quiſquis ita affectus eſt, id agit. Nónne ita indies uiuit, ut incidentib. præſentibuſq; ſemper cupiditanbus obſequatũ? dum uidelicet aliâs ebrietati modulationibuſq; indulget, aliâs aquæ potu contentus eſt, & inedia: interdũ uerò gymnaſticæ ſtudijs ſe exercet, nonnunquã remiſsiori animo torpet: quandoque philoſophiæ attingit ſtudia, ſæpe etiã ſe ad Rempublicã confert: proditq; in medium, quicquid obtulit ſors, & dicens,

cens, & faciens: ac si quandoq; milites admiratur, ad eos fertur: sin mercatores, ad hos rursum aduentat, neq; ordine ullo aut necessitate uitam suam dirigit, sed iucundam & liberalem, & beatam hanc uitam appellãs, hanc assiduè colit. Scitè uitam popularis hominis nullum, delectũ uiuendi habentis, narrasti. Arbitror equidem, plenũ hunc diuersis pluribusq; moribus esse, pulchrumq; & uarium, quemadmodũ ciuitatem illam uideri, quem sanè multi atq; multæ feliciter uiuere arbitrarentur, cum Rerumpub. atq; morum in se multa exẽpla cõtineat. Ita est nimirũ.

Esto nobis uir talis populari Reipub. similis, utpote qui popularis meritò nominetur. Esto. Reliquũ est, ut de præclara illa Repub. uiroq; præclaro dicamus, tyrãnide atq; tyranno. Omnino. Age uideamus, ô dulcis amice, quis'nam tyrãnidis ipsius sit modus. Principiò, quòd ex populari oritur, fermè est perspicuũ. Manifestũ. Eadem igitur ratione ex populari tyrannis oritur, qua ex paucorum potentia, popularis. Qua? Quod sibi ciues in paucorum potentia tanquã bonum proposuerunt, per quod & paucorum potẽtia inoleuit, id erat diuitiarum copia Non'ne? Istuc ipsum. Inexplebilis itaq; diuitiarum sitis, cæterorumq; officiorum negligẽtia propter ipsum quæstũ eam perdunt. Verum id quidem. Quinetiam eius quod in populari bonum censetur, cupiditas inexplebilis, ipsam quoq; peruertit. Quid in ea potissimũ censeri bonum dicis? Libertatẽ. Nam istud in populari ciuitate censeri præclarissimum audies. Ideoq; in hac sola habitare par est eum uirum, qui natura sit liber. Certè nomen istud libertas, in hac ciuitate frequentius prædicat. Nónne quod dicturus eram, huius ipsius cupido insatiabilis, cæterorumq; negligẽtia hanc mutat Rempub. cogitq; tyrannide indigere? Quo pacto? Quando uidelicet popularis ciuitas sitiens libertatẽ, malos pincernas præsidentes nanciscitur, et ea profusius quàm decet sese ingurgitans debacchať, & principes uelut rigidiores & tyrannicos accusans punit, nisi mites admodum sint, plurimumq; licentię concedant. Sic prorsus accidit. Atqui & eos qui principibus parent, obiurgať tanquã seruiles et precij nullius homines: principes autẽ subditis pares, & subditos pares principibus, priuatim & publicè laudat atque honorat. an'nõ necesse est, hac in ciuitate ad summã libertatẽ homines peruenire? Proculdubio. Atq; hanc insitã obedientiæ impatientẽ licentiã, ô amice, priuatas irrepere in domos, seq; usq; ad bruta protendere? Quo pacto hoc dicimus? Quale uidelicet, si pater filio fiat similis, filiosq; metuat, & filius patri sit par, neq; uereať parentes, neq; metuat, ut sit maximè liber: inquilinus præterea ciui, et inquilino ciuis æquetur, peregrinusq; similiter. Sic accidit. Hæc utiq; & alia nõnulla minora similia his eueniũt. Nempe ea in urbe præceptor discipulos timet, eisq; blanditur: discipuli præceptores spernunt, & similiter pædagogos: atq; ut summatim dicã, iuniores senionb. se similes præstãt, uerbisq; & operib. aduersanť. Seniores aũt iuniorũ gerũt uicem, & tanq; scurræ facetijs eos delectant, ne seueri imperiosiq; uideanť. Maximè. Vulgi aũt libertas extrema, ô amice, tali in ciuitate quanta, quãdo quidem empta mancipia nihilominus libera sint q; emptores: & quãta mulierib. erga uiros, uirisq; erga mulieres æqualitas libertasq; sit, fermè dicere obliti sumus. An'nõ secundũ Aeschylum dicemus, q; nunc nobis in buccã uenit? Sic prius inq; atq; ego quidẽ ita dico: pfectò bestiæ quæ ab hominib. nutriunť, quanto liberiores hac in ciuitate sint q; alibi, nemo nisi expertus crediderit. Nam et catellę, ut habet puerbiũ, perinde ac herę sunt. Et equi, & asini tanta per uias libertate pgredi cõsuescũt, ut in obuiũ quenq; impetum faciant, nisi cesserit. Cæteraq; omnia summa aguní licẽtia. Meũ certè mihi narras insomniũ. Nã mihi rus pficiscẽti sæpe ista cõtingunt. Vides quò tandem omniũ supradictorũ summa cõtendat? Ita siquidẽ hinc deli

catus

catus ciuiū animus redditur, ut si quis paulùm quid seruitutis afferat, ægrè ferāt, neq; tolerēt. Demū uerò leges omnes tam scriptas q; non scriptas contemnūt, ne quis illis præsit dominus.
Manifestum id quidem. Hæc, ô amice, egregia illa & elegans Respub. est, ex qua, ut mihi uidet̃, tyrānis nascit̃.
Elegās certè. sed quorsum hæc? Morbus porrò, qui in paucorum potentia serpens, eam labefactauit, idem & in hac pullulans excrescensq; nimia ex licentia, popularem ciuitatem iugo seruitutis subigit. Ac summatim excessus omnis uerti penitus in contrariū consueuit, in temporibus, in arboribus, in animalibus, & in Rebusp. maximè.
Haud iniuria. Nimia em̄ libertas haud in aliud uidetur quàm nimiā in seruitutem cōuerti, & priuatim & publicè.
Certè id cōsentaneū. Quare non abre dicebā, nō ex alia Repub. quàm populari tyrannidē surgere: extrema ex libertate, grauissimā & acerrimā seruitutem. Sic ostēdit ratio. At nō hoc, ut arbitror, ipse quærebas, sed quinam morbus idem in paucorum potentia populariq; gubernatiōe innatus eam in seruitutem redigit. Vera narras.
Dicebam utiq;, ociosorū & prodigorum hominum genus partim fortius & uirilius esse, partim ignauius: & illud quidem ducere, hoc autem sequi: quos quidem homines fucis in superioribus comparauimus: illos quidem fucis aculeatis, hos autē aculeis carentibus fucis. Et meritò. Isti quidem in quacunq; fuerint ciuitate, eam turbāt, quemadmodū pituita ac bilis corpus. Quos oportet bonum medicum & legum fundatorem, nō minus quàm solertem apum cultorem, eminus præcauere, primum quidē ne oriantur in ciuitate: ac si oriuntur, ut cum ipsis fauis protinus excidātur. Ita prorsus agendum. Sic igitur accipiamus, ut perspicacius quod quærimus, cognoscatur.
Quo pacto? Trifariam popularē ciuitatē, ut re ipsa est, partiamur. Vnum quidem hoc genus in ea propter licentiam nascitur, nō minus quàm in paucorum potentia. Est ita. Longè autē acrius in hac, quàm in illa. Qua ratione? Ibi quia cōtemptui est, & priuatū uiuit, imbelle propter desidiā fit. In populari autem id genus omne exceptis paucis præsidet, & quod in eo acerrimum dicit & agit: aliud autē iuxta tribunalia inhærens susurrat, nec tolerat si quis alia dixerit. Quapropter omnia ab hoc genere, paucis exceptis, in ciuitate huiusmodi administrant̃. Et maximè quidem. Aliud igitur tale semper ex multitudine excernitur. Quale? Omnibus enim quæstū consectantibus, qui natura elegantissimi sunt, ut plurimū ditissimi efficiunt̃. Consentaneum. Hinc utiq; mellis copia & uberior & facilior fucis exprimitur.
Quomodo em̄ ex his qui pauca possident, copia mellis exprimeret̃? Diuites, ut arbitror, tales fucorū herba uocant̃. Sic ferme. Populus autē tertiū erit genus, quodcunq; ipsi sua duntaxat curāt, nec alienis se implicāt, haud multū pecuniosi. Quod quidē genus & plurimū est, & in populari ciuitate principalissimū, quoties congregat̃.
Est certè. at non frequenter id facere uult, nisi particeps mellis efficiatur.
Nónne semper est particeps, quatenus hi qui præsident, expoliāt diuites, dispertiuntq; populo, sibi uerò ut plurimum usurpāt? Profectò ita fit particeps. Cogunt̃ itaq; repugnare hi qui spoliati sunt, pro uiribus apud populū tum dicēdo, tum agendo. Quid ni?
Occasionem itaq; ab alijs acceperūt, cum ipsi nō cuperēt, rerū nouandarū, nempe ut insidient̃ populo, & ad paucorum imperiū intendāt animū. Cur non? Tandem uerò, postquā populū uiderūt nō sponte, sed per inscitiā à calumniatoribus seductum conari ipsis iniuriā inferre: tunc sanè, uelint nolint, reuera paucorū potentiæ studiosi euadunt, haud ultro uolentesq;, sed quod illis hoc malū ingerat fucus stimulans ac pungens. Valde quidē. Accusationes igit̃, litigia, contentionesq; mutuæ oriuntur. Et maximè. Idcoq; populus consueuit unum aliquem sui defensorem creare, eum'que nutrire, & uti magnum efficiat confouere. Con

fuerit certè. Ex quo patet, tyrannum ex radice tutoria pullulare. Certum id quidem. Quænam origo mutationis ex tutore in tyrannum: an uidelicet, poſtquã cœpit qui præeſt id agere, quod circa templum Lycæi Iouis in Arcadia fabula refert? Quidnam? Quod quiſquis humana uiſcera cum aliarum uictimarum inciſa uiſceribus fortè guſtarit, lupus fieri cogitur. Nónne fabulam audiuiſti? Equidem. Eodẽ modo & hic, cuius imperio uulgus omnino obtemperat, cognato nõ abſtinet ſanguine: ſed falſis, ut ſolent, cõfictis criminibus in iudicium trahit eos à quibus timet, & iniuſta ſe cæde cruentat, uiri uitam extinguens, guſtansq; lingua impura & prophano ore generis proximi ſanguinem: ac nonnullos pellit, necat alios, ſuaſorem ſe æris alieni decidendi, agros diſtribuendi præbens. Quare neceſſe eſt eiuſmodi hominem uel ab inimicis interfici, uel tyrannidem exercere, lupumq; ex homine fieri. Neceſſe eſt omnino. Hic quidem aduerſus opulentos homines ſeditioſus. Certè. Nónne ab inimicorum ui huic periculum imminet, qui ſi expulſus, inuitis redierit inimicis, tyrannus effectus reuertitur? Conſtat. Ac ſi eum calumnijs publicis expellere nequeunt, uel occidere, uiolentam illi mortem intentant, clamq; inſidiantur. Ita certe fieri conſueuit. Hinc illa ſolita tyrannis poſtulatio ſequit̃. Nempe omnes qui huc aſcenderũt, cuſtodes aliquos corpori, ut auxiliator populi ſaluus ſit, ſolent à plebe requirere. Maximè. Dat itaque eos plebs, de illo nimis ſollicita, de ſe autem nimis ſecura. Magnopere. Cum hæc uir pecunioſus animaduertit, qui ob pecunias plebi hoſtis eſt, tunc certè iuxta oraculũ Crœſo datum, calculoſum ad Hermum fugit, neq; morat̃, neq; timidus dici ueretur. Haudquaquam ſecundo iterũ uereretur. Sanè quiſquis cõprehenſus fuerit, ultimo ſupplicio afficitur. Neceſſe. At populi ille defenſor magnus, magnificè haudquaquã ſeſe gerit: ſed alios proſternit plurimos, ipſe in curru ciuitatis cõſiſtit, tyrannus ex tutore effectus. Quid prohibet? An iis enarremus beatitudinẽ uiri huius, & ciuitatis in qua uir talis innaſcitur? Prorſus quidem. Principiò quidem omnes ſalutat, arridens quibuſcunq; obuius fuerit, & nomen tyranni recuſat, pollicetur multa & priuatim & publicé, ære liberat alieno, agroſq; diſtribuit, populoq; & familiaribus ſuis, ac denique omnibus manſuetus & mitis eſſe ſimulat. Neceſſe eſt. At cum primum externos hoſtes partim ſibi conciliauit, partim extinxit, rebus iam pacatis, ſtatim ut populus duce ſemper indigeat, bellum aliquod nititur excitare. Conſentaneum eſt. In quo illud inſuper efficit, ut qui ſub eo ſunt plurimis exhauſti ſumptibus, ad quotidianum uictum conuerti cogantur, minuſq; aduerſus tyrannum inſidias meditentur. Patet. Quinetiam ſi quos agnouerit liberali eſſe ingenio præditos, taleſq; ut imperium eius recuſaturi uideantur, ut ad eos extinguẽdos occaſionem habeat, hoſtibus obijcit. His de cauſis neceſſe eſt tyrannum ſemper noua bella mouere. Neceſſe. Qua de re ciues ſibi infenſos reddit. Summopere. Veriſimile eſt, ut nonnulli eorum qui tyrannidi ſuffragati ſunt, & apud tyrannum plurimum poſſunt, audacter tam inter ſe quàm cum eo, quæ geruntur, improbent, præſertim ſi qui altiori animo ſint. Veriſimile. Conſentaneum eſt, ut hoſce omnes tyrannus è medio tollat, ſi modò ſit dominaturus, quouſq; neminẽ relinquat amicorũ uel hoſtiũ qui alicuius momẽti ſit. Manifeſtũ id quidẽ. Acutè igitur inſpicere illũ oportet, quis fortis, quis magnanimus, quis prudens aut diues ſit. Nempe uſque adeò beatus eſt, ut ſeu uelit, ſeu nolit his inimicus futurus ſit, eiſq; inſidietur, quouſq; ciuitatem purgauerit. Egregiam ſanè purgationem narras. Contrariam planè medicorum purgationi. Siquidẽ medici à corpore quod deterrimum eſt, abſtergunt: quod uerò optimum eſt, relinquũt. Contrà tyrannus efficit. Ille quidem ſic facere

cogitur,

cogitur, si modò sit dominaturus. Beata nimirũ necessitate astrictus est, quę illi præcipit, ut uel cũ plurimis improbis uitam agat, à quibus etiã odio habeatur, uel omnino non uiuat. Talis profectò eius conditio est. Nónne quo infensiores habet ciues, dum hæc agit, eo pluribus & fidelioribus satellitibus indiget? Quid ꝓhibet? Quinam igitur huic fideles maximè? Vnde illos accerset? Vltrò aduolabunt undiq; multi, mercede pellecti. Fucos iterum mihi uideris, per canem, quosdam dicere, externis & uarijs ex gentibus confluentes. Verè tibi uideor. Quis autẽ ex indigenis? Nónne aliquis si uoluerit? Quo pacto? Scilicet si proprijs seruis sublatis, uoluerit ciues aliquos liberare, & satellitibus suis asciscere. Maximè quidem, quoniã fidelissimi sibi hi sunt. Quàm pręclarã narras tyranni possessionem, si quidem talibus amicis fidisq; hominibus utitur, cum priores illos perdiderit. Attamen talibus utitur. Atqui mirantur eum amici tales, conuersanturq; cum eo noui ciues, boni autem uiri oderũt ac fugiunt. Quid uetat? Non temerè igitur tragœdia sapiens artificium esse, atq; in ea Euripides excellere uidetur. Quamobrẽ? Quod & hoc profunda mente cecinit, sapiẽtes tyrannos esse sapientum consuetudine: dixitq; hos sapiẽtes esse, qui cum his conuersantur. Quinetiam tyrannidem tanquam rem diuinam extollit: aliaq; permulta hic, alijq; poetæ. Enimuerò poetę tragici, utpote sapiẽtes, nobis ignoscent puto, et illis qui perinde ac nos Rempublicam administrant, si eos in nostram Rempub. non admittamus, tyrannidis scilicet laudatores. Ignoscent, ut arbitror, quicunq; inter eos uiri elegantiores sunt. Cæteras uerò circumeũt ciuitates, turbam congregãtes egregijs grãdibusq; & probabilibus uocibus: quibus preciũ non deest, Respublicas in tyrannidem trahunt, & popularem statum. Vehementer. Nónne pro his precium capiunt, honorãturq;, in primis quidem ut uerisimile est à tyrannis, deinde etiã à populari illa Republica? At uerò quo altius ascendunt in arduum Rerumpublicarum uerticem, eo magis eorũ deficit honor: ut qui defessus crebriore anhelitu progredi non ualeat. Ita nimirum. Sed ne, postquam huc digressi sumus, lõgius progrediamur, dicamus unde tyrannus exercitum illum suum præclarum, uarium, semperq; diuersum alat. Cõstat in primis, quòd si quæ sunt sacræ opes in ciuitate, eas surripiet, cõsumerq;, quousq; illa sufficiẽt quæ uenduntur, dum leuiora exigit à plebe tributa. Quid si opes hę defecerint? Patet, quòd ex paternis aletur & ipse & collegæ ipsius, contubernalesq; & scorta. Intelligo equidem, quòd populus qui tyrannũ genuit, ipsum amicosq; eius enutriet. Ita cogitur. Quid uerò, si succenseat populus, dicatq;, haud æquum esse, ut adultus filius à patre amplius enutriatur, sed contrà à filio pater; neq; se ad hoc eum creasse, ut adulto iam filio, pater ipse, seruis eius seruiens, & ipsum nutriat, & ipsius seruos, & alios præterea omnes undiq; cõfluentes eius astipulatores: uerùm ut à diuitib. his qui præclari & boni existimantur in ciuitate, hoc præside liberetur: atq; ita iubeat populus abire illum è ciuitate, eiusq; amicos, perinde ac pater filium domo unà cum debacchãtium turba depellens? Agnoscet per Iouem tunc demum populus, qualis ipse, & quali bestia delectatus sit, dum eam generaret atq; educaret: tum quanto ipso debilior, potentiorem ejicere tentet. Quid ais? Audebit tyrãnus patri uim inferre, & si non obtemperet uerberare? Immò uerò: nam auferet arma. Patricidam ergo dicis esse tyrannum, durumq; senectutis educatorem. Atque ut uidetur, hæc propriè est tyrannis: utq; fertur, populus seruitutis liberorum hominum fugiens fumum, in flammam seruilis dominationis incidit, loco ingentis illius & importunæ libertatis, durissimam acerbissimamq; seruorum subiens seruitutem. Ita nimirum accidit. An non igitur probè à nobis dictum fuerit, si sufficienter

sufficienter pertractatū dicamus, quo pacto tyrannis ex populari gubernatione nascatur: & nata quinam est, qualis sit? Valde quidem sufficienter.

SEBASTIANI FOXII IN LIBRVM VIII. Annotationes.

ESto, inquam, constitit.) Antequam conferat omnes Reipub. species cum optima illa, quam hactenus descripsit: breuiter omnem illius formam complectitur, ut ea iterum quasi ob oculos proponatur. *Cum uerò abs te quærerem.)* Conuertit se ad reliquas Reipublicæ formas describendas ordine, ut eas cum superiori illa conferat: tum, quia id ordo postulat: tum, quia in libro 3. docturum se hoc proposuit. *Sunt enim quas dico.)* Ipsas iam quatuor formas Reipublicæ enumerat, quarū primam facit aristocratiam, cuiusmodi fuit Cretensis, de qua libro 1. de Legibus. secundam oligarchiam, tertiam democratiam, quartam tyrannidem. quibus si primam illam perfectam addas, quinque in uniuersum efficies, ut suprà ex Platonis sententia diximus.

Nam minores quidam) id est, hæ quatuor formæ sunt maximè communes, ac simplices: plures uerò his aliæ existunt, sed mediæ, mixtæq; ex illis. Hanc Reipublicæ formarum distinctionem uide apud Aristotelem lib. 2. de Republica. *Totidem sunt quoque homines)* Hominum mores administrationem diuersam, diuersa uerò administratio diuersam Reipublicæ formam facit: Ergo totidem erunt Reipublicæ formæ, quot hominum mores. Non inueniuntur autem plures, quam diximus: Igitur quinque solum Reipublicæ species sunt. Hæc est Socratis ratio, à subiecto Reipub. sumpta. *Virum certè similem.)* Hactenus se de optimæ Reipublicæ forma, descriptis eius ciuibus, egisse Socrates ait: nunc ut reliquas cum ea conferat, ad aristocratiam accedit: in quo ipsos prius eius ciues describit, quàm totam Rempublicam quòd, uti diximus, quales ciues sunt, talis etiam Respublica. *Vt uel Thrasymacho.)* Ad Thrasymachi sententiam libro 1. refutatam alludit.

Ita in primis nunc consideranda.) id est, ut nunc de singulis Reipublicæ uitiosæ generibus dicam, aristocratiam, seu ambitiosam Rempublicam, in qua honoratissimi, ditissimiq; imperant, proponamus, eiusq; & commoda & incōmoda perpēdamus: quod ipsum in reliquis item fiet. *Quin hoc simpliciter uerum est.)* Axioma est, quo probare incipit, Respublicas omnes mutari posse, ac degenerare à perfecta illa forma in alias, quas enumerat ordine. Ipsum autem axioma est, Ex mutatione imperij Rempublicam mutari: quando mutata forma cuiusque rei, ipsam mutari est necesse: Id autem quod Reipublicæ formam facit, est imperij ratio: Ergo ea mutata, Respublica quoq; mutatur. *An uis imitantes.)* Alludit ad poetarum morem, qui in re difficili Musas inuocant. *Difficile quidem est ita.)* Cum dixerit omnem Rempublicam mutari ob imperij mutationem, id alia cōmuniori sententia confirmat, docens, orta omnia mutari & corrumpi: ut in corporibus, cæterisq; rebus patet, inductione facta. *Circulorum coniunxerint.)* Circulorum ambitū uocat conuersionem illam circularem generationis corruptionisq; rerum omnium, quæ oriuntur & intereunt, ut Aristoteles in libris de Ortu & interitu docet. *Illi uerò quos.)* id est, adeò corrumpuntur omnia, ut uel perfectissima illa Respublica à me posita corrumpi posit. *Est autem ei quod.)* A' differentia superiorem sententiā confirmat, ostendens, ea tantū non corrumpi, ac mutari, quorum conuersio æterna sit, nec ex interitu eius fiat ortus, aut ex ortu interitus: quæ res ex imbecillitate, imperfectioneq; naturæ rei proueniat. *Humanæ uerò genituræ.)* Causam, cur uel optima illa Respub. à se descripta mutari, corrumpiq; posit, esse ait, quòd homines aliqui sic à natura sint affecti, ut nulla institutiōe emēdari possint: qui si in eam, ut fieri potest, Rempublicam incidant, ipsam sine dubio corrumpant. Atque hic est sensus loci huius, ut D. Thomas Aquinas, uir longè sanctissimus atq; doctissimus, in Commentatione in librum Aristotelis 5 de Republica iudicare uidetur. Aristoteles enim eo in libro, cum de rerumpublicarum mutationibus agat, has mutationū causas à Platone allatas infirmat. Quæ autem hic Plato de proportione mutationis cuiusque refert, nec ego assequi, nec Ficinus, nec Platonicorum alius, quem ego uiderim, interpretari potuit: quocirca, explicata uerborum sententia, ut feci, nil amplius à me requirendum puto. *Vniuersus autem hic numerus.)* Seruata adhuc similitudine, ad mutationē optimæ Reipublicæ in aristocratiam, quæ proxima est, describendam transit. Huius autem mutationis primā esse causam inquit, si nuptiæ, quas suprà descripsit, inæquales fiant: id est, mali bonis coniungantur, ut intelligas primam corruptionis originem, causamq; esse, naturæ cuiusque uitium: quo qui sint infecti, nec Rempublicam more maiorum tuebuntur, nec bene unquam administrabunt. *Genera illa, quæ apud.)* Alludit ad principis munus libro 3. descriptum, in deligendis infantibus, eorumq; bonitate dignoscenda quasi metallo, ut unusquisque conuenienti muneri præficeretur. *Genus autem huiusmodi.)* id est, Nisi illa ætatum, bonitatisq; distinctio habeatur, quam posui, Respublica perturbabitur. *Postquam orta seditio.)* Secundam corruptionis causam à Musis relatam, id est, ope Musarum inuentam ait esse, quòd nec uxores, nec bona communia sint, sed priuata quod ad institutionem referri potest: quæ si naturæ addatur uiciosæ, aut bonæ etiam, Rempublicam uiciari necesse sit. *Cum uerò in id fuerit permutata.)* Primam optimæ Reipublicæ muta-

mutationem fieri ait in aliam quandam mediam inter Oligarchiam & Aristocratiam, ut Plato uocat: quam nos communi etiam uoce Aristocratiã nominare possumus. Huius igitur descriptionẽ addit Plato, ut quantũ ab optima illa desciuerit, & quid commune cum ea, propriũ ue habeat, intelligatur. Et priorem quidem imitabitur.) id est, Optimã illam remp. hæc secunda uitiosa mutabitur, q. principes optimi magno in precio habebuntur, suũ quisq; munus obibit: aliqua item inter ciues cõmunia erũt munera, ut ludi, exercitationes, conuiuia. Quæ omnia in optima itẽ illa rep. posuimus. Sin aũt.) Qua'nã in re dissentiat hæc secũda ab illa prima, ostẽditur, eius enumeratis uitijs omnibus, quæ tũ eius propria sunt, tum etiã cum Oligarchia cõmunia. Quis igitur secundum.) Quod tota in secunda hac rep. ostendit, nunc in eius ciuibus demonstrat, ut idem uitium & toto in ipso, & in eius partibus ostẽdatur. ait enim, eos fore in primis contumaces, tum crudeles in subditos, deinde prodigos & auaros, quæ quidẽ in illa eorũ rep. erant omnia. Musicæ tamen cup.) id est, qui hac in rep. ciues sunt, moderati nõ sunt, quia modũ in optima rep. positum non seruant: uideri tamen moderati uolunt, ut gratiam colligant popularem, fiatq; Oligarchia, aut tyrannis. Iam dixi sæpe, musicam pro moderatione animi à Platone plerũq; capi. Est utiq; talis adol.) Eleganti similitudine, quàm elati, insolẽtesq; ciues huius reip. uitiosæ sint, docet. Animaduerte hic Platonem, quemadmodum lib. 4. remp. iustam toti animo, eiusq; partes omnes animi uiribus comparauit, sic nunc uitiosam eisdem uiribus nõ bene consentientibus cõparare. ait enim, secundam hãc remp. mediam esse inter iracundiam & cupiditatem, quòd eius ciues elati, ferocesq; sint, quod ab iracundia habeant: atq; etiã auari, & tenaces, quod à cupiditate. Itaq; degeneratio à perfecta rep. quasi per gradus descendit in hanc formam uitiosam, quemadmodũ animi status ab ordine uirium naturali ad hũc perturbatũ, mixtumq; ex iracundia & cupiditate, deuenit. An nõ posthæc Aesc.) Proposita Aeschyli sententia, dicentis diuersos ciuium mores diuersam remp. efficere, ad Oligarchiã transit: quam primùm describit, deinde cum optimo illo genere reip. confert. Vel cæco id.) Prima degeneratio reip. optimæ fuit, in Aristocratiam, seu secundam illam, quam diximus: secunda uerò, de qua nũc agitur, est in Oligarchiam, sed per Aristocratiam, quæ in eã mutatur rursus. Huius igitur Oligarchiæ uitia multa enumerãtur, nimirum quòd eius rectores omnia in utilitatem suam conuertant, diuitijs comparandis tantum intenti sint, potentiam opesq; quærant & augeant, ut pauci dominentur, summotis reliquis, quibuscum unà prius remp. administrabant: ita enim ex Aristocratia fit Oligarchia. Quæ uerò nullo honore.) Hæc uerba trãstulit Cic. lib. 1. Tusc. Honos alit artes, omnesq; accendũtur ad studia gloria. Constitutio quidem.) Postquã ostendit, quemadmodum ex Aristocratia fieret Oligarchia, nunc quid eiusdem Oligarchiæ sit propriũ, docet, idq; similitudinum inductione, quæ id uitij probat illi inesse, q. pauci dominentur, omniumq; opes occupẽt, neglecta multitudine. Multo etiã magis.) A minori ad maius argumẽtatur hoc modo: In omni re, præfici inceptum, & auarum, incommodissimum est: Ergo in rep. magis, cuius habenda est maxima ratio. Addit & his alia eiusdẽ Oligarchiæ uitia. primũ, q. magna sit inæqualitas inter ciues, cum alij summi ac ditißimi, alij infimi sint, & egeni: secundum, quòd rectores illi pauci, tanquã tyranni, à subiecto populo sibi caueãt, ideoq; magis illum opprimant: tertium, q. nulla sit certa ratio munerum publicorũ, cũ quisq; pro audacia & libidine alienũ munus obeat, ut potentior ditiorq; euadat: id quod in rep. optima prohibebatur, cũ distincta essent ciuiũ munera, & ordines. An uis dicamus.) Similitudine eleganti inæqualitatẽ summam ciuiũ Oligarchiæ ostẽdit. ait enim, redactis opibus ad paucos, reliquam multitudinẽ egenã fore: ideoq; ociosam, cum nihil agere poßit, sublata facultate. Ex quo fiet, ut latrones, sicarij, nefarijq; sint multi, cum ui illi rapere, quæ per se habere nequeant, cogãtur itaq; turbulenta & seditiosa hæc resp. existat. Posthæc autem inuest.) Descripta ipsa rep. Oligarchica, ciuis iam in ea uiuentis formã describit, quando similes omnino utriq; sunt: id est, æquè ambitiosi, auari, insolentes, inconstãtes. Atq; hic quidem rat.) Quemadmodum suprà Aristocratiã cum animi affectione uitiosa comparauit, ita nunc Oligarchiã. Ait itaq;, similes esse ciues illius reip. animi cupiditati, sine ratione sese iactanti, q. opibus & potentiæ tantũ studeant. Mutatio quidẽ ipsius.) Nũc confert ea, quæ de Oligarchia dixit, cum ijs quæ in ciue illius insunt, quando idem est utriusq; uitiũ. Quinetiam in eo.) Auarum hominẽ describit, ut eius esse similẽ ciuem Oligarchiæ ostẽdat. utriq; enim pecuniæ auidißimi, tenacißimiq; sunt: alteri ut diuitias, alteri ut opes potentiamq; augeant. Cæcũ sibi.) Alludit ad Plutum diuitiarum deum, quẽ cæcum fingunt poetæ, ut Aristophanes in comœdia eius nominis. Stupiditatem hic, inscitiamq; auarorũ hominũ notat. Non'ne fucorũ naturæ.) Fucorũ similitudinẽ auaris rursus accommodat, q. ut illi melles, ita hi pecuniæ auidißimi sint. Quamobrẽ auarorũ item uitia & mendicitatem describit, ut quòd testamenta subijciant, pupillorũ bona surripiant, in contractib. aliquid eripiãt, suarum, alienarũq; rerũ sint tenacißimi, ac turbulenti, dũ nihil de suo uelint amittere, aliaq; huius generis multa faciãt. Quamobrẽ modestior.) Auari modesti uidentur, dum luxũ cohibent, sed quia tenacitatis causa id faciunt, elati non sunt, sed deiecti potius, & humiles, qui suis sese opib. subijciant. Nunquid ultra.) id est, Putas ne restare quicquã, de auaro homine dicendũ? Posthæc inuestig.) Trãsit ad Democratiã, eiusq; ortum, uitia, formamq; ostẽdit:

quo autem modo fiat ex Oligarchia, in iis docetur. Non'ne hunc in modum.) Ait ergo, redactis omnibus opibus ad paucos, reliquã multitudinẽ egenam fieri, tum paucos illos luxu & abundantia dissolui, hos autem paupertate opprimi. itaq; in his studium libertatis nasci, reiectis illis: istoq; modo paulatim fieri Democratiã. Aculeis armati.) Id est, generositate animi tanquã aculeo instigãte ad libertatem. Homines autem.) Id est, cum omniũ opes ad se conuerterint, reliqui egeni fiunt: siquidem magnæ opes quotidie augentur seu fœnoribus, seu alia ratione. Secundũ quam.) Id est, cum legẽ seu formam opum augendarum sequuntur illi, idq; aliis concedũt, uirtutem deserunt, quæ cum auaricia licẽtiaq; uitæ nequit consistere. Nunc autem his.) Id est, non solum hoc mali inneхunt, quòd uitiis dant locũ, sed copia etiam & luxu fiunt indies imbecilliores, ac molliores. Ita igitur.) Id est, Pauperes contrà uim suam ac robur, diuitũ aũt molliciem in periculis cernunt, incipiuntq; illos contemnere, erectis ad libertatem animis. itaq; dissidium inter utrosq; oritur, qui grauis est reip. morbus. Popularis utiq;.) Ex hoc igitur dissidio summorũ & infimorũ, inter quos nullus est ordo, aut æquabilitas, popularẽ fieri administrationẽ docet, dum potentes dominari, egeni se in libertatem uẽdicare conãtur. Quæ'nã erit igitur.) Postquã se infimi in libertatem uendicarunt, constituitur Democratia, quæ suos mores habet peculiares, & ab Oligarchia diuersos. ut hic à Socrate describũtur, dum totã eam remp. liberam, dissolutam, perturbatãq; esse docet. Quoniã omnia rerump.) Quanquã uitiosa sit Democratia, ut uel Xenophõ in Atheniensiũ rep. describenda refert: hõc tamẽ habere cõmodi dicitur à Platone, q aptissima sit ad suscipiendã cuiusuis bonæ reip. formam, eo quòd tanquam materia rudis & informis eiusmodi ciuiũ societas existat, præsertim si libertas atq; licentia tollatur. Quemadmodũ enim ad remp. cõstituendam, ciuium societatẽ quandam inordinatã, nulla magistratuum forma administratã fingimus: sic idem de Democratia putandũ est, in qua summa sit libertas, æqualitas, uitæq; dissolutio. Contẽplare, quis'nam uir.) Hactenus Democraticã remp. retulit: nũc eius ciues describit, ut in superioribus fecit. id autem ita instituit, ut quemadmodũ Democratia ex Oligarchia orta est, ita ciues Democratiæ ex Oligarchia eadem paulatim corrupti opibus, luxu, & mollicie fieri dicantur. Quo nomine, cum morũ corruptionem dissolutæ huius uitæ causam esse dixerit: obiter cupiditatũ genera & formas cõplectitur, ut ex digressiũcula hac origo dissolutionis noscatur. Necessariæ quidem.) Duplices cupiditates constituit Plato alias necessarias ad uitam tuendam, alias non necessarias, sed hominũ uitio inductas: quarũ utrarumq; exempla proponit. Certè cibi usus.) In iis rebus quibus hominũ uita continetur, necessariam quandam uoluptatem natura inseruit, ut cibo & potioni. Profectò quem fucum.) id est, Talis igitur est ciuis Democratiæ, uoluptatib. se non necessariis dedens: diuersus ab Oligarchiæ ciue, qui auarus est, & tenax. Rursus dicimus.) Commemoratis cupiditatum generibus, redit ad institutum, ut doceat, qualis sit Democratiæ ciuis. id est, quàm dissolutus, & uoluptarius. Nunquid quemadmodũ.) id est, Vt in Oligarchia, in qua distant plurimũ summi ab infimis, si quid adiumẽti alterutri parti accesserit à suo simili, reip. eiusdem statim mutatio fit: ita ciui cõuis adolescẽs, id est, imprudẽs & incautus. iam inde ab infantia naturalibus, necessariisq; cupiditatibus alias non necessarias addit, mutat mores, fitq; dissolutus, ac luxuriosus: itaq; isto modo ex Oligarchico Democraticus ciuis oritur. Quod si quæ suppetiæ.) Id est, si aliquod adiumentũ tali iuueni cupido et elato ad suas cupiditates addatur, à seipso dissentit, cum ratione non moderetur exultantẽ appetitum. Et quãdoq;, ut arbitror.) Dissidii, quod in animo est, formã ostendit, quòd scilicet inconstantia, mutatioq; morũ frequens inde proueniat. Rursus præter eas.) Vim cupiditatũ subinde enascentiũ in eiusmodi animo elato, & malè instituto ostẽdit, ut uitæ dissolutissimæ ciuiũ Democraticorũ causas referat. Nõ ne iratũ.) Id est, ad uitã mollẽ ac delicatam se conferẽt: nec solũ confert, sed probitatem, uirtutemq; irridet. Cum hæc depulerũt.) Ex prauis opinionibus turpia nascuntur facta, uitæ dissolutio, ac licentia. An non ita.) Conclusione complectitur causam dissolutionis, quæ in ciuibus Oligarchiæ ad Democratiam degenerantibus existit. Viuit deinceps.) Non solum quo modo illius ciuis mores mutẽtur, Plato ostendit: sed etiã omnino quemadmodum is uiuat, postquam mutati sint. quod hoc facit in loco, quando id etiã ad Democratiæ dissolutionem, uitiumq; ostendendũ pertinet. itaq; concludit, in Democratia omniũ aliarũ rerumpublicarum genera inesse, siue facultate quadã, ut diximus, quòd ea sit apta ad quamcunq; formã reip. capiendã: siue quòd uitia reliquarũ omnium cõtineat. Reliquum est, ut de præclara illa.) Vltima reip. species est tyrannis, quam Aristoteles lib. 5. speciem per se existentem appellare non uult, sed corruptionem reip. potius. Huius & ortũ, & formam, & uitia, nõ in hoc loco solũ describit Plato, sed in sequenti etiã libro. Fieri aũt tyrannidem ex populari administratione eodem modo putat, quo fiat ex Oligarchia popularis: quoniã ut Oligarchia, uincente multitudine paucos illos rectores, quibus parebat, in Democratiam mutatur, in qua eadẽ imperat multitudo: ita ex Democratia, uincente multitudinem aliquo uiro præstanti & primario, fit Tyrãnis. Qua etiã de causa participem Oligarchiæ & Democratiæ facit tyrannidem Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 10. eadẽ cum Platone sentiens, nisi quòd plures causas tyrannidis affert, quàm ille. Quod sibi ciues.) Quando constat, ex Democratia fieri tyrannidẽ: qua forma fiat,

iam

tam docet. Cōmemorat autem in primis Oligarchiæ & Democratiæ uitia, ut quid in ijs causæ sit ad tyrannidem, ostendat. Ait itaq;, Oligarchiæ id esse proprium, quòd in paucis rectoribus auaritia & ambitio uigeat: Democratiæ uerò illud, quòd nimiū sit libertatis, æqualitatisq́, in ciuibus studium. Ex utroq; autē euenire putat id, quòd cum summo libertatis studio plebs paucos dominatores diuitijs incūbentes, negligētesq́; publici boni, excutere uelit, aut sibi æquare, ne quis sit præstans dignitate, aut opibus, summaq́; illa libertas & æqualitas in seruitutē, id est, tyrannidem degeneret: siquidem extrema libertas in seruitutem extremam abit. Atq; hæc insita non obedientiæ.) Summū æqualitatis, libertatisq́; studium in Democratia existens, inductione ostendit, cum nullus alterum colat, obseruet, & reuereatur: ex quo mutationem aliquam morum fieri, sit necesse. Vides quo tandem omniū.) Id est, ideo de summo libertatis, æqualitatisq́; studio hæc dixi, quòd inde mutatio reip. oriatur: siquidem nulli legi, imperio, ordini, parēre uult plebs liberrima. Morbus porrò.) Democratiæ quasi dispositionem ad tyrannidem depinxit. nunc quomodo inde ipsa nascatur tyrannis, docet. Fieri enim inquit tyrannidem eodem modo ex Democratia, quo hæc ex Oligarchia, quando summa libertas in summā abeat seruitutem: ut hoc argumento patet. Omnis mutatio fit ab extremo contrario in extremum contrarium: nam si è medio aliquid fiat, alteratio est potius. Sed in Democratia est summa libertas: Ergo eam mutari in summam seruitutē est necesse, id est, in tyrannidem. argumentum à subiecto petitur. At non hoc, ut arbitror.) Non satis est dicere, tyrannidē fieri ex Democratia: sed ostendere potius, quomodo fiat. id igitur hoc in loco Plato instituit, dicēs, duo illa ciuium genera, quæ in Oligarchia sint, id est, potentissimi, & infimi, dum inter se acriter contendāt, mutationum esse causam in rep. omni. Dicebam utiq; ociosorum) Potētes ac diuites prodigi sunt. egeni uerò, qui nihil habent quod agant, ociosi. utriq;, tanquam bilis & pituita commixta, morborum, ut est in Timæo dictum, causam præbent, sic in rep mutationes efficiunt. Sic igitur accipiamus.) Quo pacto ex ijs duobus hominum generibus fiat tyrannis, ostendit. itaq; trifariam Democratiā distinguit, seu tria in illa hominum genera constituit, quæ tyrannidi præbeant occasionem: primum, ociosorum, ignauè ac dissolutè uiuentiū, remp. tamen pro nutu regentiū: secundum, bonorum uirorum opibus quærendis intentorum: tertium, uniuersæ multitudinis ab administratione remotæ. Hæc tria genera uariè inter se dissidentia tyrannidē efficiunt. Vnum quidē hoc.) Id est, ociosi isti homines primi generis sunt, ijdēq; & in Oligarchia & Democratia seditiosi existunt: sed in Democratia magis. quia in Oligarchia priuatam habent uitam, imperium gerentibus paucis: in Democratia uerò iudicia, negotiaq; omnia publica pro nutu gerunt, remotis ab administratione bonis omnibus: ut in Athenensi rep. uidere licet. Aliud igitur tale.) id est, Secūdi generis sunt optimi ciues, opibus augendis operam dantes, cum remoti a negotijs sint. Populus autem.) Tertij generis est multitudo reliqua, publicum nihil agens, suis autem negotijs intenta. Quod quidem genus.) Huius tertij generis seu multitudinis licentiam, audaciamq́; describit in bonos ac ditiores, quos spoliare, iniuriaue afficere nitantur sæpe. Coguntur itaq; repugnare.) Id est, At uiri optimi & præstantes, ne à plebe conculcentur & opprimātur, præsidia sibi querūt, ut ei aduersentur. Cum ipsi non cuperent.) Nam erant ipsi opibus quærēdis intenti, gerente rēp multitudine. Tandē uerò postquam.) Ex Democratia uiceuersa fieri Oligarchiam, cum Aristotele Plato inquit, ut fiat tyrannus, quando bonorum numerus populi audaciam opprimere studet. Accusationes igitur.) id est, Postquam autem, comparatis præsidijs, pauci populo repugnare, eiq; imperare incipiunt, tū populus libertati assuetus, unū sibi aliquem defensorem aduersus illos quærit, eiq; se totum committit, ne opprimatur. siquidem pauci potentes uel iudicijs, uel alia ratione plebem domare studēt. Ex quo patet tyrannicum.) Id est, inde igitur nascitur tyrannus, quòd unus deligitur à multitudine, aduersus paucorum potentiū audaciam. nam ille unus in tyrannum mutatur, tanquā in lupum quendam, ut fabulæ narrant: id est, in sæuū & crudelem populi deuoratorem. Quod quisquis humana.) Similitudine quadam tyranni sæuitiam, crudelitatemq́; in suos demonstrat. Quare necesse est.) Exemplum crudelitatis tyrānicæ in Octauio Augusto, antequā solus imperio potiretur, item in Nerone, Caligula, licet animaduertere. Ac si eum calūnijs) Gradus, per quos ad tyrannidem ueniatur, commemorat, ut fraudes, dolosq; ad uiros præstantes è medio tollendos: cui etiam rei plebs fauet inepta, dum tota se illi tyranno submittit, ut à paucis se potētibus tueatur. An uis enarremus beatitudinem.) Hactenus, quomodo tyrannus fieret, docuit. nunc, postquā effectus sit, qualis existat ostendit, descriptis tyranni moribus sæuis & nefarijs, utpote qui ad dominationem, imperiumq́; occupandum referantur. Bellū aliquod nititur) Nimirum ut opes populi subditi attenuētur, quo possit eum facilius domare. Consentaneū est.) Nō modò præstantes quosuis homines de medio tollit tyrannus: sed summam etiam curā, cautionemq́; ad id adhibet, ne aliqua ex parte ipsius dominatus periclitetur. Siquidem medici à corpore.) Ironicè dixit suprà, tyrannum ciuitatem bonis uiris purgare: nunc ironiam declarat, eius purgationis insalubritate ac pernicie demonstrata. Non temerè igitur tragœdia.) In Tragicos poetas tyrannicā uitam laudātes inuehitur, quòd uitæ generi teterrimo adulentur: ut in Euripidē, qui uersum ea de re scriptum reliquit, à C. Cæsare, ut Suetonius scribit, frequēter

usurpatum: Si uiolandum ius est, imperij causa maximè. Enimuero poetæ.) More suo Plato poetas insectatur acerrimè, quòd ut aliorum uitiorum, sic tyrãnidis prædicatores, autoresq; sint. Sed ne postquam huc.) Redit ad institutam tyranni descriptionem, id est, rapinas illius, furta, sacrilegia, crudelitatem, ceteraq; facinora commemoranda. Quid uerò si succenseat.) Id est, quid si populus sentiat opprimi se ab eo, quem tutorem libertatis suæ sibi præfecit? Hic filium uocat tyrannum ipsum, parentem uerò eius populum, qui illum sibi adiunxit tanquam defensorem At noscet per Iouem tunc.) Populi stupiditatem notat egregiè, quòd se nimis incautè unius imperio subiecerit: quod subterfugere nequeat postea, si uelit. Hactenus igitur uitæ tyrannicæ mores, studiaq; descripta sunt.

ARGVMENTVM IN LIBRVM PLATONIS IX. de Republica.

ADhuc Socrates superiori libro inceptam tyrãni descriptionem persequitur. in primis autem de generibus uoluptatum, gradibusq; agit: ut doceat, quemadmodum pro cupiditatũ uarietate mutetur resp. mutatis hominum moribus. Deinde tyranni mores, actus, sceleraq; omnia persequitur: nec in ipso tyranno id solum, sed in eius rep. etiam ostendit, quando alter alteri similis est. His ita propositis, omnes resp. formas iam enumeratas inter se confert. in quo duo extrema ponit, quibus reliqua interijciantur: unum bonum, id est, regnum: alterum malum, id est tyrannidem, quorum commodis & incommodis enumeratis, & inter se collatis, ad extremum epilogi loco suam omnem de iusticia sententiam ab exordio huius operis inceptam exponit: uidelicet, quid uerè iusticia, iniusticiaq; sit, quid utriusq; sit proprium, quomodo denique nostris animis insit.

PLATONIS DE REPVBLICA LIBER NONVS.



DEinceps considerandum restat, inquam ego, quanam ratione uir tyrannicus ex populari fiat, qualisq; sit, & nunquid uitam ducat miseram, an beatam. Certè id reliquum est, inquit ille. Scis quid adhuc desiderem? Quid? Nondum sufficienter distinxisse uidemur, quot sint, & quales cupiditates. Ac nisi id constet, obscurior erit eius quod quærimus inquisitio. Opportunum uerò adhuc erit. Prorsus quidem. ac uide quid in eis nosse uelim: est autem tale. Earum uoluptatũ cupiditatumq; quę nõ necessariæ sunt, uidẽtur mihi quædam legibus repugnantes, omnib. inesse quidem: legibus autem & melioribus cupiditatibus pariter cum ratione castigatæ, in quibusdã hominibus uel omnino obsolescere, uel adeò reprimi, ut raræ admodum exilesq; reddantur: in alijs autem uehementiores frequentioresq; euadere. Quas potissimum istas uocas? Quę in somnis sæpius excitantur, quoties animi pars illa, quę rationis particeps, mãsuetaq;, & illius domina est, dormit: ferina autem & agrestis, cũ sit immoderato potu atq; pastu repleta, exultat, tentatq; excutere somnũ, & solitis libidinibus indulgere. Tũc quippe nihil est quod non audeat, ueluti soluta & libera omnibus uerecundiæ prudentiæq; præceptis: ut aut cum matre corpus miscere uideatur, aut cũ quouis alio homine uel Deo, sæpe & belua, atque etiam trucidare aliquẽ, & impiè cruentari, & à nulla prorsus uoragine abstinere: nec, ut breui complectar, ab ulla insania uel impudentia temperare. Vera nimium loqueris. At cum quis rectè moderateq; habens, quieti se tradiderit, ea parte animi, in qua est ratio, excitata & recta, saturataq; bonarum cogitationum epulis, & ad seipsam contemplando conuersa: ea uerò quæ uoluptate alitur, nec inopia pressa, nec satietate affluenti, ut quiescat maximè, neq; optimam partem illam aut gestiendo, aut mœrendo perturbet, sed sinat eã per seipsam solam ac purã cõsiderare, indagare atq; percipere quicquid ignotũ hactenus uel præsentium, uel præteritorum, uel futurorum: illa etiam tertia parte animi, in qua irarũ æstuat ardor, sedata atq; restincta, usqueadeò ut nulli infensa

quie-

quiescat: atque ita, inquam, partib. quidem duab. pacatis, mēte uerò erecta, somno se comparet: tunc demū mens pura ueritatē attingit, neque insomniorū uisa nefaria sese obijciunt. Sic prorsus existimo. Quid plura? Id summatim uolumus: Vnicuique inesse speciē quandam cupiditatū diram, agrestē, atque iniquam, atque etiam in his qui inter homines maximè moderati uidentur. Quod in somnis fit manifestum. Numquid igitur dicam, & utrum consentias, tu uideris. Consentio equidē.

Recordare, qualem uirum esse diximus popularem. Erat autem is, qui ab ineunte ætate sub parco nutritus est patre, qui lucri cupiditati indulsit solū: cæteras uerò non necessarias, sed ludi ornatusque comites spreuit. Nonne ita?

Ita prorsus. Cōuersatus deinde cū elatioribus uiris, plenisque libidinibus his quas modò narrauimus, declinare cœpit ad petulantiam omnem, eorūque mores, paternæ parsimoniæ odio. Cū uerò ingenio meliore esset quàm corruptores, utrinque distractus, mediam nactus est utriusque moris affectionē, moderatè utranque secutus, ut ipse putat, neque illiberalem neque dissolutā uitam agens, ex paucorum potentiæ cupido mutatus in popularem. Erat utique, & est circa huiuscemodi uirū hæc opinio. Pone rursus huius iam natu grandis filium, primis ab annis paternis moribus imbutum. Pono. Ponas iterum eadem huic accidere quæ patri cōtigerant, ut ad omne trahatur flagitium, & lasciuientis uitæ licentiam, quam tamen hi qui uiuunt, integram nominent libertatem: pater autem, alijque domestici, istis cupiditatibus, quas in medio quodam esse diximus, suffragētur: alij item opem suggerant. Vbi uerò iam sperauerint uehementes illi incantatores, nutritoresque tyrannidis, adolescentem se non aliter continere posse, amorem in eo aliquem quibusdam machinationibus excitent, præsidem tutoremque ociosorum, & ad libidinem illi subministrātium desideriorum, alatum certè, & ingentem fucum. Numquid aliud amorem talium esse putas? Nihil aliud. Quando uerò circa ipsum susurrantes cupiditates aliæ, refertæ nidore, unguentis, coronis ac mero, resolutisque consuetudinum talium uoluptatibus coaugent prorsus, aluntque desiderium illud, atque ita fuco aculeum addunt: tunc iam hic animi præses furit omnino, dementiaque feruet: atque stipatus inde satellitibus, furiaque percitus, si quas intra se frugales & uerecundas opiniones cupiditatesque offenderit, protinus extirpat, expellitque, quousque temperantiam omnem animo eijciat, seque noua insania repleat. Egregiè tyrannici uiri refers originem. Nonne & olim hanc ob caussam amor tyrannus est dictus? Videtur planè. Et ebrius uir, ô amice, nonne tyrannicum gerit animum?

Sanè. Quinetiam furiosus & extra se positus, non solum hominibus, sed & dijs imperare contendit, speratque se id consequuturum. Vehementer.

Tyrannicus autem, ô beate, uir reuera fit, quando uel natura uel studijs uel ambobus temulentus, amori obnoxius, furiosus euadit. Prorsus ita se res habet. Ita igitur talis uir, ut apparet, efficitur. Viuit autem quo pacto? Id uerò, ut aiunt qui iocantur, mihi tu dices. Dico equidem. Post hæc, ut arbitror, festis indulgent bacchanalibus, comessationibus, scortis, cęterisque huiuscemodi omnibus, hi quorum tyrannus amor, intus animi incolens penetralia, regit omnia. Necesse est. Itaque multæ profectò diesque noctesque uehementes cupiditates multorum indigæ pullulant. Multæ quidem. Citò igitur si qui prouentus extiterint, consumuntur. Quidni? Post hæc utique fœnora, & patrimonij dissipatio.

Proculdubio. Quando uero deficiūt omnia, necesse est cupiditates uociferari atque conqueri, quę quidē frequentes ardentes que in nido animi delitescunt: eos autem ueluti stimulis quibusdam perculsos, libidinibus scilicet alijs, præsertimque amore aliarum omnium tanquā satellitū duce, iactari efferrique ad explorandum si quis quic-

quam poſsideat, quod uel fraude ſurripi, uel ui eripi poſsit. Maximè. Quapropter coguntur uel undiq; uſurpare, uel ingentibus ſtimulis & doloribus cruciari. Coguntur planè. Num quemadmodum nouę cupiditates ipſius adultæ, priſtinas exuperararunt, & quæ illarum erant, uſurpauere: ita & ipſe iuſtum eſſe cẽſebit, ut ipſe iunior plus habeat quàm parentes: & ſi portionem ſuam conſumpſerit, paterna inſuper eroget? Cur nõ? Quod ſi parẽtes illi nequaquam permiſerint, principio furari, eosq; decipere aggredietur. Omnino. Sin iſtud non poterit, rapiet iam, uimq; parentibus inferet. Sic arbitror. Ac ſi pater materq; ſenes, ô mirifice uir, reſiſtant, repugnentq;, nunquid eos uerebitur, atq; ita ſe continebit, ut nihil agat tyrannicum? Patri equidẽ ac matri ſic affecti hominis timeo. Per Iouem, ô Adimante, inquam ego, nunquid gratia nuper amatę cuiuſdã cõcubinæ non neceſſariæ, amicã iam olim neceſſariãq; matrẽ, aut gratia ſpecioſi alicuius nuper amati adoleſcẽtis non neceſſarij, deformem & neceſſariũ ſenem patrem, & amicorum omniũ antiquiſsimum, tibi uir talis uidetur uerberibus obiecturus, eosq; illis ſubiecturus, ſi eandem in domum induxerit? Per Iouẽ, omnino. Quàm beatum eſſe uidetur, tyrãnicum filium genuiſſe. Non multum. Quid uerò? cum parentum ſupellectilis non ſufficiet, in eoq; iam erit examen cõfertiſſimum uoluptatum, an non primò parietem alicuius perfodiet domus, uel nocte ſerius euntis palliũ rapiet? deinde etiam templum aliquod expoliabit? atq; in his omnibus eas quas olim à pueritia de honeſtis & turpib. quaſi iura quædam quibus iudicabatur, opiniones habuerat, illæ quę nuper ſeruitutem exierunt, tanquam ſatellites ſtipantes amorẽ, unà cum eo iam ſuperabũt: quæ quondã dormiẽte illo per inſomnia tantũ ſoluebãtur, cũ adhuc ſub legibus paternisq; præceptis populari in ſeipſo inſtitutus eſſet cõditione: tandem uerò amoris tyrannide irretitus, qualis rarò erat in ſomnis, talis ſemper erit uigilans? Nam cęde impia nulla abſtinebit, nec ingluuie, nec facinore: ſed tyrannicè in ipſo amor omni cũ licentia & tranſgreſsione uiuens, utpote qui ſolus ſit dominus, ſubiectum ſibi hominem tanquam ciuitatem imprudenter ad omnia rapiet: unde & ſeipſum & turbam ſuorum ſatellitum nutriet, partim extrinſecus ingreſſam ex improba quadam conſuetudine, partim intrinſecus ex eiſdem morib. ab ipſo ſolutã & manumiſſam. Non'ne hæc talis hominis uita? Hæc prorſus. Ac ſi pauculi tales in ciuitate ſint, reliqua uerò multitudo omnis modeſta, quia iſtic locus non ſit, profectũ, tyrannum aliũ ſtipabunt: acceptaq; mercede, ſicubi ei bellum eſt, iuuabunt. ſi uerò locus ipſis ſit in eadem iſtic ciuitate, mala multa minuta committent. Qualia? Furabuntur, parietes perfodient, marſupia incident, expoliabunt prædabunturq;, ſacra rapient, captos homines ſeruire cogent, necnon calũniabuntur quandoq; ſi dicendo ualẽt, periurijsq; decipient homines, & muneribus corrumpentur iudices. Minuta hæc dicis mala, ſi pauci tales ſint? Hæc quidem ſi ad maiora comparẽtur, dicuntur exigua. Atq; hæc omnia ad tyrannum comparata, malicia miſeriaq; ciuitatis haudquaquam, ut prouerbio dici ſolet, ad ſcopum accedũt. Quoties enim in ciuitate tales multi reperiuntur, eosq; alij ſequuntur multi, ſentiuntq; ingentem ſuorum copiam, tyrannum procreant inſcitia plebis, eum præ cæteris, qui inter illos ita eſt affectus, ut in animo ſuo tyrannum habeat potentiſsimum. Conſentaneũ id quidem. Tyrannus quippe is erit potiſsimus. Non'ne facile id ſit, ſi ceſſerint omnes? Sin autem ciuitas tyranno huic obſtiterit, tunc ſanè is, quemadmodum in ſuperioribus patrem matrem'que ſubegit, ſic rurſus & patriam pro uiribus ſubiget, alios inducens iuuenes, hisq; ſeruire coget olim ſibi charã patriã matriamq;, ut more Cretenſium loquar, tam educatione quàm habitu: atque is erit cupi-

cupiditatis eius hominis finis. Sic prorsus. Non'ne isti tales priuatim fiunt, antequam dominentur? Principiò cum his conuersantur ut plurimū, qui blandiuntur illis, & in omnib. assentantur. Ac si qua re indigeāt, idem & ipsi agunt, submittunt se, & quamcunq; gerūt personam tāquā domestici. Voti uerò cōpotes cum facti sunt, extraneos se esse declarāt. Et maximè quidem. Omnem ita ætatem agunt. Amici quidē nemini unquam, semper autē dominantes alicui, uel alicui seruientes. Libertatē uerò & amicitiam ueram nunquā ingenium tyrānicum gustat. Maximè. Non'ne huiusmodi homines iure infidos nominabimus? Iure. Quin etiā iniustos quàm maximè fieri potest, si modò in superioribus rectè inuicem, quale quid iusticia sit, concessimus. Rectè quidē. Concludamus igitur, qui sit uir pessimus. Est autem is qui talis est uigilans, qualem suprà figurauimus somniantem. Omnino. Talis utiq; fit, quisquis cum natura tyrannicus maximè sit, ut solus dominetur assequitur, & quò diutius in tyrannide uiuit, eò magis est talis. Ita necesse est, inquit Glauco, partibus respondendi susceptis. Quisquis iniquissimus apparet, & miserrimus apparebit: & qui diutissimè maximeq; potitur tyrannide, maximè & diutissimè iniquissimus reuera est, & miserrimus. Multis autem multa uidebuntur. Ita se hæc habere necesse est. Tyrannicus uir ciuitati tyrannide oppressæ simillimus, Popularis uir populari, cæteriq; similiter. Quid ni? Sicut se habet ad ciuitatem ciuitas uirtute & felicitate, ita uir quoq; se habet ad uirum. Nihil prohibet. Quomodo se habet tyrāno subiecta ciuitas ad eam quę regi paret, qualem primò descripsimus? Contrà omnino. Nam una quidem optima, altera pessima. Haud interrogabo quam dicas. Constat enim. Verùm de beatitudine atq; miseria eodem modo an alio iudicas? Neq; uerò tyrānicæ ciuitatis speciem admiremur, ad solum tyrannum respicientes, aut ad eos paucos qui cum eo rerum potiuntur: sed ut decet omnem penitus ciuitatem ingressi, lustremus singula, & ad cuncta conuersis oculis feramus sententiā. Probè admones. Constat autē, apud quemlibet nullam ciuitatem tyrannide pressa esse miseriorē: nullamq; rege gubernata, beatiorem esse. Si idem circa uiros obseruari iuberem, num rectè pręciperem? uidelicet si censeam ei iudicium permittendum, qui cogitatione possit tyranni mentem irrepere, ac mores penitus introspicere, neq; ut pueri solent, exteriora intuēs obstupescat, dum tyrannicam illam aspicit pompā, quam procul illi intuentibus frequenter ostentāt, sed perspicaciter iudicet: si inquam, eum nobis audiendum cēseam, qui discernere ualeat, quiq; unà & habitauerit, & domesticis actionib. interfuerit, tum qui nouerit, quo pacto erga familiares singulos ille sit affectus. nam in his maximè qualis sit apparet, omnem scilicet tragicum exutus apparatum, rursusq; popularibus in periculis: hęc omnia dignoscentem si iubeam declarare, quo pacto se ad alios tyrannus habeat, quod ad beatitudinem miseriamq; pertinet, nunquid rectè iuberem? Rectè admodum & ista iuberes. Vis'ne fingamus & nos ex eorum numero esse, qui iudicare possint, atq; illis adhæserint, ut aliquē habeamus qui ad ea quæ interrogamus respondeat? Volo equidem. Age itaq;, sic cōsidera similitudinem, memoriam repetens & ciuitatis, & uiri, atq; ita sigillatim uicissimq; utriusq; affectus animaduerte. Dic quales. Principiò, liberam ciuitatem tyrannicam dices, an seruam? Maximè omnium seruam. Attamen in ea dominos ac liberos inspicis. Planè, sed exiguum quidem istud: uniuersum uerò, ut ita dicam, in ipsa & præstantissimum genus, turpiter ac miserè seruit. Si igitur ciuitati uir similis, necesse est in illo eundem esse ordinem, multaq; illiberalitate & seruitute eius animum opprimi, easq; animi partes seruire, quę præstantissimę sunt: exilem uerò partē, ignauissimā dementissimāq; dominari,

minari. Necessarium. Quid porrò? Seruum an liberum huiusmodi animũ appellabis? Seruum. Atqui serua & tyranno subdita ciuitas, minimè quæ uult agit. Nimirum. Tyrannicus igitur animus minimè quæ uult efficiet, ut sic de toto animo dicam: sed stimulo semper percitus uiolẽto, perturbatione pœnitentiaq; redũdabit. Quid ni? Tyrannicã ciuitatem, diuitẽ'ne, an pauperẽ esse necesse est? Pauperem. Animum quoque tyrannicum, mendicum semper & inexplebilẽ necesse est esse? Est ut dicis. Metu uerò sollicitari, an non necessarium est ciuitatem talem, talemq; uirum? Valde. Lamentationes præterea, suspiria, fletus, angustias censes in alia ciuitate frequentiores te reperturum? Nullo pacto. In homine insuper alio talia quædã plura inesse putas, quàm in tyrãnico isto, qui cupiditatib. amoribusq; insanit? Quo'nam pacto? Profectò ad hęc respiciens omnia, cęteraq; generis eiusdem, ciuitatem tyrannicam ciuitatum omnium esse miserrimam iudicasti. An non rectè? Summopere. Verùm de uiro rursus tyrannico quid ais, quoties eadẽ hæc animaduertis? Longè cunctorum dico hunc esse miserrimum. Hoc non rectè dicis. Quamobrem? Nondũ hic est, ut arbitror, talis maximè. Quis ergo? Iste forsitan tibi hoc miserior esse uidebitur. Quis inquã? Qui cũ natura tyrannicus sit, uitam non agit priuatam, sed est infelix, & sorte quadam eò deducitur, ut tyrãnide potiatur. Ex his quæ dicta sunt, uera te loqui cõiecto. Ita est. Verùm talia quędam non opinari oportet, imò uerò diligentissimè ratione tali inuestigare. De maximo enim quodam nobis disceptatio est, bona scilicet uita, ac mala. Scitè. Attendite itaq;, si quid dicam. Videtur enim mihi ex his de hoc esse considerandum. Ex quibus? Ex unoquoq; scilicet priuatorũ, quotcunq; ita diuitijs abundant, ut multa habeant mancipia. Isti nanq; id tyrannis habent simile, quòd multis imperant. Interest autem, quòd tyrannus pluribus dominatur. Interest utiq;. Nosti quòd hi securi cum familia uiuunt, neq; famulos metuunt? Nempe. Quid enim metuant? Nihil. Sed nunquid causam tenes? Equidem, quoniam uidelicet ciuitas uniuersa singulis priuatorum succurrit. Præclarè loqueris. Quid si quis deorum uirum unum, cui quinquaginta uel plura mãcipia sint, educat è ciuitate unà cum uxore ac liberis, constituatq; in solitudine cum rebus suis omnibus, atq; mancipijs, ubi liberorum hominum nullus ferre huic auxilium possit: quali cum & quanta formidine uexatum iri existimas, ne fortè mancipia ipsum & filios & uxorem interimant? Summa, ut arbitror. An non cogetur seruis quibusdam blandiri, polliceriq; multa, & manumittere, cum sibi nihil opus sit? Vnde & ad ministros suos ipse adulator erit. Cogetur penitus uel ita facere, uel perire. Quid? si alios adhuc Deus in ea regione disposuerit, proximos illi complurimos, qui nequaquam sustineant ut alter alteri dominetur, ac si quidem deprehẽderint sibi dominium uendicantem, supplicijs extremis afficiant? Deteriorem admodum eius conditionem fore censeo, si hostium uallo includatur. An non tali quodam carcere clausus est tyrannus, natura talis existẽs, qualem in superioribus explicauimus, multis uidelicet diuersisq; timoribus & amoribus agitatum? Cum uerò ingenio sit apprimè cupido, huic soli neq; egredi usquam licet, neq; inspicere quæ liberis hominib. lubitum est: sed intra ædium parietes formidosus ueluti mulier commoratur, inuidens ciuib. alijs si quis extra mœnia spaciatur, & boni quicquam spectat. Sic prorsus. An non ab huiuscemodi malis plura insuper incurrit uir ille, qui malè seipsum gubernans, quem & tu modò miserrimum iudicabas tyrannicũ, haudquaquam priuatus uiuit: sed fortunæ ui quadam, ut tyrannidem exerceat, cogitur: cumq; sibiipsi imperare nõ possit, alijs imperare contendit? perinde ac si quis imbecillo corpore, & suis sę

uiribus

uiribus non sustinente, cogatũ ut quietem agat secũ ipse nunquã, sed aduersus alia corpora certet ac pugnet. Simillima inducis, ô Socrates, atq; uerissima. Nónne igitũ, ô amice Glauco, miserabilis omnino hæc est conditio, duriorq; uita est hominis nacti tyrannidẽ, ea uita quam tu suprà durissimam iudicabas? Valde. Est autem re ipsa, quamuis alicui non uideatur: uerè tyrannus uerè seruus, extremæ adulationi seruitutiq; astrictus, libidinis nequissimorum hominum adulator: qui appetitus suos explet nunquam, sed plurimis indiget semper, atque inops reuera esse apparet, si quis penetralia animi ipsius inspexerit. Pauore quinetiam perpetuò territus, & solicitudine angustiaq; uexatus, si modò ciuitatis eius statui cui præest, ipse est similis. Similis autem existit. An non? Et maximè quidem. Præter hæc uiro huic illa etiã tribuemus, quæ antea memorauimus, quòd necesse sit eum & esse prius, & postea multo magis, cum tyrannidem est adeptus, inuidum, iniustum, expertem beneuolentiæ, impium, omnisq; nequitiæ sentinam ac fomitem fieri: ex hisq; cunctis esse miserrimum, atq; alios etiam qui adhærent ipsi, similes reddere. Nullus mentis compos hic contradixerit. Age, quemadmodum iudex omnia circumspiciens de singulis iudicat: ita tu in præsentia proferas, qui tuo iudicio primus beatitudine, qui secundus: cæteros'que gradatim, qui in numero quinq; sunt, enarra: regium, honorifici imperij studiosum, paucorum potentiæ cupidum, popularem, atque tyrannicum. Ac facile iudicium istud. Nam uelut sum ingressus, istos quasi choros uirtute & prauitate, beatitudine, & huic contrario, inter se comparo atque iudico. Num præconem conducemus? an ego hęc potius pronunciabo? Aristonis filium iudicasse, uirũ optimum & iustissimum, esse beatissimum: eumq; esse dixisse hominem maximè omnium regium, seq; ipsum regentem, pessimum uerò & iniquissimum, esse miserrimum: talemq; eum esse, qui maximè tyrannus sit, seq; ipsum & ciuitatem tyrannide premat? Ita sit promulgatum. Nunquid adijciam, siue lateant sic affecti homines, siue non lateant homines pariter atq; Deos? Adijce. Esto igitur. etenim una hæc demonstratio sit. secundam uerò si uidetur, hanc cõuenit intueri. Quæ'nam ista? Postquam, sicuti ciuitas tres in species diuisa est, ita & cuiusq; anima trifariam diuidetur, ut arbitror: atque hinc demonstratio secunda nascetur. Quæ'nam? Hæc. Cum tres animæ partes sint, tres quoque uoluptates esse uidentur, sua cuiusq; partis propria. Cupiditates quoque totidem, & principatus. Quo pacto? Partem unam dicimus, qua homo discit. Alteram, qua irascitur. Tertiã uerò, propter uarietatẽ uno nõ potuimus proprio ipsius uocabulo nominare: sed ex eo quod in se continet maximum uehementissimumq;, concupiscibile appellauimus, propter uehementiam earum cupiditatum quæ ad cibum potumq; & uenerea rapiũt, & ad ea quæ ista sequuntur: nec non auarum cognominauimus, quoniam pecunijs maximè huiusmodi cupiditates explentur. Rectè. Ac si uoluptatem, affectumq; eius lucri dixerimus esse, in unam maximè summam reducemus orationem, ut aliquid nobis certum ipsi significemus, quoties id ipsum partem hanc animę dicimus. Atque si totum hoc, pecuniarum & lucri cupidum nominemus, rectè admodum appellabimus. Mihi quidem ita uidetur. Quid uerò? Irascendi natura nónne ad potentiam, uictoriam, gloriam, trahit tota? Magnopere. Si igitur eam contentiosam ambitiosamq; appellabimus, nunquid rectè? Rectissimè. At uerò partem illam qua discimus, constat cuiq;, omnẽ ad ueritatem inuestigandam semper anniti, pecuniarumq; & gloriæ minimã curam habere. Omnino. Si tertium hoc dicẽdi cupidum & philosophum nominabimus, haud ab re erit nomen impositum. Est ut ais. Nónne dicimus, in animis quorundam unam illa

rum partium dominari, in aliis aliam, quancunq; contigerit? Dicimus. Propterea dicimus tria hominum prima genera esse, philosophum, contentiosum, auarum. Prorsus. Voluptatum quoque species tres hisce subiectas, cuique suam. Omnino. Si tu unumquemq; istorum seorsum interroges, quæ uita istarum dulcissima, suam quisq; cæteris anteponet. Auarus quidem lucri ipsius comparatione, honorum uel disciplinarum oblectamenta nullius existimabit, nisi quid forsan ad argentum conferant. Vera loqueris. Ambitiosus autem, quæstus delectationem molestam putat, rursusq; eam quæ discendo percipitur, nisi doctrina inanem & umbratilem hominum pariat gloriam. Ita res se habet. Philosophum quoq; ponamus cæteras uoluptates floccipendentem, dum eas ad iuge discendi gaudium, quo ipse fruitur inuestiganda ueritate, comparat: cæteras autem non necessarias uocantem, quia illas secuturus non sit, nisi necessitas cogat. Bene id nosse oportet. Quando igitur cuiusq; uitæ uoluptates, ipsaq; uita in contentionem uenient, non de hoc quod est honestius aut turpius uiuere, uel melius, aut deterius, sed de suauiori pacatioriq; uitæ statu, qua ratione discernemus cuius sit sententia uerior? Haud satis habeo quid respondeam. Sic autem animaduerte. Quá nam iudicare oportet, quæcunq; recte diiudicanda sunt? Nonne peritia, prudentia, ratione? An habet quisquã alia, quibus melius iudicet? Nullo modo. Attende igitur: Cum tres sint, quis nam horum maximè expertus est omnes quas narrauimus uoluptates? Vtrum auarus discendo qualis sit ueritas, magis tibi uidetur expertus discendi iucunditatem, quàm philosophus lucri? an potius contrà? Permultum interest. Philosophum nanq; necesse est uoluptatem alterius à pueritia degustasse: auarum autem haudquaquã necesse est in ueritatis inuestigatione quanta insit oblectatio percepisse, expertumque fuisse. Imò uerò si nitatur, non facile istud assequitur. Longè igitur auaro philosophus utrarumque uoluptatum experientia præstat. Longè. Ambitiosus uerò, nunquid magis sapientiæ quàm philosophus honoris oblectamenta gustauit? Honor quidem omnes eos sequitur, si propositum sibi officium exequantur. Etenim diues à multitudine honoratur, & fortis & sapiens. Quapropter omnes, quãta prouenit ex honore uoluptas, usu ipso intelligunt: quanta uerò sit in ueritatis contemplatione suauitas, solus philosophus sentit. Igitur quantum ad experientiã attinet, optimè philosophus præ cæteris iudicat. Valde. Quin etiam unà cum prudẽtia solus erit expertus. Nihil prohibet. Præterea organum illud per quod iudicandum est, non auari aut ambitiosi hominis, sed philosophi est instrumentum. Quale istud? Per rationes enim esse diximus iudicandum. Diximus. Rationes autem præcipuè philosophi sunt instrumenta. Patet. Si diuitiis lucroq; optimè unumquodque iudicaretur, quæ laudaret uel improbaret uir quæstui deditus, necesse esset hæc esse uerissima. Penitus. Si autem honore, uictoria, fortitudine, quæ ambitiosus & ad uictoriam ardentissimus iudicaret. Constat. Postquam uerò experientia, prudentia, ratione, necesse est quæ philosophus, & rationis uir studiosus laudat, esse uerissima. Quare cum tres uoluptates sint, uoluptas partis eius qua discimus, erit utique suauissima: eiusq; dulcissima uita, in quo hæc pars dominatur. Nihil obstat. Nempe philosophus, apud quem uerè iudicandi est autoritas, suam laudat uitam. Quam uerò secundam esse uitam, aut quam secundam uoluptatem arbiter ille ponat? At cõstat, quòd bellicosi ambitiosiq; hominis. Propinquior enim illi hæc quàm auari. Postremam igitur lucri cupidi uitam locare uidetur. Quidni? Duo hæc itaq; sibi inuicem ita succedunt, bisq; iustus iam uicit iniustum. Ternum uerò Olympicorũ ritu, seruatori & Olympio Ioui tribuens, contẽplare nullius præterquam

terquam prudētis uoluptatem ueram prorsus existere, neque sinceram, sed umbratilem atque inanem, ut ego ex sapientum aliquo audisse mihi uideor: atque hic erit grauissimus iniusti casus atq; ruina. Mirum in modum. Verùm quo pacto istud ais? Ita certè inueniam, te respondente perquirens. Quære. Dic obsecro, nónne dolori contrariam dicimus uoluptatem? Dicimus. Medium quinetiam quoddam ponimus, quod neq; lętari est, neque dolere? Ponimus. Et cum medium sit, quietē uacationemq; animi ab utroq;. Nónne ita hoc dicis? Ita planè. Meministi qualia esse solent ægrotantium uerba, dum morbo laborant? Qualia dicis? Nihil esse dulcius sanitate, sed eos latuisse autē quàm dulce id sit, antequam ægrotarent. Recordor equidem. Nec non acerbissimis dolorib. uexatos homines exclamantes audis, nihil esse dulcius quàm ea afflictione uacare. Audio. Quinetiam alijs permultis huiusmodi afflictionibus cruciatos homines audis, dum cruciantur, uociferantes, asserentesq; dulcissimum esse nullo dolore affici, pręsentiq; molestia esse liberum: non autem dicunt dulcissimum esse lętari. Nempe hæc illis quies tunc fortè gratissima. At uerò cum lętari quis desinit, uoluptatis cessationem illam molestam existimabit? Fortè. Quies igitur illa quam paulo antè utrorumq; mediam esse diximus, quandoq; utraque erit, tum dolor scilicet, tum uoluptas. Videtur. Num fieri potest, ut quod neutrum est, sit utraque? Non, ut arbitror? Atqui quando in animo uoluptas est, aut dolor, ambo motus quidam insunt? Vtiq;. Tertium uerò illud quod neq; dolor est, neq; uoluptas, nónne quies aliqua & istorum medium esse nuper apparuit? Planè. Quo pacto igitur rectè putabimus, non dolere quidem suaue: non lætari uerò, acerbum esse? Nullo. Istud igitur non est, sed apparet, si ad molestum quidem conferas, iucundū, si ad iucundum uerò, molestum: idq; tunc medium est, & quies. Neque ulla huiusmodi ueri quicquam de uoluptate nobis offerūt, sed deceptione quadam proueniunt. Sic monstrat ratio. Vide igitur uoluptates, quæ dolorem nullum sequuntur: ne sæpius id in pręsenti disputatione ita natura cōparatum existimes, ut uoluptas quidē doloris, dolor uerò uoluptatis priuatio sit. Quorū, inquit, & quas uoluptates dicis? Multę quidem & alię sunt, sed pręsertim, si animaduertere uis, uoluptates quæ circa olfactum fiunt: hæ nanq; nullo prius antecedente dolore, repentè ingentes proueniunt: & cū cessant, dolor eas nullus sequitur. Verissima narras. Ne credamus igitur, doloris cessationem, puram uoluptatem esse: neq; dolorem, uoluptatis absentiam. Non. At uerò earum quæ per corpus ingrediuntur in animum, uoluptatesq; dicuntur, fermè maximę quæq; ac plurimæ tales sunt, ut dolorum liberationes sint. Sunt profectò. Et quæ circa hæc futura ab expectatione nascuntur, pręgustationes quædam uoluptatis atq; doloris, eodem modo se habent. Eodem. Scis quales hæc uoluptates sunt, & cui maximè similes? Cui? Putas aliquid in natura esse supremum, infimum, medium? Equidem. Censes aliquem cum ab infimo ad mediū fertur, aliud arbitrari quàm ad summum ascendere? & dum stat in medio, deflectitq; oculos illuc unde uenerat, alibi esse opinari quàm in supremo, cum id quod reuera est summum non cernat? Per Iouem, non aliter hominem talem opinaturum existimo. Si iterum deferatur, deorsum ferri opinabitur, ac uerè putabit? Quidni? Nónne hæc illi eam ob causam contingunt omnia, quia nondum expertus est quid uerè supremum sit, quid medium, quid'ue infimum? Manifestum est quidem. Nunquid ergo miraberis, si ueritatis imperiti homines, tum de multis alijs non rectè sentiunt, tum etiam circa uoluptatem & dolorem, horumq; medium sic afficiuntur, ut quoties in dolorē incidunt, uerè iudicent, doleantq; reuera: quoties uerò à dolore surgunt

in medium, & repletionē & uoluptatem assequi arbitrentur? Et quemadmodum qui iuxta nigrum, solum aspiciunt fuscum, quoniam non uident album, clarissimũ illud existimant: ita & qui doloris uacuitatē comparant cum dolore, ueram autem experti nõ sunt uoluptatē, iudicando decipiantũ? Per Iouem, non istud mirabor equidem. Imò uerò si contrà eueniret, potius mirarer. Sic autem considera. Nónne fames ac sitis et cætera generis eiusdem, uacuitates quædam sunt corporis ipsius habitudinis? Quid ni? Ignorãtia uerò & imprudentia uacuitas quædam est habitus animi. Maximè. Impletur autem & illud, dum alimẽta capit, & hic dum intelligentiam. Quid ni? Quæ'nam repletio uerior? Vtrũ quę per ea fit quę magis uerius'q; sunt, an quæ per alia? Quæ per ea quæ magis sunt. Quæ'nam censes purioris esse substantiæ? Nunquid cibi, potus, obsonij, alimentorum'q; quorumcunque genera? An ueræ opinionis species, scientię'q; & mentis, summatim'q; uniuersæ uirtutis? In hunc autem modum iudica. Quod inhæret semper simili, immortali'q; & ueritati, ac etiam tale existit, & in tali quodam fit, magis esse tibi uidetur: an illud potius, quod re nunquã simili atq; mortali, necnon est tale, & in tali quodam efficitur? Longè pręstat, quod semper simili est cognatum. Essentia utiq; rei semper similis, nunquid essentiæ magis est q̃ scientiæ particeps? Non. An ueritatis? Neq; hoc. Sin autem ueritatis minus, nónne & essentiæ? Necessarium est. Nónne communiter omnia circa corporis cultum genera minus ueritatem essentiam'q; participant generibus his quæ circa animi cultũ uersantur? Minus. Nunquid & corpus similiter minus q̃ animus? Et corpus. Nónne quod repletur his rebus quę magis uerius'q; existunt, quod'ue magis uerius'q; existit, magis quoque repletur, quàm quod his rebus impletur quæ minus sunt, ipsum'q; est minus? Quid prohibet? Si ergo repleri rebus naturæ cõsentaneis, est iucundum, ipsum utiq; quod reuera uerioribus'q; rebus impletur, naturalius ac uerius uera afficit uoluptate. Quod autē ea quæ & minus sunt, & minus uera sunt, accipit, minus uerè firmitér'ue repletur, fallacioris'q; et falsioris uoluptatis particeps. Necesse est omnino. Homines igitur prudentiæ uirtutis'q; expertes, & epulis rebus'q; similibus dediti, deorsum feruntur, rursus'q; ad medium usq; perueniunt, & circa hæc per omnem uitam oberrant: super hęc uero emergunt nunquam, & quod uerè summũ est, nequaq; suspiciunt, neq; ad supera euehuntur, neq; uera ulla re quando'q; fruuntur, neq; stabilem puram'q; gustant uoluptatem: sed ueluti pecora humũ proni spectant, uentri'q; obedientes pascendo coeundo'q; ætatem conterũt: pro'q; his rebus uberius potiũdis calcibus inter se & cornibus ferreis, unguibus'q; decertãt, sese inuicem ob inexplebilem libidinem trucidantes, utpote qui neq; uerã & firmã sui partē, neq; pabulis ueris implent. Omnino ô Socrates, uulgi uitã quasi quodam pandis oraculo. Hos necesse est uoluptates dolorib. mixtas prosequi, quæ simulachra uoluptatis uerę & umbræ sunt, usqueadeò inuicē doloris comparatione mutua inquinatę, ut & uoluptates & dolores ex ea comparatione uehementiores appareant, amores'q; ipsarũ huiusmodi uoluptates rabidos insipientibus pariant, inflamment'q; ad pugnam: quemadmodum Stesichorus Troianos inquit ueræ ignaros Helenæ, de imagine ipsius inuicem decertasse. Necessarium est omnino ita id se habere. Quid uerò circa irascēdi naturam? Nónne & alia quędam horum similia cõtingant necesse est, quando quis id ipsum peragit, uel inuidia propter ambitionem, uel uiolentia propter contentionis cupiditatem, uel ira propter morum difficultatem absq; ratione ac mente sequens honoris, uictoriæ, iræ'q; expletionem? Talia necesse est & hic fieri. Asserere igitur audeamus, quod & circa partē quęstus auidã, & aliam uictoriæ studiosam, quęcunq; appetitiones

tales

tales sunt, ut scientiæ rationiq; obtemperent: easq; uoluptates sequantur & capiant, quas ratio ipsa concedit, uerissimas utique uoluptates, quoad earum natura uerarum uoluptatum est capax, adipiscentur, quippe cum pareant ueritati, ac insuper sibi proprias uoluptates percipiãt: si quidem quod cuique optimum, id & maximè proprium. Proprium maximè. Quando igitur totus animus cum ea parte in qua est philosophia, procul ab omni seditione cõspirat: tunc euenit ut quęque pars officio suo fungatur, & iusta sit, & proprias sibi uoluptates atq; optimas, adde quoad fieri potest uerissimas, consequatur. Valde. At uerò cum partium reliquarum aliqua superat, id protinus euenit, ut neq; ipsa sui propriam reperiat uoluptatem, & partes alias cogat alienam minimeq; ueram uoluptatē sequi. Sic accidit. Nónne quæ longissimè à philosophia rationeq; distant, maximè talia quædã efficiunt? Prorsus. Longissimè autē distat à ratione, quod & à lege & ordine. Videlicet. Longissimo autē interuallo seiunctæ esse uisę, cupiditates illæ amore ardentes atq; tyrannicæ. Omnino. Minimo aũt discrepare apparuerunt regiæ appetitiones, & moderatę. Ita. Tyrannus igitur à uera et propria uoluptate procul admodum erit: Rex autem illi quàm proximus. Necesse. Amarissimã ergo tyrannus uitam aget: Rex uerò dulcissimam. Necesse id prorsus. Scis'ne quanto uiuit tristior rege tyrannus? Sciã certè, si dixeris. Cum tres cupiditates sint, & una quidem legitima sit, adulteræ duæ, adulterarũ tyrannus suprema sortitus fastigia, dum legem fugit & rationem, seruis quibusdam & satellitibus uoluptatibus se commiscet, & q̃ longissimo interuallo à uoluptate legitima sit seiunctus, haud facilè aliter, nisi forsan hunc in modũ exprimi potest. Quemadmodum? Ab homine paucorum imperij cupido, tertius apparuit esse tyrannus. Medius nanq; istorũ uir popularis erat. Ita est. Cum tertio itaq; uoluptatis, quod ueritatē quidem attinet, simulacro post illum congreditur, si uera in superioribus diximus. Sic est dicendũ. Quinetiam paucorum potentiæ deditus, tertius à rege est, si in eodem optimatem ac regem locamus. Tertius utiq;. Tripli igitur triplum, numero quidem à uera uoluptate tyrãnus distat. Apparet. Planum itaq; simulacrum secundũ longitudinis numerum tyrannicæ uoluptatis est. Prorsus. Secundũ potentiam uerò & tertium augmentum, manifestum est quanto discrepet interuallo. Manifestum quidem computatori. Si quis conuerso ordine quantum uoluptatis ueritate superat rex tyrannum quæsiuerit, peracta multiplicatione, inueniet regem uitæ dulcedine superare tyrannum, et tyrannum uitę amaritudine regem, gradibus uiginti nouem & septingentis. Mirabile nimium interuallum hoc inter iusti & iniusti uiri uitam, quo ad uoluptatem atq; dolorem, cumulauisti. Verus hic certé & cõueniens uitis hominum numerus: siquidem ipsis cõueniunt dies, noctes, mensesq; & anni. Conueniũt quidem. Atqui si in tantum uoluptate bonus iustusq; uir malum & iniustum exuperat, mirum certè est, quanto etiam magis ornamento, decore, uirtuteq; uitæ exuperabit. Mirũ certè. At enim postquam huc disputando deuenimus, repetamus quæ à principio dicta sunt, ex quibus ad ista delati sumus. Dictum quãdoq; fuit, iniustè agere illi prodesse, qui cum omnino iniustus sit, iustus tamen existimatur: an non ita dictum? Ita. Ad hæc igitur ita in præsentia disseramus, postquam unà conuenimus, quam uim & iusta et iniusta habeat operatio. Quo pacto? Imaginem animę figuremus, ut qui illa dixit, qualia dixerit, recognoscat. Qualem? Talem aliquam, quales quondã memorantur fuisse naturæ Chimeræ ipsius, Scyllæ & Cerberi, & aliæ multæ, in quibus feruntur uariæ in eodem formæ congenitæ. Feruntur quidem. Finge itaq; figuram unam bestiæ uariæ admodum, & capita circũ multa habentis, capita inquã

partim bestiarum domesticarum, partim agrestium, quæ & permutare & producere ex se hæc omnia possit. Noui pictoris artificium narras, tamẽ cum ad fingendũ sermo quàm cera facilior sit, fingatur. Vnam prætereà his adiunge supernè leonis formam: huic unam insuper hominis. Et amplissimũ quidẽ primùm sit, angustius uerò secundum, atq; tertiũ. Facilia quidem ista, quare & formata sint. Coniunge igitur hæc tria, ut ad unum conficiendum inuicẽ cohæresc ãt. Iuncta sunt. Circumpone extrinsecus ipsis hominis unius imaginẽ, ut illi qui nequeat interiora inspicere, sed exterius duntaxat cernat operimentũ, unum animal, homo scilicet uideatur. Circũdedi. Dicamus itaq; illi qui asserit prodesse homini huic iniustè agere, iustè uerò uiuere nequaquã prodesse: cum nihil aliud asserere nisi ꝓdesse illi, ut bestiã illam multiplicẽ pascat & leonẽ, & fortiorem illam, leonemq; efficiat: hominem uerò perire fame permittat atq; eneruet, usqueadeò ut propter imbecillitatem trahatur, quocunq; cætera illa rapiunt, neq; alterũ cum altero mansuefaciat, inuicem ue conciliet, imò sinat singula se inuicem morsibus lacerare, ac pugnantia mutuò deuorare. Omnino hæc diceret, quisquis laudaret iniuriã. Ergo si quis dicat officia iusta prodesse, hæc agenda dicendaq; monebit, ex quibus homo ille huiusmodi animalis interior, summã potentiam cõsequatur: ferèq; illius pluribus capitibus redimitæ, tanquam colonus curam habeat, domestica quidem capita fouens, irrigans & nutriens, agrestia prorsus amputãs, dum leonis naturam ad hoc adiutricem accipit, communiterq; curat omnia, & inuicẽ mutua beneuolentia sibi conciliat. Profectò hæc ait, qui iustum laudat. Omni itaque ratione qui iusta laudat, uera loquitur: qui uerò iniusta, mentitur. Nam & quoad uoluptatem, & quoad decus, & quoad emolumentum, iusti laudator uera pronũciat: uituperator autem neq; ueri quicquam affert, neq; nouit quod improbat. Nullo modo, ut mihi quidem uidetur. Mitibus itaque uerbis illi persuadeamus (neq; enim sponte delinquit) sic interrogantes: O beate uir, nónne & honesta uitæ instituta, & turpia, ob talia quædã esse dicimus? Honesta quidem, quæ partem naturæ ferinam homini, imò fortassis diuino subijciunt: turpia uerò, quæ agresti domino mancipant mansueta. Consentiet, nec ne? Consentiet, si mihi crediderit. Est'ne aliquis, cui prosit ex hac ratione iniustè aurũ usurpare: siquidẽ accidit, ut dum accipit aurũ, præstãtissimam sui partẽ ignobilissimæ seruire compellat? Etenim si accipiens aurũ, filium suũ uel filiam mancipiũ efficeret agrestiũ & improborum hominũ, haudquaquã accepisse prodesset, neq; etiam si multũ caperet: sin autẽ partẽ sui diuinissimã parti prophanissimæ scelestissimæq; seruire cogit, neq; misericordia tangitur, nónne erit miser? ac multo cũ grauiori sui pernicie, auri muneribus est corruptus, q; Eryphile, quæ ut perderet uiri sui uitã, monile illud accepit? Valde quidem, ut ego tibi pro illo respondeã. Nónne & intemperantiam olim appellatã tali quadã de causa putas, quoniã in ea, dira illa ingensq; & multiplex fera ultra quàm deceat uagatur? Patet. Contumacia uerò & insolentia improbatur, quando leoninum & serpentinum illud genus ita superat, ut præter omnem modestiã inualescat? Prorsus. Delicata uerò mollicies in huius ipsius libera nimiũ relaxatione, quãdo in ipso timiditatem & ignauiã procreat, reprehenditur? Quid ni? Assentatio insuper, illiberalitasq;, cum aliquis hunc ipsum animositatis uigorem turbulentæ multiplicisq; bestiæ submittit, ac propter quæstum, cuiusq; inexplebilem cupiditatem deijcit, atq; ita à primis annis assuefacit, ut ex leone in simiam uertatur. Magnopere. Mechanicus uerò mercenariusq; affectus cur infamis habetur? Tunc certè hæc in nobis infamia sunt, quando quis partis optimæ speciem natura sortitus est imbecillã, adeò ut bestijs quæ in eo sunt, domi-

nari

nari non possit: colere uerò tantum & possit & studeat, & earum blanditias solum nosse. Videtur. Nónne ut huiusmodi uir à tali quodam duce regatur, à quali & optimus quisque regitur, seruum ipsum esse debere dicimus optimi uiri, diuinumque in seipso imperatorem habentis: neque ad subiecti iacturam, parêre illum debere superiori censemus, quemadmodũ de subditis omnibus Thrasymachus existimabat: sed quia præstat cuique, diuino sapientique principi subijci, maximè quidem si talem in seipso principem habeat. si non habeat, principi huic saltẽ exteriori: ut omnes simus, quoad fieri potest, cõsimiles & amici, eidem principi subiecti? Rectè nimium. Perspicuum quidem ex lege fit, quòd tale quiddam ipsius est cõsilium, cum omnibus ciuibus æquè prospiciat: tum illud etiam in pueros imperiũ idem ostendit, quo prohibentur sui iuris esse tantisper dum & in ipsis, quemadmodum in ciuitate, Rempublicã constituamus: optimamque ipsorũ partem colentes, ex optima nostri parte exterioris huius principis loco similẽ quẽdam in ipsis custodem sibijpsi imperãtem creemus, ac tum demum liberos esse permittamus. Constat planè. Qua igitur ratione, ô Glauco, prodesse alicui asseremus iniustè uel intemperatè, uel turpiter aliquid facere, ex quibus operibus deterior erit, dum pecunias ampliores, aut aliam quamuis potentiam consequetur? Nulla. Quo pacto iniurianti prodesse dicemus, ut & lateat omnes, & non det pœnas? Nónne qui latet, etiã fit deterior? hominis autem deprehensi, castigatique, pars illa ferina sedatur & mansuescit, domestica uerò pars liberatur. Et animus totus in naturam optimam restitutus, eo preciosiorem sumit habitũ, temperantiam & iusticiam cum prudentia adipiscens, quàm corpus cum robur & formam tum sanitatem consequitur, quo anima est corpore preciosior. Sic est omnino. Quamobrem quicunque mentis est compos, huc omnẽ instituet uitam. Nempe in primis eas disciplinas plurimi faciet, quæ talem animum ipsius efficiunt, cęteras autem spernet. Manifestum. Atqui neque corpus colet & nutriet, ut ferinæ irrationalique uoluptati indulgeat: neque ad sanitatẽ id referet, neque studiose id quæret, ut robustus uel sanus sit, uel formosus, nisi unà cum his colat & temperantiam, ita ut corporis harmoniam propter animi consonantiam moderetur. Ita prorsus, si quidẽ reuera futurus sit musicus. Sed neque uulgi æstimatione cõmotus, ordinẽ, concordiamque in pecunijs possidendis, cumulandisque mirabitur, in infinitum' ue augebit, infinitis malis obnoxius. Non certè, ut arbitror. Verùm ad interiorẽ sui Rempublicã semper respiciens, cauebit ne quid in ea loco suo moueat, propter uel indigentiam uel copiam pecuniarum. Atque ita semper & in optandis & in erogandis pecunijs, pro uiribus aget. Summopere. Quin & honores eôdem referet. Nam eos duntaxat gustabit, ex quib. meliorem euasuum se sperat: eos autem & priuatim & publicé fugiet, qui bus deturbari posse quandoque præsentem animi sui statum ueretur. Nunquam rem ergo uolet publicam administrare, si id curauerit. Immò per canem, inquam, sed in ipsa suijpsius ciuitate. Et maximé quidem. Non tamen in patria forsan, nisi fors quędam diuina contigerit. Intelligo equidẽ, quòd ea in ciuitate dicis quã nos condidimus in præsentia, quæ & uerbis solùm: in terris uerò nunquam, ut arbitror, extat. At fortè in cœlo illius extat exemplar, conspicuum ei qui & intueri uoluerit, & seipsum ad illud cum intuitus est instituere. Nihil autem refert, siue uspiã sit, siue erit. Quæ enim illius officia sunt, aget solum: quę alterius sunt, nequaquam.

Consentaneum est.

DEinceps considerandum.) Persequitur descriptionē tyranni Socrates, quæ superiori libro perfecta nō est in primis autem sermonē de uoluptatibus, cupiditatibusq; libro superiori inceptū persequitur, quod cupiditates singulorū ciuium tyrannidis esse causam dixerit. Earum uoluptatū) Cum supra cupiditatū alias necessarias, alias superuacaneas esse dixerit: nunc earundē superuacuarum alias cōtrarias esse legib. ait, alias minimè cōtrarias. Eandem propemodū diuisionē facit Aristoteles lib. 2. Ethic. cap. 2. Quæ in somnis sæpius.) Duplicē animi partē Cicero lib. 2. Tuscul. ex Platonis sentētia cōstituit, unam affectib. turbidā, alterā tranquillā: quarum illam fensilē, hanc rationalē appellat. Ex hac diuisione colligitur, cupiditates utriusq; diuersas esse: ut in somnis apparet, cū turbidæ partis affectus maxime tunc sese iactent, contrà uerò pars altera quieta, moderataq; sit: nimirum quòd illa cibis, potionibus'ue corporis sit irritata, hæc aūt nullo modo moueri queat. Hæc uerba Cicero libro 1. de Diuinat. ad uerbum ferè expreßit, dum uim diuinandi animo nostro quandā inesse uult: cum idem in somnis trāquillus, uacuusq; affectib. existit. Quæ quidē diuinatio, mentis ne fœdat agitatio ut fiat, pacatæ esse duæ animi partes ira & cupiditas debēt, quēadmodū Plato hic docet, quòd inde omnes affectus proficiscantur. Recordare qualē uirū.) Quæ de cupiditate & superiori in libro, et hoc loco retulit, ad institutū sermonem de tyrannide accōmodat, dum, quēadmodū fiat ex Democratico ciue tyrānus, ostendit. Quamobrē nōnulla ex ijs quæ sunt suprà dicta, cōmemorat, tum eadē adscribit tyranni effectioni. Vbi aūt iam sperauerint.) Magna est adulatorū uis ad tyrannidem augendā & cōfirmandā, dum pro honestis consilijs turpia, nefariaq; dant. Quid o uerò circa.) Si adulationi nostræ naturæ uitiū accedat, pestifera fit tyrānis: maximè enim excitatur uostra cupiditas licentia et dissolutione, quā adulatores cōcedunt. Amor tyrannus.) Alludit ad cupiditates, quibus inflammatis, tyranni fiunt homines. Hoc in loco tyrannidi uitia quædā alia, præter illa quæ sunt superiori libro commemorata, addūtur, ut eius turpitudo magis ostendatur. Dico equidem post hæc.) Quod in ipso tyranno demonstrare cœpit, nunc in eius uita moribusq; manifestius declarat: nimirum quomodo tyrannus dissolutus, ociosus, cupidus, luxuriosus, rapax, infidus, impius in parentem (id est populū, à quo est creatus princeps) auarus, flagrans cupiditatibus innumerabilibus, crudelis, inhumanusq; sit. Qualis rarò erat in somnis.) id est, adeò corrumpitur tyrannus, postquàm licentiam sibi uitæ sumpsit, ut quicquid turpißimum in somnis obuersari eius animo potuisset, opere ipso exequatur: nimirum quia frontem perfricuit ad omnia scelera, & quia irritata eius cupiditas sit. Quia istic locus.) Apud tyrannū probus nemo esse uult: quando & contēnitur, et iniuria etiam afficitur, nisi adulari quoque ipse uelit, quod boni uiri nō erit. Mala multa minuta.) Hoc uicij habet etiam tyrānus, q. non modo ipse dissolutè uiuit, sed omnib. etiā sui similib. eandē uitæ licentiā dat ergo illi, sicuti fautor eorū, initiò quidē leuia crimina committūt: postea grauiora, dein grauißima, eum nondū ad scopum, id est ad extremā nequitiam peruenerint. Quoties enim in ciuitate.) id est, Si tales homines nefarij & contaminati sint in Repub. quēuis principē facere tyrannū poterūt, plebis inscitia: id est, plebe id nō animaduertēte, ideoq; illi se audacia nō opponēte. Vt in animo suo.) Qui libidinibus sese permittit, rationē à cupiditate sinit tyrannide opprimi, cum ea dominari deberet: ergo ut sint multi natura corrupti, tyrannoq; animo, si huiusmodi in homines sceleratos & adulatores incidant, prauam cōtinuo illam affectionē sequuti, tyranni fient. Isto igitur modo tyrannis fit tum naturæ uitio, tum institutionis, talesq; omnino tyrāni sunt. Est aūt is qui talis.) id est, Qui eas sequatur cupiditates, quæ in dormientib. excitari noctu solent, is ad tyrannidē aptus est. Hic tota tyrānicæ uitæ descriptio cōcluditur. Tyrannicus uir ciuitati.) Vt superiori in libro nō tam ciues, q̄ ciuitates, cuiusq; Reip. formæ descripsit, ita nunc in tyrannide facit. postquàm enim tyranni mores depinxit, tyrannicā item Rempub. describit, quando magna utriusq; similitudo est. Constat aūt, quòd ad quenq;.) Tyrannicæ Reipub. incommoda refert, cōparatione illius facta cum regno: id est, præstantißima illa Repub. quam prioribus libris instituit. Si unquam cum nobis.) Non satis est, tyrannicæ Reipub. tyrannīq; mores descripsisse, nisi tanquam morbi, sic illius signa indicaueris. Igitur antequàm tyrannus quis fiat, cum tragico careat apparatu, id est truculento illo uitæ genere, quale in Tragœdijs depingitur, nondum sit inquinatus, facilè cognoscetur, si eius cupidates, conatus, cogitationesq; notentur. Age itaque sic considera.) Tyrannicam ciuitatem cum ipso iam confert tyranno, quando uterque sæuus, cupidus, seruus, dissolutusq; exstat: ciuitas quidem, dum illi paret: tyrānus autem, dum suis cupiditatibus inseruit. Tyrannicus igitur animus.) Animum tyrannicum uocat eum, qui non faciat quæ uult, id est, quæ ratio præscribat: sed à se ipso dissentiat, dum stimulo uiolento rapiatur, id est, cupiditatibus mentem perturbantibus: ducaturq; pœnitentia, quæ necessaria quadam cōscientiæ in scelera sequitur, ut uoluptas rectè facta comitatur. Addit his alia præterea uitia tyrannicæ uitæ: ut mendicitatem, metum, solicitudinem, aliaq; huius generis multa. Verùm de uiro rursus tyrannico.) Descripta iam tyrānicæ Reipub. forma,

eáq;

eaq; cum ipso tyranno comparata, nunc tyrannorum gradus quosdam facit, inter seq; confert, ne omnes putentur æquè miseri ac nefarij esse. Nam cum aliqui casu quodam tyranni fiant, qui tamē benigna erant natura, uel boni initio esse cœperunt, quòd adulatione, institutioneq; praua, uel cupiditate aliqua corrupti sint: ij minus uitiosi sunt, quàm illi, qui & animo & re ipsa tyranni existunt: id est, ita sunt à natura deprauati, ut nihil magis cupiant, quàm rep. aliquando potiri, ut eam pro natu regant tyrannicè. Tyranni species diuersas, pluresq; duabus his, Aristoteles lib. 5. Polit. enumerat. Videtur enim mihi.) Tyrānici animi uitiū ostendit, ut quantum malicia superet eum, qui animo tyrannus non sit, doceat: idq; similitudine quadam, in qua utriusque discrimen aut similitudo cognoscatur. Ait enim, tyrannicum animum solicitum fore semper, & timidum, uelut dominum iniustū à seruis sibi timentem. Hic animaduerte, tyrannum uocari eum, qui pro domino haberi uelit, ciues autem pro seruis, ut Aristoteles item docet. An non ab huiusmodi.) Alterum illum, qui casu quodam tyrannus fiat, intelligit. Est autem re ipsa.) A definitione seruitutis, eiusq; partibus tyrannum esse suarum cupiditatum seruum ostendit. Age quemadmodū iudex) Post tyrannidis descriptionem, Socrates propositas quinque reip. formas cùm inter se confert, tum cum optima illa rep. suprà descripta. Num præconem conducemus.) Duas hic formas planè inter se contrarias constituit, regnum atq; tyrannidem, reliquas uerò tres his interijcit. Quæ omnia ut conferat inter sese, animi uires omnes, earumq; singularum cupiditates enumerat, ut quæ cuiuis reip. formæ cuiq; respondeat, ostendat: facta comparatione duorum extremorum, regni & tyrannidis. Aristonis filium.) Statuit regnum esse optimam reip. formam, pessimam uerò tyrannidem: ut cum his duabus reliquæ conferantur. Partem unam dicimus.) Cum tres animi uires sint, & in Timæo, & lib. 4. huius operis positæ, singulæ suas habent peculiares cupiditates, easq; inter se diuersas dignitate ac bonitate: ut rationis cupiditas præstat cupiditatibus iracundiæ, huius uerò cupiditas appetitionis cupiditatibus. ratio suam habet cupiditatem peculiarē, quæ circa honesta uersatur. iracundia item, & cupiditas suam, quæ circa turpia, aut indifferentia. siquidem talis est unaquæq; cupiditas, qualis potentia ea, unde profluxerit. Nonne peritia, prudentia.) Cum secundum superiores cupiditates uitam uel rectius, uel minus rectè institui dixerit, huiusce rei iudicium fieri ait posse à philosopho eo, cui illa insint omnia, per quæ homines in uniuersum iudicare soleant. Nam triplici forma iudicari quidq; potest: peritia, prudentia, ratione. peritia quidem, siue usu, in rebus agendis: prudentia, in rectè factis: ratione, in deliberationib. Animaduerte totidem esse noscendæ cuiusq; rei modos, quot intelligendæ: intelligimus autem quiduis, aut ratione id est, mentis agitatione, aut prudentia, id est, solertia & arte quidam in rebus agendis: aut peritia, hoc est, usu & dexteritate: ergo plures his diiudicandi rem quamcunq; modi non erunt. Quoniā uerò philosophum regem tanquam formam reip. perfectam constituere fingimus, accesse prorsus est, ut omnia eius iudicia de rebus, secundum peritiam, prudentiam, rationemq; fiant non secundum cupiditatem, ut reliquarum rerum publicarum rectores. Hic Plato usum rationis seu mentis, cum principe reip. optimæ comparat, quando ad hanc ueluti regulam cæteras reip. species examinare uult. Nec mirêre, tam frequentem hic uoluptatum mentionem fieri, docerīq; quomodo de ijs sentiat philosophus: cū eædem uoluptates siue affectus agendi quodammodo initia sint: & aliter agere soleat philosophus, aliter uerò reliqui homines. Quamobrem optimas, purgatissimas, mentiq; congruentissimas eius cupiditates fore ait. Dic obsecro, nonne.) Docuit, philosophi uoluptatem optimam esse, quòd ea rationi sit cōgruentissima: nunc alium ait animi statum eo esse præstantiorem, nimirum si idem uoluptatibus careat, tranquillusq; sit, ac medius inter dolorē & uoluptatem. Nam mediocritas illa, & quies animi, quam etiam Stoici inducunt, optima est, & aurea, ut Horatius inquit. Quod autē animi status hic optimus sit, inductione ostenditur, dum animus multis modis angatur, seu uoluptate, seu dolore, seu aliquo alio demum affectu. Atqui quādo in animo.) Non solum optimam esse uacuitatem affectuum Plato inquit, esseq; statum animi aliquem medium inter dolorem & uoluptatem: sed etiam distare eum ab utroq; extremo, quod aliter mediocritas, nisi in meditullio, teneri nequeat. Istud igitur.) Id est, habita ratione extremorū, non dolere iucundū uidetur, quòd absit dolor: itemq; non lætari uidentur molestū, quod absit uoluptas: sed tamen ea ratio uera non est, quòd aliquid medium utrinq; reductū esse debeat, ut animi tranquillitas existat. quam in philosopho, id est, optimæ reip. rectore ponimus. Neq; enim uoluptas cessatio est à dolore, sicut nec dolor uacuitas uoluptatis, ut Epicureis placet: sed duæ hæ species contrariæ inter se sunt. Putas aliquid in natura.) Cum dixerit, mediocritatem affectuū optimā esse, eamq; philosopho dignam, obiter nunc reprehendit uulgaria hominum iudicia de uoluptatibus, animiq; statu optimo: dum alij uacuitatem doloris, alij uoluptatem mentis solū optimam putant. Quæ suæ iudicia ex peruersa rerum intelligentia, erroreq; nascuntur, dum ea quæ media sunt pro extremis, aut extrema pro medijs, aut ea quæ ratione quadā dicuntur, pro uere existentibus capiuntur: quemadmodum ij qui in mundo, quòd respectu nostro aliud suprà, aliud infrà, aliud mediū statuamus, ea interualla loci omnia reuera existere arbitrētur. Hoc ipsum in Timæo retulit Plato, cum hæc ipsa mundi loca ratione

quædam posuit. Et quemadmodum qui.) Similitudine alia Socrates comparationem fieri extremorum debere putat, ut uerum mediũ inueniatur, opinioni uerò nulla fides adhibeatur. Nónne fames ac sitis.) Superiorem sententiam similitudine alia confirmat: statuitq; cupiditatem cuiusq; rei, illius esse carentiam: ut in mente ignorantiã esse uacuitatem scientiæ, in corpore cibi ac potionis: ut concludat, animi uoluptates præstare cæteris uoluptatib. tanquam ueriores ac meliores, cũ reliquæ opinione tantũ uoluptates, non re ipsa sint. Quod inhæret semper;) id est, Quod ad æterna tanquam sui similia & constantia nos ducit, præstantius est eo quòd non ducit: sed uoluptates mentis id præstant: ergo excellunt reliquis uoluptatibus. Hic idem, & sui simile à Platone dicitur id, quod intellectilis est naturæ. Sumitur autem hoc argumentum, quo probatur philosophi uoluptates seu cupiditates optimæ esse, ab effectu: seruata tamen cibi ac potionis similitudine, cum eodem modo cibus corpus uegetet, quo mentem eius uoluptates. Homines igitur prudentiæ.) A' comparatione contrariarum uoluptatum deformitatem ostendit, cum earum participes & satientur facilè, & inquinẽtur, quod ueræ uoluptatis non est. quo nomine cæcos esse concludit eos, qui uoluptates ueras à falsis nesciant internoscere. Quid uerò circa irascendi.) Hactenus mentis uoluptates descripsit, easq; à reliquis segregauit: nunc ad cæteras animi uires progressus, earũ quoq; singularum cupiditates enumerat, & inter se cõfert: in quo turpes esse concludit cupiditates omnes, ab illa mentis cupiditate auersas: honestas uerò reliquas, illi congruentes. siquidem in philosopho ut uires animi omnes, sic earundem cupiditates, consentiẽtes sibi esse debent. At uerò cum partium reliquarũ.) Quæcunq; hactenus retulit, ad philosophi regis animum, eiusq; cupiditates & cogitationes pertinebant: nũc quia non solum tyrannidem, sed reliquas item reip. species inter se collaturus est, earundem quoq; omnium describit obiter formas, ut quantũ ab illa perfecta singulæ distent, intelligatur. Comparationem autem facit non ipsarum rerumpublicarũ inter se, sed cupiditatũ animi: quoniam mutatis cupiditatibus, mutari etiam respublicas ipsas, & ex cupiditatibus facta, moresq; ciuium cognosci retulimus. in primis autem tyrannidem à regno maximè contrariam, & in extremo positam statuit, quòd eius cupiditates lõgissimè à ratione absint: siquidẽ ordine, legeq; carent, quæ maximè contraria sunt rationi, cuius impulsum cupiditates philosophi regis sequuntur. ita enim colligitur argumentum: Cupiditas regis & philosophi eadem est: hæc autem à rationis præscripto non discrepat: ergo regis cupiditas rationem ipsam pro lege habet. Contrà uerò, quod à regno maximè distat, à uera cupiditate ac rationabili discrepat: talis est autẽ tyrãnus: igitur eius cupiditas à regia lõgissime discedit. Hic Plato comparationem regis cum tyranno facit in primis, tanquam ipsa inter se extrema cõferens. Scis ne quanto uiuit.) Propositis incommodis tyrannicæ cupiditatis, & commodis regiæ, regnũ tyrannidi præfert. Haud facilè aliter.) Vt discrimen omnium reip. formarum inter se ostendat, tum gradus earundem inter se, breui quadam ratione numerorũ, quæ eadem fere est cum obscurissima illa ex octauo libro, quam nos intactam omisimus, designat. Quam ipsam nos ruditer sanè, & quasi coniecturis ducti, hoc modo constituere posse uidemur.

Volupias

rationis ——— iracundiæ ——— cupiditatis.

Regnum ——— Aristocratia ——— Oligarchia ——— Democratia ——— Tyrannis.

9 ——— 27 ——— 81 ——— 242 ——— 729

Hic animaduertes, plenam illam figuram, & oblongam, à Platone hic significatam, in qua ordine propositi cubici numeri unicuiq; reip. formæ respõdentes describantur: tum eædem omnes formæ singulis animi cupiditatibus seu uoluptatibus respondeant, ut quantum à ratione, id est, regno cæteræ distent, intelligatur. Deinde per internalla locorum tertio quoq; spacio dissitorum, species reip. collocatæ, ut Plato uult, tripla sese proportione superant, ita ut regnum à tyrannide longissimo interuallo distet, id est, 729 qui numerus triplus sit, reliquorum numerorum tripla se proportione superantiũ. Atqui hoc modo locum hũc explicari posse arbitror, & illum item è libro 8. quorũ utrunq; nec Ticinus,

nec

nec alius quisquam Platonicorũ explicuit. Hic certè conueniens uitis hominum numerus.) Cur hi numeri non propositi humanæ uitæ, quæ temporis decursu transigitur, assignantur? an quia cubici sunt, & cubica soliditate mundus cõstat, ut in Timæo dicitur? an quia hominis ætas ut per numeros quosdam, sic per dies, menses, & annos tanquam mensuram tẽporis distinguitur? Atqui si in tantum.) Id est, ex hac numerorum proportione, quantum à regno distet tyrannis, intelligitur. Repetamus quæ à principio.) Epilogi loco repetit Plato institutam libro primo disputationẽ de iusticia & iniusticia, quãdo descripta iam rep. melius inuestigari posset. Talem aliquam, qualis.) Diximus, è Platonis sententia iusticiam dici, consensionem partium animi omnium, uirtutumq; aliarum colligantiam: nunc idem ut doceatur apertius, animi nostri naturã similitudine quadam quadrigæ depingit, ut subiectum iusticiæ commodius inueniri possit. Supernè leonis formam) Hunc uidetur locum Horatius in Odis trãstulisse his uerbis:

> Fertur Prometheus addere principi
> Limo coactus particulam undiq;
> Desectam, & insani leonis
> Vim stomacho apposuisse nostro.

Circumpone extrinsecus.) Vnã esse humanæ naturæ atq; an in speciẽ, putat hic Plato, eam tamen participem quodammodo aliarum animalis specierum: quòd humanæ animæ insit, quicquid alijs inest. Dicamus itaq; illi.) Inuento iusticiæ subiecto, quid ea dẽ sit, facilè intelligitur. Ait enim nihil esse aliud iusticiã, quàm consensum partiũ illarũ dissimilium inter se: contrariam uerò, iniusticiã. Proindeq; accusandos illos tanquã mẽdaces & iniustos, qui iniusticiam iusticiæ anteponant. Mitibus itaq;.) Quo pacto persuadendi sint iniusticiæ prædicatores, ut à proposito discedãt, prosopopœia soluta docet. Neque enim sponte.) Iam dixi sæpe, Platonẽ putauisse, neminem sponte malum esse, propter mentis ab appetitu dissensionem in peccando. Imò fortasse diuino.) Id est, seu diuinæ potius hominis parti, hoc est, menti, quæ uerus homo est. Si autem partem sui.) Iniusticiam nullo modo utilem esse posse, à minori ad maius ostendit: contra sententiam Thrasymachi, è libro primo. Non'ne & intemperantiã.) Inductione uitiorum multorum docet, illi, qui iusticiam, id est, animi uirium omnium æqualitatem teneat, eadem inesse uitia. Ex leone in simiam.) Iracundia leonẽ, cupiditas simiam repræsentat, ob effectus similes & communes cum ijs animalibus. Quando quis partis.) Id est, cum ratione tam est hebeti, ut bestijs, hoc est, cupiditatib. insitis nequeat imperare. Non'ne ut huiusmodi.) Id est, qui suis ita paret cupiditatibus, seruus earum est, quantumuis alijs imperet. Ex quo intelligitur, iustum nõ esse id, quod principi placeat. Sed quia præstat cuiq;.) Cum dixerit, non esse iustum protinus, quòd quid principi uideatur: obiter causam reddit, cur unus reip præficiatur. nimirũ eam quòd singulis sit utilius, ab uno tanquam communi lege regi, quàm per se dissolutos, dissociatosq; uiuere. Perspicuũ quidem ex lege.) Id est, quòd uni sit parere commodũ, legam imperium indicat, cum ijsdem tanquam principibus obtẽperemus. Qua igitur ratione.) Concludit, iniusticiam nullo modo utilẽ esse posse, etiam si quid principi tale uideatur. Quo pacto iniurianti.) Eodem pertinet hoc argumentũ, sumptum ab effectibus iniusticiæ. Non'ne qui latet.) In Gorgia ait Socrates, irrogata pœna purgari homines iniquos, sceleratos, si non puniantur, ac lateant, deteriores esse quodammodo. Quamobrem quicunque.) Conclusio est, iusticiæ uim effectumq; ostendens. Atqui neq; corpus.) A' iusticia dicitur iustus quisq;: ergo ut iusticiæ suprà descriptæ sunt uires, ita iusti uiri nunc officia & partes commemorantur. Quæ quidem commemoratio quasi complexio quædam est eorum omniũ, quæ sunt de ciuitatis descriptione dicta, quasi ea una re iusticia cõtineatur, eodẽq; modo in animo nostro reip. forma quædam sit, quo in hominum societate: quarum utranq; qui tueatur, sit iustus. Ita ut corporis harmoniam.) Quod in Timæo Plato dixit, nõ esse corpus sine animo mouendum, nec animum sine corpore: hoc item in loco ait, præcipiens ut corporis harmonia animi concentui conformetur, quando corpus tanquã materia propter animum existat, eaq; sit ipsius fœlicitas, ut corpori accommodetur. harmonia autem corporis est sanitas, ex humorũ temperatione apta proueniens. Intelligo equidem, quòd ea.) Qualis sit ea Resp. quã superioribus libris descripserit, ipsemet Plato ostendit. ne mirere, nonnulla eum retulisse, ab usu hominum remota.

ARGVMENTVM IN LIBRVM PLATONIS X. de Republica.

VLtimus hic de Rep. liber, tanquam conclusio est superiorum librorũ. in eo enim Socrates cum Glaucone, postquam de rep. multa disseruit, pœnas, præmiaq; malis ac bonis statuta à Deo, non hac in uita solum, sed postea etiam, docere uult. Quapropter initio quidem libri poetas rursus carpit, eorũq; & inscitiam & ignorantiam detegit, quasi lectores ad sequentem sermonem de animorum præmijs ac pœnis instruens, ne fidem aliqua in parte habeant poetis. Quo quidem sermone absoluto, quoniam necesse est eum qui pœnas præmiaq; demortuorum hominum sic inducturus, docere, animos post mortem restare, de immortalitate eorundem disserit accuratè: deinde narratione quadam Eri militis, qui reuixerit, inserta, omnem præmiorum pœnarumq; rationem exponit: tandem, ad iustitiam ac probitatem homines exhortatur.

PLATONIS DE REPVBLICA

LIBER DECIMVS.



Quidem cogitanti mihi, inquā ego, de hac quam nuper uerbis cō didimus, ciuitate cùm alia permulta rectè admodū statuisse uidemur, tū uel maximè, quę de poesi sunt lata. Quae nam ista, inquit. Ne uidelicet ulla poesis pars, quę in imitatione consistit, recipiatur. Prae ceteris enim nunc est perspicuum, ut mihi uidetur, nihil tale à nobis esse recipiendum, postquam singulae seorsum animi distinctiae sunt species. Quomodo istud ais? Vt apud uos dicam quod sentio (neq; enim uos me coram tragicis imitatoribusq; poetis alijs accusabitis) corruptela quaedā mentis omnia haec esse uidentur eorum, qui cum imitationes istas audiunt, medelam illam mentis non habent, qua potissimum quales hae fabulae sint, discernant. Quorsum ista? Dicendū quidem, etsi amicitia quaedam & reuerentia à pueritia mihi erga Homerum cōtracta me detinet. Etenim insignium istorum omnium tragicorum dux & magister primus extitisse uidetur. At ueritati uirum non censeo praeponendum. Quare quod institui, dicendum est. Omnino. Audi igitur. Immò uerò responde. Interroga. Nunquid explicare mihi potes omnino, quid imitatio sit? Neq; enim ego satis quid sit, intelligo. An igitur ego intelligā? Nihil id mirum esset. Nam saepe contingit, ut qui hebetiore sunt acie, nonnulla prius intueantur, quàm qui acutius cernunt. Est ut dicis. Caeterùm te pręsente, nunquam auderem quod mihi uidetur exprimere. Sed ipse uideris. Vis hinc exordiamur, solita illà nostra ratione considerantes? Speciem unāquanq; ponere solemus, de quibuslibet pluribus, quib. idem nomen imponamus. An nō intelligis? Intelligo equidem. Ponamus utiq; nunc quoduis è multis. Vt ecce, plures lecti sunt, atq; mensae. Quid ni? Ideae tamen harum rerum duae sunt. Vna lecti, mensae est altera. Ita est. Solemus autem dicere, supellectilis utriusq; artificem, sic opus suum absoluere, si in ideam illam intueatur, unum quidem lectos, mensas alterum, quibus ipsi utimur, caeteraq; similiter. Nullus enim artifex ideam ipsam fabricat. Quo enim pacto? Nullo. Vide praeterea, nunquid talem aliquem noces artificem? Qualem? Qui facit omnia, quotcunq; unusquisq; artifex eorum qui manibus operantur. Potentem narras uirum, atq; mirabilem. Nondum integrā eius uim expressi. Fortè uerò multo magis miraberis, si expressero. Nempe idem iste artifex, non solum omnia potest supellectilia fabricare, sed etiam quaecunq; ex terra nascuntur efficit, & animalia omnia, atq; seipsum. Terram quoq; coelum, ac deos, & quaecunq; in coelo sunt, & sub terris apud inferos, peragit. Sophistā narras mirabilem. Diffidis? Dic obsecro, nunquid nullo modo huiusmodi artifex esse tibi uidetur? uel quodammodo istorū omnium faber esse, quodammodo uerò non esse? An nō aduertis, haec omnia te quodāmodo efficere posse? Quisnam hic modus? Haud difficile: potes enim passim & celeriter omnia facere. Speculum accipe, passimq; circumferas. Solem protinus facies, & quae in coelo sunt, terram quàm primum, ocyssimè teipsum, & caetera pariter animalia, supellectilia, plantas, & quaecunque nuper commemorauimus. Imagines istorum quidem, res ipsas minimè. Opportunè, inquam ego, nimium respondisti. Talis utique faber est, & ipse pictor. Nonne? Est. At ipsum dices haudquaquam facere uera quae facit, quanquam & aliquo pacto pictor quoque lectum facit? An non? Facit quidem & iste, sed apparentem. Nonne dicebas, quòd lecti faber speciem

qui-

quidem ipsam, quam esse dicimus id quod lectus est, non facit, sed lectum aliquem. Dicebam equidem. Si id quod est nõ facit, haud sanè quod uerè est facit, sed tale aliquid quale quod uerè est, nõ tamen ipsum quod est reuera. Perfectè autem esse fabri, aut lectorum, aut aliorum artificiorũ opus siquis dixerit, aberrabit? Non, ut uidetur his qui in disputationibus hisce uersantur. Nihil mirũ igitur, si & hoc ad ueritatem est tenue. Non certè. Vis in istis quoq; inuestigèmus, qui imitator iste sit? Si placet. Non'ne tres hi lecti sunt? Vnus quidem in natura ipsa existens, quem Deum diceamus, ut arbitror, effecisse. Num alium quenquam? Nullum. Alter, quem faber conficit. Planè. Tertius uerò, quem pictor. non'ne? Est. Pictor itaq;, lecti faber, & Deus, tres sunt, tribus lectorum speciebus præsidentes.

Tres utiq;. Deus igitur siue quia nolebat, siue quia aliqua necessitas inerat, non plures, sed unum in natura ab ipso lectum fieri, ita solũ ipsum unum fecit lectum, qui sanè est id quod est lectus. Duo autẽ tales, aut plures, à Deo neq; tum geniti sunt, neq; gignẽtur. Qua ratione? Quia si duos faceret solos, unius iterum cuius ambo haberẽt speciẽ, appareret: ipseq; esset id quod lectus est, non autem duo illi id essent.

Scitè. Hæc cum intelligeret Deus, uelletq; uerus esse autor ueri lecti, nõ autem lecti cuiusdam autor quidã, unum duntaxat natura progenuit. Videtur. Vis ergo hũc, huius plantatorem, uel tale aliquid appellemus? Par est, quandoquidẽ natura & hoc & alia omnia fecit. Fabrũ uerò nónne lecti opificem? Et hoc. Num & pictorem quoq; factorem huius operis & opificem? Nullo modo. At quomodo ad lectum habere hunc dices? Aptissimè mihi dici posse uidetur, imitator eius, cuius opifices illi dicũtur. Ergo imitatorem uocas eum, qui tertiũ à natura facit? Valde. Talis utiq; erit & tragicus: siquidem est imitator tertius quidam à rege & ueritate. similiterq; alij omnes imitatores. Apparet.

De imitatore quidem consensimus. Sed de pictore mihi dicas uelim, utrũ ipsum unumquodq; quod est in natura, imitari contendat, uel artificum opera. Artificum opera. Vtrum qualia sunt, uel qualia nobis apparẽt? Hoc præterea mihi discernas. Quomodo id ais? Sic. lectus quidẽ siue ex obliquo, seu eregionè cernatur, seu quouis alio modo, nũquid à seipso differt? Vel nihil differt? aliter uerò uidetur dispositus, aliter intuentibus, cæteraq; similiter? Sic apparet quidem, differt autem nihil. Animaduerte & istud, quid in singulis intendit pictoris industria? utrum, ut se habent res singulas imitari? An quod apparet potius, ut apparet? Imaginis apparentis uel ueritatis potius imitatio? Apparentis imaginis. Procul igitur à uero est imitator: atque, ut uidetur, propterea omnia potest facere, quia exiguum quoddam cuiuique attingit simulacrum. Quemadmodum pictor pinget nobis coriarium, fabrum, & opifices alios, cum nihil in artibus his intelligat: ueruntamen si peritus sit pictor, expresseritq; fabri ipsius imaginem, quam procul ostendat, pueros dementes que homines ita decipiet, ut uerus esse faber illis appareat. Quid ni? Cæterùm, ô amice, hoc in huiuscemodi omnibus cogitandũ. Quotiens aliquis nobis de hoc ipso nunciat, se uidelicet homini occurrisse in omnibus artibus erudito, perfectissime'que præ cæteris intelligenti quæcunque alius quiuis intelligat: huic protinus respondendum, quòd fatuus est, & in magum quendam præstigiatorem inciderit, cuius imitationibus sit deceptus: idcirco enim illum uisum sapientissimum, quòd ipse nequiuerit scientiam ab inscitia, & imitationem ab ipsa re discernere. Verissima loqueris. Non'ne posthac tragœdiam discutere decet, ducemq; ipsius Homerum? postquam à nonnullis accepimus, tragicos poetas artes omnes intelligere, humana que omnia tam ad uirtutem quàm ad uitium pertinentia, necnon & diuina:

porrò poetam bonum oportere, si rectè quæ componit sit tractaturus, eorum habere sciẽtiam, aut nihil posse componere. Quare discernere debemus, utrum qui eos laudant, imitatoria poetarum industria decepti sint: eorumq́ue opera dum aspiciunt, haud planè persentiant tertio gradu distare à ueritate, faciliaq́ue factu esse uel homini ueritatis ignaro. Vmbras quippe, non'res ueras faciunt. An fortè nonnihil dicant, ac reuera poetæ boni intelligant ea de quibus uulgo bene loqui uidentur. Discernendum omnino. Si quis posset ambo perficere, & id quod in imitationem cadit, & eius simulacrum, nunquid eum putas in simulacris fingẽdis immoraturum? id'que opus sibi in uita tanquam optimum propositurum? Minimè. Nẽpe si ueram eorum quæ imitatur peritiam habeat, multo magis operibus ipsis, quàm eorum imitationibus, ut reor, incumbet: conabiturq́ue multa & præclara opera sui monumenta posteritati relinquere: satiusq́ue censebit ut ipse ab alijs laudetur, quàm ut semper alienorum operum sit laudator. Ita equidem arbitror: neq́ue enim æquus honor aut æquum emolumentum. Cæterùm de alijs quidem rationem minimè exigamus, Homerum aut alium quemuis poetarum interrogantes, si quis eorũ medicus reuera fuerit, non solum uerborum ad medicũ spectantium imitator, quos nam uel ueterum uel nostrorum hominũ sanos poeta reddiderit, quemadmodum Aesculapius: aut quos reliquerit artis medicinæ discipulos, quemadmodum ille filios. Sed neq́ue ab eis de alijs artib. sciscitemur. mittamus enim reliqua. At uerò de maximis illis, præclarissimisq́ue rebus quas tentat Homerus, bellis, castris, rebuspublicis, & hominum disciplinis, par est'ita eum interrogare: O' dulcis Homere, si nõ es à ueritate tertius, fingis'ue uirtutis imaginẽ, quem imitatorem in superioribus definiuimus: sed es secundus, potesq́ue narrare quæ studia homines uel meliores uel deteriores priuatim publiceq́ue efficiãt, dic obsecro, quę'nam ciuitas per te rectius disposita est? sicuti Lacedæmon per Lycurgũ, perq́ue alios multos multæ & paruæ ciuitates & amplæ. Cuius potissimum urbis homines legum te optimum prædicant conditorem, & beneficia in se tua cõmemorant? Charondam quidem Italia & Sicilia celebrant. Nos Solonẽ. Te uerò quis prædicabit, & qualẽ? Nullus, ut arbitror, beneficia eius cõmemorat. Quin neq́ue ipsi Homeri assertores restari hoc audent. Quod præcipuè bellũ Homeri temporibus, ipso consultore uel duce feliciter expeditum, commemoratur? Nullum. Præterea quæ uiri huius, tanquam in his rebus sapientis inuenta, ad officia uitę & artis aptissima referuntur? ut Thaletis Milesij, & Anacharsis Scythæ. Nihil tale. Siminus publicè, at saltẽ priuatim, quibus'nam Homerus ipse dum uiueret, disciplinæ dux dicitur extitisse, qui & eius consuetudine delectati sint, & posteris Homericam aliquam rationem uitæ tradiderint? Quemadmodũ & Pythagoras in hoc summa cum autoritate uixit: & posteri etiam his temporibus uitam Pythagoream celebrantes, inter cæteros illustres habẽtur. Neq́ue tale quid rursus de Homero narratur. Creophilus enim, ô Socrates, forsitan Homeri familiaris, disciplina etiã magis quàm nomine ridiculus apparebit, si quidem uera sunt quæ de Homero narrantur. Dicitur enim negligentior in eum fuisse, dum sub hoc ipso uiueret. Dicitur sanè. At enim ô Glauco, si reuera poterat Homerus instruere homines, ac reddere meliores, utpote qui in his rebus non imitationis tantum esset, uerùm etiam intelligentiæ compos, qur non multos sibi uendicauit amicos? qur non uiuens honoratus est? qur non amatus? Profectò Abderites Protagoras, & Prodicus Chius, alij'que permulti, possunt hominibus sui temporis suadere, priuatim singulos adeuntes, nunquam eos rem familiarem & publicam rectè gubernaturos, nisi ipsi eos erudiant: & ob hanc sapientiam

pientiam tam ardenter amantur, ut uix sectatores eorum se contineant, quin capite eos circumferant. Homerum autem, uel Hesiodum, illorum tẽporum homines, si quidem poetæ illi quicquam iuuare eos ad uirtutem potuerunt, nũquid permisissent oberrare tam diu, carmina passim decantantes? Quin potius magis hos quàm aurum complexi fuissent, induxissentq; ad domesticum familiaremq; conuictum: quem nisi impetrassent, sequuti fuissent passim, dum quantũ satis erat, ijsdem studijs imbuti fuissent. Vera prorsus mihi loqui uideris, ô Socrates. Ponamus igitur omnes, ab Homero incipientes, poeticos homines, uirtutis imaginum imitatores esse, cæterorumq; similiter quęcunq; canunt, ueritatem uerò nequaquam attingere. Sed ut paulo antè diximus, pictor uisibilem coriarij pinget imaginem, quum & ipse de coriaria nihil intelligat, & imago illa coriarius ipse appareat illis qui rem ipsam nequaquã intelligunt, sed à colorib. figurisq; spectant. Prorsus. Haud secus poetam dicemus colores quosdam artium singularum nominib. uerbisq; exprimere, quum ipse horum nihil intelligat, sed imitetur duntaxat: adeò ut his qui hæc à uerbis iudicant, bene dicere uideatur, siue de coriaria, uersu, rhythmoq; & harmonia, siue de re militari, aut de quibuslibet alijs dicat. Vsqueadeò natura quadam aures poetica ista demulcent. Arbitror autem nosse te, qualia uideantur hæc opera poetarum, cum musicæ colorib. spoliata cõsiderãtur. Animaduertisti'ne unquã? Animaduerti. Non'ne perinde se habẽt, ac facies eorum qui propter adolescentiam formosi potius sunt quàm pulchri: quales aspectu sunt, postquã ipsos flos ipse destituit? Omnino. Age igitur & hoc animaduerte. Imitator, simulacri auctor, rem ipsam haudquaquam intelligit, sed apparentem rei ipsius imaginem. Ita est. Ne imperfectum id relinquamus, sed quod satis est contemplemur. Dicas. Pictor habenas pinget, ac frenum. Planè. Faciet autem coriarius ærariusq; faber. Valde. Nunquid intelliget pictor, quales esse debẽt habenę, quale frenũ? Vel neq; ipse quidem factor, siue ærarius faber, siue coriarius, sed solus ille qui his uti scit, eques? Vera loqueris. An non circa omnia sic esse dicemus? Quomodo? Circa quodcunq; has esse tres artes, Vtentem, facientem, & imitantem? Certè. Virtus igitur, pluchritudo, rectitudo cuiusq; instrumenti, animalis, & actionis, non ad aliud refertur, quàm ad usum, cuius gratia unũquidq; est & factum & genitum. Ita est. Necesse igitur, eum qui utitur aliquo, peritissimum esse, & operis factori significare, qualia bona uel mala facit in usu eius quo untur. Quemadmodum tibicen tibiarum fabro ostendit, quæ tibiæ ad usum aptissimæ sint, ordinatq; quales oporteat facere: ille autem ministrum se præbet. Quid ni? Nónne hic intelligẽs, de aptis & ineptis tibijs pronunciat alteri? Ille uerò credẽs efficit? Planè. Circa idem igitur instrumẽtum, factor quidem rectam habet fidẽ dè pulchritudine & prauitate, adhærens intelligẽti, coactusq; ab intelligẽte audire: utens autem, scientiam. Prorsus. Imitator autẽ num habebit scientiã ex usu eorũ quæ pingit, utrũ pulchra sint, & recta, uel cõtra? Vel opinionẽ rectam, ex eo quod necessariò intelligẽti adhæreat, instruatur'que ab eo qualia quęq; pingenda sint? Neutrum. Ergo neq; intelliget, neq; rectè opinabitur imitator, circa eorum quæ imitatur pulchritudinem, cõtrarium'ue? Non uidetur. Bellus erit in effictiõe imitator, quod sapientiã attinet, in ijs quæ facit? Non multum. Veruntamen imitabitur, haud intelligens quo pacto unumquodq; uel rectè habeat, uel contrà. Sed ut apparet, quod credat multis ignarisq; esse pulchrum, hoc imitabitur. Quid enim aliud? Hæc sufficienter nobis asserta uidentur, imitatores scilicet nihil æstimatione dignum intelligere de his reb. quas imitantur: sed esse iocum quendam imitationẽ, potius quàm rem seriã: omnesq;

nesq; eos qui tragicam poesim iambis heroicisq; carminibus tractant, imitatores uel præ cæteris esse. Et maximè quidem. Per Iouem, inquam ego. Imitatio autem hæc tertio gradu distat à ueritate. Non'ne? Est ut dicis.

Ad quale igitur eorum quæ in homine sunt, pertinet, quatenus uim habet eiusmodi? De quo'nam interrogas? De tali quodam. Magnitudo eadem eminus atq; cominus conspecta non æqua uidetur. Non. Eadem quoq; obliqua & recta in aqua nobis & extra aquam aspicientibus, cauaq; iterum & prominentia propter uisus circa colores errorem, uidentur. Omnisq; huiusmodi in anima nostra turbatio cõperta est. Quam quidem naturæ nostræ debilitatem adumbrationis facultas, & præstigiorum ingeniositas, reliquaq; machinatio aggressa, nihil magicæ seductionis intentatũ relinquũt,

Vera loqueris. An'non metiendi, numerandi, librandi disciplinæ aduersus hæc opportuna sunt homini adiumenta, ne id in nobis præualeat quod apparet maius uel minus, aut plus, aut grauius, sed numero, metro, lance deprehensum? Quid ni? Atqui hoc rationalis animi partis est officiũ. Huius ipsius. Hoc autem sæpenumero metiente iudicãteq; maiora esse nonnulla uel minora alijs alia, uel æqualia, contraria simul circa eadem hæc nobis apparent. Sic accidit. An'non aliàs diximus fieri non posse, ut eadem ui animæ simul & circa eadem contraria opinemur? Ac meritò diximus. Vis igitur animæ quæ præter mensuram opinatur, haud eadẽ erit, atq; illa quæ cum mensura. Non certè. Sed enim quod mẽsuræ ratiocinationisq; credit cõputationi, animi pars optima est. Nihil obstat. Quod ergo repugnat isti, ignobilis aliqua nostri pars erit. Necesse. Istam confessionem exprimere uolens, suprà dicebã, quòd pictura & omnis imitãdi facultas procul ueritate posita, suũ opus exercet: rursusq; cum aliqua nostri parte, prudentiæ prorsus experte, congreditur, & amicitiam contrahit: ad sincerum uerumq; nihil. Maximè. Vilis ergo imitandi facultas, uili cuidã se commiscens, uilia procreat. Apparet. Vtrũ talis est ea duntaxat quæ ad uisum spectat? An ea etiam quæ ad auditum? quam poesim uocamus. Probabile est hanc insuper esse talem. Ne igitur ei soli credamus, quod ex pictura ueri simile nobis apparet: sed ad eã ipsam cogitationis naturam, cui sese accommodat poetica imitatio, ueniamus, uideamusq; num uile quiddã sit, an preciosum. Sic oportet. Hunc ergo in modum proponamus. Imitatur quidẽ poesis homines aut ui aliquid, aut spõte agentes, existimantesq; ex actionibus uel bonũ sibi aliquod esse, uel malum: ideoq; uel dolore affectos, uel uoluptate. An aliud quicquam? Nihil aliud. Nunquid in his omnibus homo secum ipse consentit? Vel potius quẽadmodum secundum uisum dissidet, ut narrauimus, deq; eisdem contrarias in seipso simul habet opiniones, ita & in agendo secum ipse dissidet atq; pugnat? Ac nunc mihi in mẽtem uenit, nihil esse de hoc nobis in præsentia disceptandum. Nam in superiori disputatione de his satis unà conuenimus, animum uidelicet nostrum confersi multis & uarijs huiuscemodi contentionibus sibi eodem tempore aduersantibus agitari. Probè. Probè id quidẽ. Verùm quod tunc à nobis est prætermissum, nunc mihi uidetur expediendum. Quale istud? Vir probus, menteq; præditus tali, si filium amisent, aut aliquid aliud sibi charissimum, facilius quàm cæteri feret, ut diximus. Planè. Nunc autem & id cõsideremus, utrum omnino non dolebit. Vel hoc quidem impossibile, dolorem uerò quodammodo moderabitur. Hoc certè est uerus. Hoc mihi de ipso in præsentia dicas, utrum hunc censeas dolori magis repugnaturum, quando à similibus spectatur hominibus: uel quando solus est, aliorum consortio destitutus? Permultũ interest, si in aliorum cõspectu sit. Porrò quũ solus erit, multa dicet, quæ emittere corã alijs erubesceret. Multa faciet, quæ

conspici

conspici ab alijs nunquam uellet. Est ita. Quod obstare iubet, ratio est & lex: quod autem ad dolores rapit, perturbatio. Vera loqueris. Cum homo circa idem simul contrarijs motibus agitetur, necessariò duo quædam illa esse dicimus. Proculdubio. Alterum quidem legi obtemperare paratum est, utcunq; iniunxerit. Quo pacto? Lex utiq; dictat, optimum esse in aduersis, quàm maximè fieri potest, quietem agere, neq; conqueri: quod incertum sit, bonum'ne id sit, an malū: quod accidit, tum quòd nihil dolor ad sequentia conferat, neq; ulla humanarum rerum magnipendenda sit: eiq; quod subitò præsidio esse potest, dolor impedimento sit. Cui inquis? Consultare, inquam, circa ea quę acciderunt, in primis oportet, & tanquam in talorum iactu, prout cecidit, quomodocunq; ratio melius rem habere dicat, negocia disponere. Neque uerò si quid aduersi inciderit, ꝓsternere nos debemus, atque ut pueri solent, quum offendunt in lapidem, procidentes circa id quod læsit, eiulando moram nahere: sed animum assuefacere, ut ad sanandum præsto adsit, & quicquid ægrotat, dimissis lamentationibus corrigat. Opportunum hoc quidem est aduersus fortunæ ictus remedium. Quod sanè optimum est, rationi huic libenter obtēperat. Constat. Quod uerò ad perturbationis recordationē luctumq; rapit, in eisq; diutius detinet, irrationale est, languidum, formidolosum. Ita dicendum. Quod querulum est, imitationem plurimam ac uariam suscipit. Prudentē uerò pacatumq; morem semper sibijpsi similem, neq; facilè possumus imitari: neq; si imitemur, facilè percipietur à turba, præsertim in theatrum uarijs ex gentibus confluente. alieni namq; affectus ipsius imitatio fit. Sic est omnino. Imitatio uerò poetæ haud ad hoc intendit, ut huic animi naturę sua sapientia placeat, si uulgo sit placitura: sed querulum animi morem uariumq; obseruat, qui imitatione facilè possit effingi. Patet. Meritò igitur imitationem poeticam reprehendemus, pictorisq; imitationi eandē prorsus esse dicemus. Primò quidē, quòd utræque, si ueritatem spectes, uilia operantur. Deinde etiam, quòd parti animæ rationis experti similiter suffragantur, & optimam deserunt. Atque idcirco iure eam in ciuitate legitimè gubernanda nequaquam recipiemus, quoniam hanc animi partem suscitat atq; alit: quam dum corroborat, rationis compotem uim disperdit. Atque ut ille qui in ciuitate eos qui plurimū possunt, improbos reddens, proderet ciuitatem, probos destrueret: ita & imitator poeta, peruersam in animū cuiusq; Rempublicam inducit, dum illi animi parti blanditur, quæ sine mente est, neque maiora, minora'ue discernit, sed eadem tum parua tum magna existimat, huicq; simulacra fingit, à ueritate uehementer aliena. Longè quidē. Nondum quod maximum ex ea malum proueniat, enarrauimus. Maximum quidem hoc existimandum est detrimentum, quod probos quoque uiros, paucis admodum exceptis, corrumpere possit. Cur non possit? siquidem id facit. Ausculta inquam, ac uide. Nónne & optimi quique nostrûm cum audimus Homerum, aut alium quemuis tragicum, qui heroū aliquem dolore afflictum, uociferātem, & querulis fortunam suam modulis deflentem, & pectora pugnis percutientē imitetur, delectamur quodammodo, inhiātesq; ad illa sequimur ea, unaq; afficimur, ac seriò studioseq; illum ut poetam bonum laudamus, qui adeò nos uehementer moueat? Animaduerti. Quoties autem aliquem nostrûm domesticus uerusq; inuadit mœror, scis ut de cōtrario gloriemur: nempe si quo pacto quietem agere, & tolerare dolorem ualeamus: quasi hoc quidem uiri sit, mulieris illud quod antea laudabamus. Planè. Quàm præclara hæc laus? quin absurdum est, ut qui talem spectat uirum, qualem esse se minimè uellet, puderetq; maximè, non abominetur, sed delectetur, laudet. Absurdum prorsus. Certè, si

& hoc modo istud animaduerteris. Quomodo? Quod uidelicet id quod in proprijs calamitatibus ui colubetur, prohibeturque in lachrymas fletusque erumpere, & naturæ suæ lachrymarum auidæ indulgere, illud ipsum est quod poetæ expleant, cui penitus blandiuntur. Tunc certè & quod natura in nobis est optimũ, utpote nec ratione nec usu sufficienter instructum, querulum istud desinit custodire, quasi alienas spectet perturbationes, nihilque sibi dedecori sit, si dum uir alius qui uirtute præstare se prędicat, immoderatius defleat, ipse cum laudet & misereatur. Quin oblectationem illam lucrari se putat, neque ulla ratione ex contemptu poesis illa carere se uellet. Pauci sanè animaduertunt, ut arbitror, quod ex alienis in propria transferre aliquid necesse est, nempe si in alienis ærumnis flebile illud ingenium nutriueris, uehementiusque reddideris, in proprijs haud facilè sistes. Verum nimium loqueris. Nónne eadem de risu est ratio? Quod enim ipse effusiori risu imitari erubescas, id cum in comœdia uel priuata imitatione audis tanquam ridiculum, libentissimè auscultas & imitaris: idemque hic facis, quod in imitatione flebili fieri diximus. Nam ingenium illud tuũ ad risum pronius, quod ipse in te à risu ueritus scurrilitatis crimen continebas, hic iam resolutus in iocos, uehementioremque sensim reddis risus ipsius affectum, ut & proprijs in gestib. in risus ultra quàm deceat differri incipias, & scurra ridiculus comœdiæ iocis excitus euadas. Vehementer quidem. Idem quoque de uenereis & iracundia dicimus, deque omnibus animi cupiditatib. affectibusque, tristibus & iucundis, quos in omni actione insequi nos in superioribus diximus, & talia quędam poeticam imitationem in nobis effingere. Nutrit enim ista, dum fouet atque irrigat, quæ potius ariditate extenuanda sint: efficitque ut hæc dominentur in nobis, quę subesse potius deceat, ut meliores beatiores que ex deterioribus & miserioribus euadamus. Haud aliter dicere possum. Siquando itaque Glauco Homeri laudatores offenderis, audiensque dicẽtes Homerum omnem Græciam erudisse, proque rerum humanarum gubernatione et disciplina poetam hunc ascissendum, & ad eius instituta omnem uitam instruendam, memento salutandos & amandos esse tanquam pro facultate sua optimos uiros, concedendumque Homerum apprimè poeticum esse, tragicorumque præcipuum. Scito autẽ, hymnos in Deos & in optimos uiros laudationes duntaxat ex poesi in ciuitate admittere oportere. Si autẽ uoluptuosam musam in canticis & carminibus acceptaueris, uoluptas in ciuitate ac dolor, pro lege et pro illo quod semper optimum uisum est, ratione scilicet, dominabuntur. Vera loqueris. Hæc itaque in eam sententiam dicta sint nobis, quòd meritò è ciuitate poesim, quę talis sit, expulimus. Sic enim ratio cogebat. Id quoque adijciamus, ne rigiditatis nos rusticitatisque accuset, quia uetus quędam extat inter poesim philosophiamque dissensio. Cuius certe cõtentionis argumentum dicta hæc esse possunt, quæ subijciam, aliaque permulta. Nempe, canis illa garrula ad aures domini latrans. Et, magnus ille in dementium uaniloquijs. Et, turba superstitiosorũ sapientum exuperans. Item, qui minuta & tenuia meditãtur, paupertate premuntur. Atque alia innumerabilia simultatis eius ueteris signa. Veruntamen id dicatur, quod uoluptatis ministra poesis, imitatioque, si quicquã ad eam rationem afferre possit, ut in ciuitate rectè instituta accipi debeat, libenter accipiemus, ut eius oblectamentis fruamur. Ita enim nobis ipsi conscij sumus. Enimuero quod uerum uidetur, prodere nefas est. Nam & tu ô amice, nónne ab ea mulceris? præsertim Homerica. Valde. An non æquum est eam prodire in mediũ sese defendentẽ, uel cantilena, uel metro quouis alio? Omnino. Concedamus utique ipsius defensoribus quicunque poetæ quidem non sint, sed poetarum amici, ut absque carmine eam defendant, afferentes eam non modò iucun-

iucundam, sed utilem esse ad Rempublicam, & hominum uitam instituendam. Quam quidem defensionem æquo animo auscultabimus. lucro enim id nobis fore existimamus, si non suauis tantum, uerumetiam utilis nobis appareat. Quid obstat, quin lucro id sit futurum? Alioquin ô dulcis amice, quemadmodum qui quandoq; aliquid amauerunt, si deinde censeant amorem sibi illum inutilem fore, licet ægrè amare desistant, desinũt tamen: ita & nos propter ingenitum nobis talis poesis amorem ex pulchrarum Rerũpublicarũ educatione, benignè quidem expectabimus, ut optima uerissimaq; appareat. Quousq; tamen rationem pro seipsa afferre non poterit, ita eam audiemus, ut oratione suprà à nobis exposita, nosmetipsos ueluti quadam incãtatione aduersus pericula imminentia muniamus, cauentes ne delicijs amatorijs uulgiq; amoribus rursus irretiamur. Illud quoq; sentiemus, non ita esse huiusmodi poesi studendum, quasi uera sit, aut seria: sed cauendum ab ea audienti cuiq; esse, interiorisq; animi sui Reipublicæ metuendum. Et quæ de poesi narrauimus, de ea prorsus existimanda. Consentio equidem. Ingens porrò, ô amice Glauco, ingens, neq; quantũ uidetur est certamen, bonũ effici, aut malũ. Quamobrem neque pecuniarũ gratia, neq; honoris, neq; potentię, neque poetici ullius oblectamenti, iusticiam cęterasq; uirtutes negligere decet. Assentior ex his rationibus quæ narrauimus. arbitror autem, & quemuis aliũ eadem cõfessurũ. Atqui ingẽtia uirtutis præmia, mercedesq; illi ꝓpositas, nequaquã narrauimus. Immensa dicis præmia, si qua maiora sunt his quæ retulimus. Quid magnũ breui in tempore esse potest? nempe omne hoc tempus à pueritia ad senectutis extremum, exiguum quiddam est ad uniuersum. Immo uerò nihil. Immortalem uerò rem censes breui hoc pro tempore quidẽ, pro uniuerso uerò nequaquã debere esse sollicitam? Pro omni certè. sed quorsum hæc? An ignoras, immortalem esse hominis animam, & ab interitu liberã? Tum repẽtè cõuersus in me Glauco, admiratusq; intulit: Per Iouem, ignoro equidem. Tu uerò nunquid ostendere potes? Certè, nisi iniurius esse uelim. puto autem & te id posse. Neq; id difficile. Mihi quidem difficile istud. Te uerò libenter audirem, id quod negas esse difficile, declarantem. Audies iam. Dic. Bonum aliquid uocas? et malum aliquid? Voco. Nunquid de his idem tibi quod & mihi uidetur? Quid? Malum puto omne quod dissoluit atque corrumpit. Quod uerò seruat & iuuat, bonum. Et ego. Bonum'ne cuique aliquod, & aliquod malum esse dicis? Veluti oculis lippitudinem, & toti corpori morbum, frugibus cibisq; erruginem, lignis cariem & putredinem, æri ferroq; rubiginem, atq; ut dico, fermè in omnibus secundum naturam proprium cuiq; malum ac morbum? Equidem. Quotiens huiusmodi quicquam alicui accidit, deterius illud efficit, ac deniq; totũ dissoluit & perdit? Quid ni? Proprium igitur cuiusque malum, suaq; prauitas, quodlibet corrumpit. Ac nisi id corruperit, nihil aliud unquã corrumpet. Neque enim quod bonum est, aliquid destruit: neque rursus id quod nec bonũ, nec malum. Quo enim pacto? Si quid igitur tale est, ut ei malum aliquod sit, quod ipsum deterius efficit, dissoluere tamẽ ipsum nõ ualet, certè ita naturaliter affectæ rei nullus esse potest interitus. Consentaneũ est. Est'ne aliquid quod animam prauam faciat? Et maximè quidem, quę commemorauimus, iniusticia, intemperãtia, timiditas, & inscitia. An quicquam ex his animã perdit? Atqui animaduerte, ne decipiamur, existimãtes iniquum & insanum hominem cum in flagitio deprehẽsus est, tunc ab iniusticia, quæ animę uitiũ est, corrumpi. Dic age. Nónne corpus proprium eius uitium morbus liquefacit, resoluit, eoq; deducit, ut non sit corpus? & quę paulo antè diximus, o-

nium, proprio malo quatenus inhæret, inquinante, esse desinunt: Nonne? Ita prorsus. Nunquid & eadem eodem pacto iniusticia & reliqua prauitas, quum inest, sua ipsa præsentia dissipat & tabefacit, quousq; in mortē trahens à corpore separet? Nullo modo istud. At uerò absurdū illud est, ut alienum uitium interimat aliquid, cui proprium uitium nō præbet interitū. Præter rationem profectò. Attende, inquam ego, ô Glauco. Ex ipsa ciborū propria prauitate, qua uel uetustate corrupti, uel putridi, uel quouis alio pacto comparati dicuntur, corpus perire posse non arbitramur. Verùm si ciborum uitium corpori propriū ipsius uitium intulerit, dicemus per illos corpus ab eius uitio, morbo scilicet, perdi. Corpus uerò ipsum cum aliud sit, ciborum, quorum alia natura est, alieno defectu, nisi proprium defectum induxerit, dissipari posse nunquam existimabimus. Rectè nimium loqueris. Eadē ratione, nisi corporis detrimentum ipsi animæ, ipsius animæ propriū intulerit detrimētum, haudquaquam existimare debemus, ex alieno malo absq; propria prauitate, animam interire: neq; alterius malo alterū dissipatur. Ita ratio monet. Aut igitur hæc redarguamus, quasi nō rectè dicātur. Aut quoad hæc integra permanent, neq; ex febre aut alio quouis morbo, neq; iugulatione, neq; etiā si quis corpus in minutissima quæque discerpat, dissipari animam concedamus: prius quàm ostenderit aliquis, propter has corporis passiones animam ipsam iniquiorem prophanioremq; fieri. Quatenus autem alienum malum adest alteri, nec proprium cuiquam malum adhæret, corrumpi quicquā posse, minimè concedamus. At enim nemo id unquam ostendet, morientium animas propter mortem iniustiores effici. Si quis autē obijcere nobis audeat, quod deterior & iniustior fit qui moritur, ne cogatur immortales esse animas confiteri: oportere dicemus, si uera is dixerit, uiro iniusto letiferam iniusticiā esse, sicuti morbum, & ab hoc ipso perimente sua quadam natura, eos qui illā suscipiant, perimi: ocyus quidē illos qui maximè, serius contrà qui minus: neq; fieri duntaxat, quod nunc fit, ut iniusti propter iniusticiā tunc demū moriantur, quum eos alij pœnis afficiūt. Per Iouem, haud grauissimum quiddam malum iniusticia esse uidebitur, si erit uiro iniquo letifera. Malorum siquidem liberatio erit. Arbitror autem cōtrà esse omnino, ut & alios pro uiribus interficiat, & hominē sui participem, uiuacē maximè faciat, & apprimè peruigilem: usqueadeò longè abest, ut ea sit letifera. Scitè loqueris. Quando sua cuique prauitas, suum cuique malum animam perdere nequit, nunquam malum ex alterius pernicie, atque ad aliud institutum, ultra id cui propriè accidit, uel animam, uel aliud quicquam dissoluet. Nunquam, ut probabile est. Quum à nullo prorsus malo siue proprio siue alieno interimatur, patet, eam semper esse, necessarium esse. Si semper esse, & immortalem existere. Necesse. Hoc igitur ita se habeat. Ac si ita se habet, animaduertas easdem semper animas fore. Neq; enim pauciores unquam erunt, cum nulla prorsus intereat. Neque rursus plures. Si enim immortaliū quicquam plus efficiatur, ex mortali efficitur, eruntq; demum immortalia omnia. Vera loqueris. At uerò id nequaquam existimamus: ratio namque prohibet. Neque iterum arbitramur, animam uerissima sui natura talem esse, ut uaria, dissimilis, atque differens in seipsa sit. Quomodo istud ais? Haud facile est sempiternum esse, quod ex pluribus constitutum est, neque optimam compositionem est sortitum: ut nobis de anima nunc apparuit. Consentaneum est. Animam igitur immortalem esse, & ratio præsens, & aliæ præterea conuincere possunt. Si quis uerò, qualis ipsa reuera sit, inspicere cupit, haudquaquam intueri eam debet communione corporis, malisq; alijs inquinatam,

tam, quod ipsi nunc intuemur: sed qualis cum pura fuerit, diligenter ratione discernere. Vbi certè & multo pulchrior apparebit: et clarius, quum talis erit, quid iustum sit, quid non, & reliqua quæ suprà diximus, iudicabit. Nunc quidem uera de ipsa, qualis uidetur in præsentia, diximus. Non aliter uerò eam spectauimus, quàm multi marinum inspiciant Glaucum. Illi siquidem non facilè possunt Glauci antiquam considerare naturam, eo quòd antiquæ corporis partes partim fractæ, partim contritæ sint, & ab undis penitus dissipatæ, aliaq; illi rursus inhæreant conchylia, alga, lapides, ex quibus multo magis feræ præ se fert imaginem, quàm naturæ prioris uultum. Ita & animam nos semper inspicimus malis innumeris inquinatam. Sed enim illuc oculos conuertere decet, ô Glauco. Quó nam? Ad ipsius, inquam, philosophiam: & circa illã oportet animaduertere, quæ attingit animus, et quibuscum consuetudinem inire affectat & nitit, utpote qui cognatus sit diuino, immortali, & sempiterno. Qualisq; prætcrea futurus est, si quado eiusmodi totus naturam sequatur, per hunc affectum nixumq; eductus ex pelago quo ad præsens mergitur, nudusq; emergens excusso sabulo & ostreis, quæ ei nunc tanquam ex terra nutrito, terrena, lapidosa & agrestia plurima inhærescunt, propter eam utiq; alimoniam, quam plerique beatam existimant. Tunc demum ueram naturã ipsius animi contemplabimur, agnoscemusq; utrũ uaria sit, an simplex, qualis'ue sit omnis eius conditio. Nunc autẽ animi humana in uita affectus ac formas, satis, ut arbitror, declarauimus. Prorsus quidem. Nónne cætera quidẽ in hac disputatione exposuimus? præmia uerò ipsius & honores nequaquam attulimus, quemadmodum Homerum uos & Hesiodum adduxisse dicebatis: sed iusticiam ipsam ipsi animæ optimum præmium esse comperimus, iusteq; agendum esse monstrauimus, siue Gygis habeat annulum, siue etiam Plutonis galeam? Vera loqueris. Cæterùm nunc quoq; præter hæc nulla inuidia prohibet, quo minus iusticiæ & uniuersę uirtuti ea pręmia tribuamus, quæ ipsa animæ tam apud homines quàm apud deos cõparat, tam uiuenti q; defuncto. Magnoperè. Nunquid ergo restituitis mihi, quæ in sermone mutuati estis? Quid maximè?

Dedi equidem uobis, iustum uirum uideri iniustum, iniustumq; iustum. Vos enim petieratis. licet enim fieri non posset, ut ista homines deosq; latêrent, tamen concedi hoc disputationis gratia placuit, ut iusticia ipsa ad iniusticiam ipsam cõparata iudicaretur. non recordaris? Quidni recorder? Postquam iudiciũ peractum est, iam iterum postulo ut exponatis, quam iusticia mercedẽ à dijs & hominib. referat, ut & palmam ab opinione & manifesta existimatiõe reportet, qua cultores suos ipsa quoque decorat, postquam apertè uisa est etiã ipsa sui præsentia beneficia nobis conferre, neq; eos decipere qui uerè possident. Debita postulas. Primùm quidem hoc mihi reddetis, quod qualis uterq; eorum sit, & iustus & iniustus, deos non latet. Reddemus. Si deos id non latet, hic quidem à Deo amabitur, ille odio habebitur, id quod principiò cõfessi sumus. Est ita. Deorũ autem amico omnia, quoad fieri potest, à dijs optima tribuuntur, nisi quid mali ex priori delicto, ei necessitate quadam immineat. Omnino. Sic itaq; de iusto uiro existimandum, siue paupertati, seu morbis, siue quibusuis alijs eorum quæ mala uidentur, obnoxius sit, huic demum uel uiuenti uel mortuo ad bonum aliquod ista conducere. Neq; enim à dijs unquam negligitur, quicunq; iustus euadere, uirtutisq; officijs, quoad homini licet, Deo similis fieri conabitur. Decens est, talem uirum simili non cõtemni. De iusto autem contrà omnino est sentiendũ. Vehementer. Apud deos igitur iusto uiro hæc dabitur palma. Sic arbitror,

tror. Apud homines autẽ nonne sic euenit, si uera fateri debemus? Callidi quidem homines & iniqui perinde faciunt, ac cursores illi qui ab inferioribus currunt bene, à superioribus minimè. Nam primò celeriter exiliunt: tandem uerò risum reportant, auribus demissis, & sine corona discedentes. Veri autem cursores ad finem peruenientes, adeptiq; premium coronantur. Viris iustis similiter idem ut plurimũ accidit. Nempe in fine cuiusq; actionis cõsuetudinisq; & uitæ, probãtur muneraq; ab hominibus referũt. Magnopere. Sustinebis ne ut ego de his, quæ tu de iniustis, adducam? Dicam equidem. Iusti enim, cum ad maturam ætatem peruenerint, ciuitatis muneribus pro arbitrio funguntur: matrimonia quibus cum uoluerint, & dando & accipiendo uicissim ineunt: ac summatim quæcunq; de illis tu, ego nunc de his affirmo, rursusq; de iniustis hominibus effero. Pleriq; enim ipsorũ quamuis ad tempus sua uitia celent, tandem in curriculi calce quales sint deprehenduntur: ridiculi prorsus euadunt: & in senio miseri à peregrinis & ciuibus obiurgantur, uerberantur, omnia patiuntur quæ tu aspera esse reuera dicebas. Torquebuntur enim, & inurentur. Porrò quæcunq; ipse commemorabas, audire iterũ ex me putato. Sed ut dicebam, uide an sis hæc toleraturus. Perferam equidem: dicis enim quæ decent. Hæc itaq; sunt præmia, mercedes & munera, quæ iusto uiro præter ea bona quæ ipsa in se iustitia continet, à dijs & hominibus tribuuntur. Egregia ualde hæc sunt, & certa. At enim hæc & numero et magnitudine nihil sunt, si ad ea cõparentur, quæ utrumq; defunctum manent. Audienda uerò et ista sunt: ut omnia sufficienter, quę utriq; conueniunt, cõprehendantur. Dicas uerò, non quidem ut iam nimis multa, sed tanquã libentissimè audituro. Equidem tibi non Alcyni apologum, sed præstantissimi uiri Eri Armenij, genere Pamphylij, referabo. Qui quum occubuisset in prælio, sublatis decimo die cadaueribus cęteris iam corruptis, integer quidem incorrupto corpore repertus fuit: domumq; delatus ut sepeliretur, duodecima iam ab obitu die, dum pyræ impositus esset, reuixit: & quæ interim uiderat, retulit. Inquit ergo: Postquã anima fuisset à corpore separata, unà cum pluribus quendam in locum dæmonum peruenisse. In quo terræ duos proximos uidit hiatus: duos itẽ alios è conspectu supernè in cœli regione conspexit. inter hos uerò hiatus iudices sedere: qui postq̃ animos iudicarunt, iustos quidem ad dexterã suprà per cœlum ascendere iubent, in aduersa ipsorum parte signa eorum quæ iudicauerint suspendentes: iniustos contrà ad sinistram infrà, omnium quæ fecerant in uita post tergum signa ferentes. Cum uerò ad iudices ipse quoque accessisset, illos aiebãt respondisse: redire eum hominibus nuncium de his quæ illic uiderat, oportere: iussisseq; illum audire & intueri quæcunq; eis in locis fierent, diligenter. Viderat igitur illic per utranq; cœli terræq; portam animas lata sentẽtia abeũtes: per alias item duas, ex terra quidem ascendentes, animas puluere, squalore, macieq; confectas: è cœlo autem alias nitidas descendentes. Videriq; inquit animas undiq; uenientes tanquam longa peregrinatione fatigatas, libenter in prato quod ibi est, tanq; celebri in cõuentu recumbere: ac se inuicẽ quæcunq; mutuam notitiam habuerint, salutare: easq; omnes, tam quę ex terra q̃ quæ è cœlo conuenissent, sese ultrò citroq; de his quæ suis in locis uiderint percontari, sibiq; uicissim ad singula respondere: has quidẽ dolentes ac flentes memoria malorum quę in præterito sub terris itinere perpessę sunt, & uiderĩt. Esse autem iter illud mille annorum. Illas uerò quæ de cœlo descenderant, narrare delicias, pulchritudinisq; ingentis spectacula. Multa quidem illa referre, quæ longo ordine recitabat, prolixę nimium narrationis, ô Glauco. Summã uerò hanc esse dixit:

Quoscunq;

Quoscunq; alijs iniurias intulisse constaret, pœnas singillatim pro quolibet decies reddidisse, id est spacio annorũ centũ: quasi hæc uitæ humanæ sit meta, ut animæ decuplam iniuriæ darent pœnam. Itaq; si qui cædis multorum causa fuerint, ciuitatesq; & exercitus prodiderint, uel homines in seruitutẽ egerint, uel alicuius alterius flagitij & sceleris conscij fuerint, in his omnibus pro quolibet facinore pœnas decuplas pendere. Atque iterum si qui beneficia quędã contulerint, iusticiamq; & pietatem coluerint, eadem ratione præmia reportare. De his uerò qui statim ac nati sint decessere, aut breue tempus uixere, quædam parum digna memoria recensebat. Erga deos autem & parentes pios uel impios, et homicidas, qui cęde manus proprias polluerunt, maioribus & præmijs & pœnis affectos esse narrabat. Inquit enim se interfuisse, quum alium interrogaret quispiã, ubi nam Ardieus magnus esset. Hic autem in quadam Pamphyliæ ciuitate tyrannus fuerat, annis iam mille ab isto tempore exactis: qui senem patrem & maiorem natu fratrem occiderat, alia'que plura impia scelera perpetrauerat. Interrogatumq; illum aiebat respõdisse: Non uenit Ardieus, neque ueniet. O' dirum spectaculum. Dum enim egressuri hiatum peteremus, cætera omnia perpessi, illum protinus uidimus, alios'que cum eo, omnes fermé tyrannos, inter quos & priuatos nonnullos, qui magna scelera perpetrauerant: quos ascendere iam se propemodum ausos, hiatus ille minimè permittebat: sed horridè mugiebat, quoties aliquis eorum qui uel insanabiles essent, uel nondum purgati, egredi niteretur. Aderant igitur illic feroces quidam uiri, aspectu ignei: qui cum mugitum subitò perpendissent, hos seorsum rapiebant, Ardieum scilicet, eiusq; persimiles: manibusq; & pedibus & ceruice deuinctis prosternebant eos, excarnificabantq;: & secus uiam quandam ad exteriorem partem raptatos, tribulis lacerabant: prætereuntibus indicantes, quam illi ob causam talia paterentur, quod'ue in Tartarum projciendi agitarentur. Vbi quum multa uariaq; eos terrerẽt, hic pauor uehementissimè uexabat: quum in ascensu mugitus excitabatur, quo silente quisque libentissimè ascendere uidebatur. Ac pœnas quidem, & supplicia huiusmodi recensebat contrà uerò, beneficia eiusmodi.

Quum uerò animæ illæ quibus de suprà diximus, in prato dies septem requieuerint, oportere eas dicebat octauo surgentes die illinc recedere: & quarto demũ die ad locum aliquem peruenire, unde supernè per totũ cœlum atque terram extensam uideatur lumen tanq; columna erectũ iris simillimum, clarius tamen ac purius. In id unius diei itinere uenisse: uidisseq; ibi medio in lumine extrema cœlestium ligaminum è cœlo tensa. Esse enim lumen istud cœli uinculum: quemadmodum triremium succincturæ. atq; ita circumferentiam omnem esse contentam. Ex apicibus uerò suspensum Necessitatis deæ pensum, per quod omnes circuitus peragantur. Cuius fusus quidem et cuspis ex adamante, uerticulum uerò ex hoc alijsq; generibus mixtum. Cuius natura huiusmodi sit secundum figuram quidem, qualis apud nos cernitur. Animaduertẽdum tamen ex illius sermone, perinde se habere, ac si uno quodam amplo concauo'que uerticulo, & per totum sculpto, aliud minus simileq; insertum iaceat: ita congruens, ut plerunque cadi, qui inuicem inseruntur: atque ita tertium & quartum, & alia quatuor.

Octo enim illa uerticula esse, insertos inuicem circulos, labia supernè ostendentia, dorsum uerò minus uerticuli continuum circa fusum efficientia. Fusum uerò illum per medium octauũ, perq; totum esse traiectum. Primum igitur extimumq; uerticulum labij circulum habere latissimum. Sexti autem, secũdum. Tertium, quarti. Quartum, octaui. Quintum, septimi. Quinti, sextum. Tertij, septimũ. Octauum uerò, secundi. Primi item atq; maximi circulũ uarium esse. Septimi, lucidissimum,

mum. Octaui autem uerticuli circulū colorem à septimo irradiante suscipere. Secundi uerò ac quinti similes inuicem, illis aliquantulo flauiores. Tertiū sanè colorem candidissimū possidere. Quartum, subrubeum. Secundum uerò, sextum albedine superare. Ac fusum quidem totum uolutione simili circumferri: cum uerò totum uoluatur, septem interiores circulos motu totius contrario tardius circumuerti. Ex his planè octauum motu rapidissimo agitari. Secundos uerò, alterum alteri consequenter: septimum, sextum & quintum. Tali uerò tertium motu ferri, ut quartū circumuoluere uideatur. Quartum autem, tertiū: & quintum, secundū. Fusum uerò in Necessitatis genibus circumuerti. Supernè præterea cuilibet circulo hærere Sirenem, unà cum globo delatam, uocem unam, tonum unum uidelicet emittentem. Vnam tamen harmoniam ex omnibus octo concinere. Alias autē tres Necessitatis filias, æquali inuicem interuallo in throno sedere: Parcas uestibus albis, capite coronato, Lachesim, Clotho, Atropon. quæ ad Sirenem harmoniam canant: Lachesis quidem præterita, presentia Clotho, Atropos uerò futura. Et Clotho quidem cum matre simul intermissione quadā temporis, dextra manu tangētem fusi extimam circumferētiam circumagere: Atropon uerò sinistra iterum interiores similiter. Lachesim uerò deniq; uicissim utraq; manu utrinq; tangere. Illuc animas ergo cum uenerint, statim oportere ad Lachesim accedere. Vbi illicò propheta aliquis primùm singulas disponit in ordinem: postea cum ex genibus Lachesis sortes, et uitarum exempla susceperit, aliquod sublime tribunal ascendens, sic fatur: Sic hæc Lachesis, ô uniduanæ animæ, Necessitatis filia dicit: circuitus alterius initiū, mortalis ac letiferi generis, nō uos dæmon sortietur, sed uos dæmonem eligetis. Qui prior sortem cœperit, prior eligat uitam, cui necessariò inhærebit. Virtus inuiolabilis ac libera: quam prout honorabit quis, aut negliget, ita plus aut minus ex ea possidebit. Eligentis quidem culpa est omnis: Deus autem extra culpam. Hæc fatus, sortes super omnes fundit: ex quibus quilibet eam rapit, quæ super ipsum ceciderit. Neq; licet cuipiam, quotus ordine sit agnoscere, nisi cum cœperit. tunc enim duntaxat quotus sit, sortitus intelligit. Post hæc item exempla uitarum coram ipsis in pauimento disponit: multo plura quàm quæ hic ad præsens apparēt. Esse uerò hominum atq; omnium animalium uitas omniformes asserebat. Tyrannides enim in illis extare, partim perpetuas, partim ad tempus: quæ medio in spacio corruant, in paupertatem delapsæ, exiliū & inopiam. Extare & præclarorum uirorum uitas, partim specie, decore, uiribus, certaminibusq; præstantium: partim maiorum prosapia & uirtute, nobilium. Et mulierum uitas eodem modo. Animæ uerò ordinem & conditionem non inesse: eo quòd necesse sit, ut aliam uitam eligens conditionis alterius efficiatur. Cætera uerò inuicē, partim diuitijs & paupertatibus esse commixta, partim morbis & sanitate: partim istorum mediū obtinere. Vbi profectò, ô Glauco, omne hominis consistit periculum. Quamobrem omni studio danda opera est, ut quisq; nostrûm omissis cæteris disciplinis, hanc quærat assequaturq; pro uiribus disciplinam: per quam & possit & sciat uitam bonam à mala discernere: & quoad fieri potest, ex omnibus eligere meliorem: animaduertēs quæ nunc diximus omnia, quid coniuncta inuicem uel disiuncta ad uirtutem uitæ conducant. Nec non intelligat, quid pulchritudo cum paupertate uel diuitijs iuncta, & quali cum habitu animæ malum operatur uel bonum: quid'ue nobilitas, ignobilitas'ue: uita priuata & imperium, robur & imbecillitas, uelox ingenium & tardum: cæteraq; huiusmodi, quæ natura circa animam sunt, & quæ acquiruntur, inuicem copulata faciunt: ut ex his omnibus singulorum naturam ualeat considerare, ad animæ naturam respiciens: & meliorem

meliorem uitã à deteriori discernere: deteriorem eam appellans, quæ iniustiorem animam efficit: potiorem autem, quæ iustiorem: reliqua uerò contemnat. Vidimus enim & uiuenti & mortuo electionem hanc optimam esse. Cum hac igitur opinione instar adamantis firma atque rata oportet ad inferos proficisci, ne quis illic diuinas malaq; huiusmodi admiretur: ne'ue in tyrannides & alias huiusmodi actiones incidens, multa & insanabilia scelera perpetret, ipseq; rursus deteriora perpetiatur. Imò uerò sciat mediã semper istorum omnium, missis extremis, uitam eligere: & in hac uita & in futura. Ita enim quisque fit beatissimus. Enimuero qui tunc redijt illinc nũcius, ostendebat hoc pacto prophetam in edicto adiecisse: si quis postremus etiã accedit, eligat modò prudenter, constanter uiuat, uita occurret expetenda, non mala. Primus ne oscitanter eligat, ultimus ne desperet. Cum hęc dixisset, eum cui primò sors obuenerat, ilico, inquit, properantem tyrannidem maximam elegisse: ac propter inscitiam auiditatẽq; haud satis singula prius examinasse: & idcirco ignorauisse, quod in ea uita fato decretum erat, ut filios suos uoraret, aliaq; mala plurima sustineret. Postea uerò ubi per ocium electam uitam considerasset, eiulasse, electionem noxiam deplorantem, quòd non cauisset quæ propheta prædixerat, neque seipsum tanquam malorum causam damnãtem, sed fortunã dæmonesq; & reliqua omnia potius quàm seipsum. Fuisse uerò illum ex his qui de cœlo descenderãt, qui sanè in superiori uita, in ciuitate aliqua moderata uixerat, uirtutemq; usu quodam, absque philosophię tamen studijs exercuerat. Neque pauciores ex his qui ex alto cadunt, quàm ex alijs, utpote malorum ignaros decipi eligendo. Eorum uerò qui è terra uenerunt, plurimos, quia & ipsi calamitatibus laborauerint, & laborantes alios uiderint, haud temerè uitam eligere. Quam ob causam, ac etiam propter sortis fortunam, bonorum malorumq; multis animis mutationem contingere. Porrò si quis semper, cum in hãc uitam uenerit, sincerè philosophetur, neque electionis sors ultima ei contingat, cum ex his quæ illinc nunciãtur apparet non hic solum felicem fore, sed & profectionem hinc illuc, regressionemq; huc iterum haud sanè terrenam & asperam subiturum, sed lenem atq; cœlestem. Hoc quoq; consideratione dignum spectaculum esse dicebat, quomodo singulæ animę uitas singulas eligebant. Miserabile quippe istud, ridiculum, uisuq; mirum, electionem scilicet secundum uitę prioris consuetudinem ut plurimum facientes. Animam enim, inquit, quæ olim Orphei fuerat, uidisse, cygni uitam odio muliebris generis eligentem: nolentem uidelicet ex mulieribus, à quibus occisus fuerat, nasci. Thamiris uerò, philumenę. Cygnum etiam conspexisse ad humanæ uitæ electionem conuersum, aliaq; musica animalia, ut consentaneum est, similiter. Quandam etiam, cum oblatæ sortes essent, leonis elegisse uitam: hanc uerò Aiacis Telamonij fuisse dicebat, detestantem homines, quoties iudicij illius, ubi pro armis cum Vlyxe contendit, in mentem uenisset. Post hunc Agamemnonis animam propter ærumnas, odio humani generis, uitam aquilæ asciuisse. Atalantes autem animam, cui media quædam sors contigerat, intuitam dixit, quàm maximis honoribus uir athleta afficiatur, continere se non potuisse, quin uitam athletæ eligeret. Animam deinde Epei Panopeensis ad artificiosæ mulieris naturã protinus migrasse. Longè uerò inter nouissimas ridiculosi Thersitis animam, simiam induisse. Casu uerò, Vlyssis animæ sortem ultimam cõtigisse. quocirca & ad eligendum ultimam aduenisse dicebat. Præteritorum autem laborum memoria, ab ambitione cessantem, diuq; prius quàm eligeret circũeuntẽ, quæsisse priuati hominis, minimeq; curiosi uitã. Eamq; uix tandem alicubi iacẽtem, & ab alijs neglectam reperisse: dixisseq; non aliam se uitam electuram fuisse, etiam si sortem primã nacta esset. quare

uitam illam libĕter fuisse complexam. Ex feris item alijs in homines transire animas asserebat, & inuicem commutari: iniustas quidem, in feras agrestes: iustas autem, mãsuetorum animalium uitam capessere: atque omnes hunc in modum confici mixtiones. Cum uitas, omnes animæ gradatim, ut sors dederat, elegissent, longo ordine ad Lachesim accessisse narrabat. Lachesin uerò cuiq; dæmonem, quem cæperat quæque, ipsius uitæ custodē præscripsisse, electorumq; operũ executorem. hunc in primis ad Clotho animam ducere, & sub illius manu reuolutioneq; & uertigine fusi, approbare quam sortitus fortunam elegerat. Hanc ubi tetigit, mox hinc ad Atropō nentem, quæ immutabilia stamina reddat. Illinc postea properè Necessitatis thronum adire: per quem cum transierint omnes, sub uehementi calore & æstu in campum Letheum proficisci, arboribus & omnibus quæcunque terra nascuntur, penitus destitutum. Recumbere igitur ipsas aduentante nocte iuxta Ameli tam flumen dicebat: cuius aquam uas nullum contineat. Atq; ipsius aquæ bibere aliquantũ, cuiq; necessarium. Eos autem qui prudentiam ducem non habent, ultra quàm deceat bibere. Semper uerò bibentem omnium obliuisci. Vbi uerò ad mediam noctem dormierint, subito tonitru & terræmotu excitos, repentè alium aliò sursum ad generationem consurgere, stellarum instar prosilientes. Se uerò flumine ex illo potare prohibitum fuisse narrabat. Quomodo autem in corpus redierit, ignorare: sed cum diluculo subitò circumspiceret, seipsum pyræ impositum animaduertisse. Atq; ita, ô Glauco, seruata est fabula, neq; perijt, nosq; seruabit pariter: si ipsi parebimus, & Letheum, id est obliuionis fluuium bene transibimus, nullaq; macula animã inficiemus. Quamobrem si sermonibus meis obtemperabimus, immortalem fore animam arbitrãtes, talĕq; ut & mala possit & bona omnia sustinere, uiam semper ad superiora ducentem sequemur, iusticiamq; cum prudentia omni ratione colemus: ut & nobis ipsis simus, & dijs amici, dũ hanc ducimus uitam: & postquã uirtutis præmia reportauerimus, tãquã potiti uictoria & triũphis, & hic, & in millenario annorũ itinere, quo de diximus, feliciter habeamus.

SEBASTIANI FOXII IN LIBRUM

X. Annotationes.

Equidem cogitanti mihi) Exorditur à laude ciuitatis illius, quã suprà descripserit: ex cuius descriptione sermonem de poetis repetit, causas cur eos reprehenderit, reddens, & eorundem inscitiam atq; ignorantiã detegens: idq; ueritatis studio, quod propensioni suæ in Homerum aliosq; poetas antepo nat. *Nunquid explicare.*) Dixit in superioribus libris Plato sæpe, poesim imitationem esse quandam ueritatis, adumbratamq; rerum simulationem, tanquam picturam. Nunc idipsum iterum docet, ut imitationem hanc deinceps nullius esse scientiæ concludat. *Speciem unamquamq;.*) Inductione rerum diuersarum docet Plato, esse aliquam cuiq; rei formam perfectam tanquã ideam & regulam, ad cuius sit formam effecta: ut in artificiosis rebus cernitur, quarũ ideæ in artificũ mentib. sint. *Nullus enim artifex.*) Hanc porrò ideam unã & eandem esse uult, & perpetuam, nec ab artifice ipso factam, sed tanq̃ exemplar in eo positam. Quod ipsum in Deo magis cernitur, qui ideam suæ mẽtis, ut in Timæo dicitur, sequutus, omnia fabricauit. Hic ne intelligas, rerum artificialium ideas esse, sed similitudine quadam id dici. *Talis utique faber.*) A simili tanquam speculum, sic ideam cuiusq; rei omni artifici inesse ait, quam in efficiendo sequatur: nec obstare his, quòd poetæ, aut artifices alij res adumbratas pro ueris faciant, cum in eo etiam imaginem aliquam animo cõprehensam sequantur. *Vis in istis quoq;.*) Lecta similitudine tria esse ait exemplaria: unum, à Deo effectum, ut mundum ipsum, siue res omnes ad ideæ diuinæ imaginem effectas: alterum, factum ab artificibus naturam ipsam imitantibus, ut res ab ijsdem factas ex arte: tertium ab imitatoribus simulatum, & effictum ad imaginem rerũ artificialium. Horum autẽ trium exemplarium discrimen ostendit deinceps, cum ait: *Deus igitur siue quia.*) Diuinã ideam, siue ipsam Dei mentem unam esse, & æternam, inquit, ideoq; omnia ab illo facta, siue una sint, ut sol: siue multa, ut reliqua, numero quidem distare, quòd sint materialia, formam uerò illam unam ideæ imitari. *Vis ergo hunc huius*) id est, Igitur Deum dicemus huius mundanæ formæ autorem fuisse, quòd materiæ induxerit

formam

formam similem ideæ suæ mentis æternæ. Fabrum nonne lecti.) Quemadmodum natura ad ideæ diuinæ formam est facta, sic artificialia omnia ad formã artificij animo artificis comprehensam effecta cogitare oportet. Pictorem autem, & imitatorem, nullam sequi certam rationem, siue ideam, sed simulationem solum quandam ideæ. Tertium à natura facit.) Collatis hisce tribus exemplariũ formis, concludit, imitatorem tertia facere à natura: id est, simulare res artificiales: quæ quidem res naturam quoq; ipsam imitantur. Siquidem imitator est.) Quod imitationi congruit, imitatoribus item cõgruat necesse est. ideo imitatorem tertium ait esse à rege, id est, à philosopho suprà descripto: & à ueritate, id est, à subiecto eiusdem philosophi: hoc est, uero ente. Siquidem ueritatẽ ueris rebus seu uere existentibus, & naturalibus Plato tribuit, quam philosophus intuetur: imitationem uerò ueritatis artificibus, res ueras imitatione artificiosa exprimentibus: simulationem uerò, & adumbratam imaginem rerum, poetis atq; pictoribus. Hoc præterea nobis.) id est, Existentia ab apparentibus discerne, ut non exemplaris ueri imitatores esse, poetas atque pictores, sicuti omnem imitatorem, apparentiam imitari, non rem ipsam. Ceterùm, ò amice.) Cum docuerit alia existere reuera, ut naturalia & artificiosa: alia apparere solum, ut simulata & ficta: monet obiter, temere non iudicandum de rebus, sed cognoscendũ in primis quid uerũ, quid'ue apparens sit. Nonne posthac tragœdiam.) Tragicum uocat Homerum, quòd res tragicas tractet: deinde irridet eos, qui omnium doctrinarum scientiam illis adscribant, quum non uideant poetas esse doctos id quod scribere, non quòd eruditi sint ipsi, ut in Apologia etiã Socrates refert.

Virum qui eos laudat.) id est, Ne adhibeamus fidem ijs, qui omnem doctrinam tribuunt poetis, cum simulatione ij ueritatis decipiantur. Nempe si ueram eorum.) Solidam ait doctrinam simulatæ esse præferendam: ut poetis, eorumq; eruditionem negligendam esse doceat, cum nihil uerum, at simulatum omne tradant. Cæterùm de alijs quidem.) Artium diuersarum inductione quærit, quanam sciẽtia poetæ imbuti sint, ut cum nullam eos certam disciplinã uideat profiteri, ineptos, inutilesq; iudicet. Quemadmodum Aesculapius.) id est, Vt Aesculapius & medicinam docuit, & medicos fecit, ita poeta nullius rei doctum neminem facit. O dulcis Homere.) Solita prosopopœia ad Homerũ loquens Plato, nullam aliam poetis eruditionem, solidamue doctrinam inesse ait, quàm ut suauitate quadam dictionis placeant. Sed es secũdus.) id est, Si cõferaris cum reliquis poetis, secundum à ueritate locum obtines, adeò apte & ad unum omnia depingis. Alludit ad ea, quæ tribus exemplaribus retulit. Potesq; narrare.) Ethicen, politicen, legum ferendarum rationem, rei bellicæ disciplinam, inuenta humanæ uitæ utilia enumerat, ut cum nihil eorum à poetis tradi docuerit, nullius esse ipsos eruditionis concludat. At saltem priuatim.) id est, Constituit'ne fortè Homerus aliquam sectam, ut philosophi alij? at nihil huiusmodi in eius uita extat. Profectò Abderites.) Vel ipsis etiam sophistis indoctiores, inutilioresq; poetas esse inquit Plato, ut eorundem ostendat ignorationem. Homerum autem, uel Hesiodum.) Argumentũ à signis, quo inutilitas poeseos demõstratur. Vel hinc, ait, inutiles esse poetas cognosces, q. diu Homerici uersus dispersi per hominum ora erant, priusquã ab Aristarcho unum in uolumen redigerentur, nec quisquã mortalium aliquid utilitatis toto eo tẽpore ex ijs percepit. Haud secus poetam.) Concludit, poetas & inutiles esse, & umbrã doctrinæ quandam solũ, nullam autẽ eruditionem habere: cum detracto illo fuco uenustatis & gratiæ, tanquã colore, nihil in recessu habeãt, præter id quod prima fronte promittunt. Age igitur & hoc animad.) Hinc aliquantũ à proposito digressus, ad generalem quandam quæstionẽ, Plato docere uult, imitationi nullam inesse solidam doctrinã: ut cum poema sit imitatio, futile esse idem doceatur. In primis aũt ostendit inductione uariorũ exemplorum, artificem omnem assequi finem suæ artis, nisi quid obstet. & idcirco agere quid, ut illum assequatur: quando nemo agat, nisi propter finem. Anno circa omnia.) Superiorẽ sententiam à diuisione confirmat, cum omnem ait efficiẽtem causam, siue principaliter agentem, utentemq; alijs ut instrumentis, (nam hoc uocat utentem) siue administrantem, & operantem, ac minus principalem (id uocat facientẽ) siue formam ipsam quam imitantẽ nominat, habere certum aliquod subiectum tanquã materiam, circa quod uersetur, eiusq; debere certam rationẽ tenere. Necesse igitur eum.) id est, Qui utitur tanquã causa principalis administris & instrumentarijs alijs, rationem effectionis noscat, & eam præscribat necesse est. Quemadmodũ tibicen.) A simili docet, utentẽ, id est imperantẽ causam certã scientiam, ac uniuersalem: facientẽ, id est, instrumentariã opinionem firmam habere solũ, cum illud mentis, hoc imaginationis sit. Adhærens intelligenti.) id est, Proximè accedens ad rei intelligentiã, quæ in mentẽ cadit. Imitator aũt.) Quæ generatim de scientia utentis causæ & operantis retulit, tanquã thesim hypothesi accõmodat: id est, docet imitatorẽ nec rei, quam imitetur, scientiã tenere, nec opinionẽ de illa, sed adumbratã solũ notitiam. in quo & architectrice seu utente causa, & instrumẽtariæ ratione sit inferior. Ex quo concludit, inanẽ esse imitatorũ scientiã, quando nec opinionem, nec scientiã eorũ quæ imitentur, habeant. Imitatio aũt hæc.) Quæ suprà dixit de imitatore ac pictore, q. ij tertium à ueritate locũ obtinerent, repetit nunc: itemq; illud statuit, ac probat, duplicẽ esse animi nostri partẽ: unam scientiæ capacẽ, id est mentem: alteram opinionis, id est imaginationẽ: ut hinc cõcludat, imitationẽ nullius esse sciẽtiæ, utpote quæ ne opinionẽ quidẽ attingat. Quam quidẽ.) Errorẽ

nostræ imaginationis circa cõmunia obiecta á signis ostendit, cũ alter sensus iudicent q̃ res sit, nisi mens eam diiudicet. An nõ metiendi) id est, Ideo certã aliquã rationem ac mensurã rebus statuimus, ne errore, qui sensationem sequitur sæpe, labamur. Hinc duplex esse animi uis intelligitur, mens, & imaginatio: quando diuersa sunt utriusq; obiecta, actionesq; diuersæ. An nõ alias diximus) Argumentũ est, quo diuersæ probãtur esse partes illæ, in quas error scientiaq; cadat. nã si actiones diuersæ sunt, diuersæ quoque sint earũ potentiæ necesse est: quando duo contraria unam in rem simul nõ cadunt. obiecta aũt diuersa sunt: ergo & actiones, & potentiæ, unde emanant. Atque hoc rationalis.) id est, Rationẽ aliquã firmã statuere, mentis est, nõ imaginationis. Istam confessionẽ exprim.) Cum cognitionis nostræ gradus cõstituerit, ac eos inter se contulerit, tum cũ imitatione: concludit demũ, poesin atq; imitationẽ nullius esse, aut certè tenuis cognitionis. Ignobilis aliqua.) id est, à mente sensum diuersum esse constat, quando diuersæ sunt utriusq; actiones. Ne igitur ei soli.) Poesin imitationẽ esse quandam ostendit, ut quæ generatim sunt de imitatione suprà dicta, ei accõmodentur. Videamusq; nam.) id est, Quãdo poesin imitationẽ esse diximus, ecquæ nam ipsa, & qualis sit, uideamus. Trãsitio est ad poeticæ usum inquirendum. Imitatur quidẽ poesis.) In his quæ sequuntur, uitiosam esse poesin docere Plato uult, q. prauos in hominũ animis affectus gignat, excitetq; sic enim argumentatur: Poesis cum sit imitatio quædã, hominum facta uel inuita, uel uoluntaria, uel affectu plena, uel uacua imitatur. Hoc statuatur tanquã maior enunciatio. Facta aũt hominũ sibi semper non constant, cum ex affectu plerunq; oriantur, & ex iis animi uiribus, quæ inter se dissideant, & uitiosæ sint. Hæc assumptio inibis confirmatur. ergo poesis quæ talium rerũ est imitatio, uitiosa est. Nam in superiori.) Libro 9. uariis ex animalib. compositũ nostrum animũ dixit. Verũ quod nũc.) Animi nostri dissensionem ob affectus diuersos ostendit. nam dolorem, iram, cæteraq; perturbationes in nullo nõ esse ait, licet sapientes minus iis cõmoueantur, quàm reliqui. Cum homo circa idem) id est, Cum hanc animorum perturbationẽ cernamus, necesse est fateamur, duas in iis esse partes: unam tanq̃ legẽ, id est rationẽ: alteram illi parentẽ, id est iracundiã, quæ rationi est proxima, ut dicitur in Timæo: tertiam, cupiditatẽ utriq; repugnantẽ. Ex his igitur docet Plato, animũ nostrũ non semper rectè sibi consentire, sed affectib. rapi: in eoq; uitiũ contrahere, nisi eos moderetur. Prudentem uerò.) A differentia sapientũ, ac reliquorum affectuũ uim ostendit, cum neminẽ affectib. uacare ait, nisi sapientẽ. Meritò igitur.) Concludit, uitiosam esse poesin, q. hanc animi partẽ affectib. turbidã imitetur, eamq; mouere studeat: illam uerò tranquillam nõ item, id quod sit maximè uitiosum. Maximum quidẽ hoc.) id est, Aliud est item poeseos uitiũ, q. non modò homines nõ facit ex malis bonos, sed ex bonis potius malos, corruptis eorũ moribus. Quòd aũt hoc ipsa efficiat, constat: cum ex poesi discamus ea, quæ si sani simus, fugiamus, & quorũ nos etiam ipsos pudeat. Quoties aũt.) id est, Contrà uidebis eos affectus esse turpes, ex eo q. uacuitatẽ eorũ amamus, & expetimus: quæ quidẽ fuga uitiũ eorũ indicat. Quòd uidelicet id.) id est, At poetæ mollem illã animi nostri partẽ afficientes, molles & turpes gignunt affectus, in iisq; excitandis totã uim carminis atq; uenustatẽ constituunt. Pauci sanè animad.) id est, Cũ aliena imitari soleamus, si quem eiulantẽ uideamus, statim cõmouemur, tanq̃ nostrã huic exemplo mollitiẽ addentes. Nónne eadem.) Inductione affectuũ multorũ docet, id poesin efficere, ut ipsi excitentur: quod cum per se turpe sit, ut Aristot. lib. 1. Rhetor. ait, sequitur, uitiosam esse poesin. Si quando itaq;.) Damnati cũ iam sint poetæ, quid iisdẽ tribuendũ sit, et quantũ, præscribit, ut ineptã illã Grammaticorũ quorundã (ut Eustathii, Didymi, & aliorũ qui omniũ scientiarũ cognitionem Homero tribuebant) sententiã cõuincat: tum, præter leuẽ quandã uenustatẽ, nihil eruditiõis aliud poeticæ inesse ait. deinde nullũ carminis uult esse aliũ usum, q̃ ut laudes deorũ heroumq; canãtur. Quia uetus quædã.) Præposita excusatione, q. philosophi poetis aduersarii putentur, ut hisce ex uersibus citatis apparet: aliud poeticæ uitiũ ostendit, q. scilicet ipsa uoluptatẽ maximè alat, & irritet: id quod multorũ uitiorum radix sit. Veruntamen id) id est, Si quid in poesi reipub. congruens insit, capiatur: cæteroqui tamen tota ipsa inutilis est, uel ob id saltẽ, q. uoluptatẽ gignit. Ex quo cõcludit, eam à ciuitatis suæ custodib. reiiciendã esse, ne illorũ emolliantur animi. Alioqui ò dulcis.) Modum laudandæ poeseos præscribit, similitudine quadam eleganti. uult enim eius nos uenustatẽ laudare, cautè tamẽ, ne capiamur tanq̃ incantatione quadam Sirenũ. Hac enim monitione præmuniti, tutò eam legere poterimus. Ingens porrò.) Cũ de poesi sit hactenus dictũ, idq; quatenus hominũ mores poscunt: nũc magni referre inqt, bonúsne an malus sit quisq; cũ diuersa alterutri eorũ præmia cõstituta sint. Sed quæ maiora.) id est, Suntne alia præmia maiora, q̃ expectare hic possumus? Quid magnũ hic.) Proposita humanæ uitæ breuitate Socrates, & animũ esse immortalẽ, & æterna illi præmia proposita inquit, siquidem ea de causa immortalis esse animus probatur. Pro omni certè.) Argumentis ostendere iam Plato uult, uniuerso tẽpore, semperq; animũ esse immortalẽ. ac primò quidẽ à materia siue essentia ipsius animi ita argumentatur. Quicquid corrũpitur, uel ab interno, uel ab externo malo corrũpitur: nullum aũt huiusmodi malũ animo inest: ergo corrũpi nõ potest. Malũ appellat carẽtiã essentiæ, causamq; eius carentiæ, ut materiã. Neq; enim quod) Assumptionẽ superioris argumẽti à differẽtia boni et mali cõfirmat: q. bonũ scilicet rem cõseruet in sua essen-

tia

tia, malū perimat, cū sit non ens. Est ne aliquid.) Obiectioni tacitæ occurrens, ne malū quidē morale causam corruptionis esse animo posse inquit: idq; inductione uitiorū diuersorū confirmat, cū ea animū tantum inquinent, nō corrumpant. At uerò absurdū.) Animus, inquit noster à corpore diuersus est, uitia aūt à corpore cōtrahuntur: quo igitur pacto alieno uitio interire animus posit? in his nullā mali corruptiui partē animo nocere posse, docet. Attēde, inq.) Discrimen inter malū morale, & malū corruptiuū ostendit apertius. Etenim malū corruptiuū ex essentiæ defectu, morale uerò ex inordinatione mentis nostræ nascitur, ut rectè D. Thomas docet. Deinde malum morale ex animi natura non fit, sed ex corpore. Quo fit, ut tametsi summus corpori interitus accidat, nihil id animo noceat. At enim nemo id.) Aliā obiectionē tacitā diluit, ut omnē mali causam ex animo demat. Docet enim, ne ipsam quidē iniusticiā animi è corpore excedentis, causam illi esse corruptionis, cum nullū externū malum afferre ipsi posit interitum. Malorū siquidem.) id est, Si morte mulctarentur animi iniustorū, tamen quia finē pœnarū facerent, mali nihil paterentur: cum id quod nō sit, ne malū quidem sentiat. Hoc item argumentū Cic. lib. 1. Tusc. tractauit. Quando sua cuiq; prauitas.) Conclusionem totius argumenti superioris texit, confirmans nullū animo malū accidere siue internū, siue externū, quo posit interire. Ac si ita se hab.) Aliā obiectionē Plato diluit. Obijciat quis animos immortales nō esse, si oriantur aliquando: oriri aūt eos, ex eo intelligi, quòd tot hominū millia nascantur & intereant. Respondet, certū fuisse ab æterno animorū numerū, qui nec augeatur, cum nec principiū habeant, nec minuatur, quam nec finem, ut in Timæo quoq; dictum est. Neq; uerū arbitr.) Ex superiori disputatione infert Plato, animū essentiā esse quandam incorpoream, & à corpore separatam: ne quis obijciat, animū per se non existere, quòd non noscatur. Quod item argumentum à Socrate in Phædone refellitur. Non aliter uerò eum.) Cum dixerit animum per se existere, similitudine quadam ostendit, quomodo idem noscatur à nobis. ait enim, eodem planè modo ipsum cognosci, quo ea quæ aquis sunt demersa intuemur: ut enim ea nisi per aquā, cernere: ita nec animum, nisi per materiam, nosse non possumus, quando nostra omnis cognitio à sensib. paratur. Ad ipsius, inquā, philosophiam.) Alium noscendi animi modum ostendit, sumptum ab eiusdem obiecto. Quemadmodū, inquit, tum animus philosophatur, cum ens à materia separat, atq; ultimū quiddam intuetur nudum accidentibus: ita animum nostrum similem esse ultimo illi enti immateriali, cogitare oportet. idem enim animus propter diuinæ naturæ participationē separata ista entia cogitare solet. Qualisq; præterea.) Animi nostri statum in hoc corpore describit, similitudine quadam uehiculorum illorum, de quibus in Timæo retulimus. Hic

enim ait, ipsum animum in materia demersum, uelut in cœno, propter affluentiam alimēti corporei, quo uita alitur, latère, ideoq; nosci nō posse. tunc autem nosci posse, cū idem à corpore sit separatus, purus, ac pristinæ suæ naturæ redditus. Nónne cætera quidem.) Digressione quadam usus Plato hactenus, animi immortalitatem tutatus est, ut animorū præmia pœnasq; proponeret: nunc ad idipsum docendū redit. In primis autem statuit, iusticiam aliquo præmio affici æquum esse: ideoq; rectè agendū, ut qualia eadem præmia sint futura, deinceps ostendat. Cæterum nunc quoq;.) Sermonem de præmijs uirtutū, supplicijsq; uitiorum aggreditur: quando id propositum hoc in libro est. Numquid ergo restitutis.) id est, Vultis ne in memoriā reuocemus ea, quæ lib. 2. ego quasi mutuò concessa nobis dedi: uidelicet, iniustum hominē sæpe iustum uideri, quòd eius lateat iniusticia? Hoc igitur ipsum disquiramus. Postquam iudicium peractum.) id est, Quando nihil iniustè agendum esse constat, quantumuis lateat: uidendum iam est, quod iusticiæ sit præmiū propositum. Primū quidem hoc mihi.) Huiusmodi argumento docet, bonis præmia dari à Deo, malorumq; scelera tecta non fore. Nihil Deum latēre potest, ergo idem et iusta & iniusta nouit. Sed idem bonos amat, q, omne simile suum amet simile: malos uerò odio prosequitur: igitur bonis bene, malis male faciet. Nisi quid mali ex priori delicto.) Animos ad corpora demitti ob imbecillitatē, Platonici aiunt. Ad hoc fortasse iustum alludens Plato, iustis adeo fieri bene ait, nisi qd uitij ex priori lateat delicto, uel si delictū pro noxa aliqua uitæ prioris nondū purgata capiamus. Neq; enim à dijs inqui.) Præmia cōferri iustis à Deo, confirmat prouidentiæ ratio: quæ si nea esset, nec cura etiam factorū esset ulla. Quod aūt sit prouidentia, constantissime Plato in Timæo, ac lib. 10. de Legibus affirmat. Apud homines aūt nónne.) Ad finem uitæ proposita singulorum factorum præmia, eleganti similitudine Olympici ludi ostendit. Sustinebis ne, ut ego.) Nunquā posse ait iniustos usque adeò uitium dissimulare suū, ut non aliquādo detegantur. ideoq; concludit, iniustis ea nunquā, iustis aūt semper dari. Ipse cōmemorabas.) id est, Illa incommoda omnia, quæ tu iustis tribuebas, iniustis potius accidunt. At enim hæc & numero.) id est, Quanq; sat magnū præmiū est ipsa uirtus, tamen est aliud eo præstantius, q, post hanc uitam præmia æterna, suppliciaq; proposita huc migrantibus sint. Vt iam nimis.) id est, Quicquid dicas, adeo mihi erit gratū, ut longū uideri nequeat. Equidem tibi non Alcyni.) Historiam, seu fabulam quandā de Ero milite reuiuiscente narrat, ut in exemplo pœnarū præmiorūq; ratio cernatur, & plus in hoc testimonio habeat autoritatis sententia. Duos terra hiatus.) Ad duplicem uitū animorū cursum, de quo prima in Phædone, Gorgia, & Apologia, alludit. In aduersa parte signa.) In Timæo Plato ait, bonorū animos ad cōsimile sibi astrū

euehi post hanc uitam, deosq; fieri. idipsum quoq; in hoc loco innuit. Cum uerò ad iud.) Hæc omnia parenthesi circumscribenda sunt, usq; ad eum locum, Viderat igitur.) ut in narrationis huius cõfirmationem dicta putentur. Macie confectas.) id est, contagione corporea, utpote quæ à corporibus ita affectæ euolarint. Summam uerò hanc.) Ad ipsum narrationis scopum uenit: id est, ut docet, præmia pœnasq; post hanc uitam animis esse propositas. Vbi nam Ardens.) Huius impietatem notat quoq; in Gorgia, quapropter ab Athenæo Plato acerrimè carpitur. Cum uerò animæ illi.) Hactenus genus, formam, gradusq; suppliciorum descripsit: nunc idem de præmijs docere uult. Lumen tanquam columna.) Simile est hoc illi columnæ, quæ prælucebat Iudæis Aegypto excedentibus. Esse enim lumen.) Hæc quoq; uerba circumscribe parenthesi, usque ad illa, Qualis apud nos cernitur) In his enim cœlestem regionem describit, eodem ferè modo quo in Phædone. Ait autem, cœlum lumine colligatum esse, quòd ex ignea natura, & lucida, ut in Timæo dicitur, tanquam firma constet. Animaduertendum tamen ex illius.) Cœli figuram globosam (id enim appellat uerticulum) octo globos intra unam illam extimam eius superficiem conclusos, mobilitatem, axis seu fusi per media traiecti, & utrinq; polum attingentis imaginem, aliquam denique eius descriptionem depingit. Octo enim illa uerticula.) Verticula globos appellat, quòd cõuertantur in orbem. singulos uerò globos supernè ait labia ostendere: id est, ut ego quidẽ puto, superficiem extimam habere coniunctam superficiei superiorum globorum: deorsum uerò circa fusum habere cõtinuitatem suam minorem: id est, circa axem ipsum non habere tantam crassitiem, quanta sit in remotiori parte globi eiusdem. quemadmodum in ouo cernimus, eam partem albuginis quæ supernè uitellũ obtegit, tenuem esse, inferiorem uerò crassiorem. Primum igitur, extimumq; uerticulum.) Cælestium globorum, quorum suprà communem quandam descriptionem proposuit, motus, horumq; proportionẽ, concentumq; indicat, ut tota cœlestis patriæ forma melius intelligatur. Hanc itaque rationem & magnitudinis & motuum esse inter globos ait cœlestes, ut octauum cœlum, siue extimum (neq; enim Plato, aut Aristoteles, plures quàm octo esse globos putauit) amplissimum omnium sit reliquorum, quòd à centro longissimè absit: itaq; extremum ipsum cœlum, quod fusum dicitur, item ut axis uniuersum traijciens reliquos interiores globos complectatur, tanquam ijs amplius et capacius Idem porrò cœlum sexti cœli secundum habere dicitur, quòd proportione quadã sit amplius secunda parte sexti: itemq; ipsum tertiũ, id est, tertiam partem habere quarti, & octaui quartam, & quintam septimi, & sextam quinti, & septimã tertij, & octauã secundi. Hoc modo in octo cœlis octo interualla inquirit Plato, ut ex ijs concentũ efficiat, musicum, Pythagoreorũ sententia. Atqui hanc proportionum rationem, quam octauum cœlum cum reliquis inferiorib. globis habere dicitur, ad magnitudinem & capacitatem eorũ referendam puto, nõ ad motum. nam & huius ratio paulo pòst explicatur: itaq; dicit Plato, octauum cœlũ secundũ, ac sibi proximũ octaua sui parte superare, tertiũ septima, quartum octaua, quintum sexta, sextũ secunda, septimũ quinta, octauũ secunda. Atq; hanc seriem à nobis hic positam tu intellige, descendendo ab eodem octauo cœlo ad lunæ globum. nam ille progressus à Platone positus, alternatus est, dum octauum cœlum cõparatur, primùm cum sexto, deinde cum tertio, mox cum quarto, pòst cum octauo, item cũ septimo, dein cum quinto, postmodum cum tertio, mox cum secundo. ut intelligas, idem ipsum eandem cum reliquis habere proportionem, quam reliqui habeant inter se: ut in hac figura à nobis descripta cerni potest, in qua numerus cœlorum positus, proportionem ipsam inter se ostendat: unitas enim prima octauum cœlum, binarius secundum, eodemq; modo reliqui numeri reliquos cœlos significant.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8

En uides unitatẽ conferri cõsequenter in inferiori parte figuræ, quod idem est ac si octauũ cœlum cũ reliquis conferatur. in superiori uerò cernis, numeros ipsos inter se alternatim cõparari, alternosq; numeros esse pares, alternos uerò impares, ut cõiuncti omnes efficiãt concentũ: è quibus etiã alij efficiunt, cũ alijs collati, duplam proportionẽ, alij sesquialteram ut unitas cum binario, binarius cum quaternario, ternarius cum senario, quaternarius cum octonario duplam habent recto ordine rationem: sesquialteram uerò conuerso ordine septenariũ cum quinario, quinarium cum ternario, ternariũ cum binario. Hanc igitur ego numerorum rationem magnitudini cœlestium globorũ à Platone ascriptam puto, quòd eam inter se habeant illi proportionem, quam diximus, quę que musicæ concentui sit aptissima, ut postea indicabimus, quum ad proportionem motuum cœlestium sit uentum. Nam proportio motus talis est, qualis magnitudo corporum motorum: quòd tantum quidque sonum edat, quantum sit ipsum. Prim autem uerticuli.) Primi cœli uarietatem hanc

ad

a stellarum fixarum multiplicem colorem puto referendam. Quo uerò pacto septimum cœlum siue Saturni lucidiß.mũ sit, ab eoq; octauum ipsum lucem accipiat, nõ intelligo, nisi allegorijs uti placeat: quo nihil iudico leuius, aut puerilius, cum isto modo uel absurdissima quæq; defendere, ac pro certis uerisq; asserere liceat. Octaui aũt uerticuli circulũ.) Motu, proportioneq; magnitudini cœli expositis, ad colores siderum illis globis infixorum demonstrandos transit, quòd id ad notitiam pleniorem multum pertineat. At uerò, globos ipsos à se inuicem lumen accipere, nimirum quia ex supremo cœlo tanquã supremæ lucis sede cœli omnes illustrentur. Ac fusum quidem totum.) Fusum totũ hic uocare uidetur uniuersum cœlum unà cum axe suo traiecto: idem'q; simili conuersione cieri ait, quòd motus raptus primi cœli, qui omnes cœlos unà conuertit, idẽ semper sit, ac sui similis: septem uerò interiores globi cõtrario motu tardius conuersi, quòd proprijs motibus contra illius primi impulsum ab occasu in ortũ moueantur tardius: uidelicet, quia primũ cœlum, seu uniuersum, 24 horis mouetur: reliqui uerò interiores tũ tardius, tum celerius. De hoc duplici cœli motu in Timæi cõmentarijs non pauca retulimus. Ex his planè octauum.) Proportionẽ cœlestis motus ostendit, quando suprà magnitudinis ratio tantum proposita est, & cum hic motus quandam inter se, ut Pythagorici uolebant, musicam efficiant: octauum itaq; rapidissimum esse ait, quòd 24 horis conuertatur: secundos uerò, ut septimum, sextum, quintumq; globũ consequẽter agitari, id est, proportione quadam inter se seruata. nam septimus, siue Saturnus 30 annis: sextus id est, Mars, 12. quintus seu Iupiter, 6 conuertitur. hos uocat secundos, quòd proximi octauo cœlo sint. Tali uerò tertium.) Tertium cœlum, id est, Veneris circulum uoluere quartum, id est, Mercurij globum, inquit. siquidem solem Plato secundo loco post lunam statuit: deinde quartum ipsum motu suo impellere, seu circumuoluere ipsum tertium, itemq; quintum ciere secundum. Sed ecquænam isthæc cœlestis motus proportio est à Platone posita? Ea Pythagorica omnino est, & concentui musico efficiendo accõmodata: quẽadmodũ uel ex Ciceronis Somnio, quod totum hinc est desumptum, colligi potest. Ita cum cœli ipsi moueri finguntur à Platonicis & Pythagoricis, ut octachordon efficiãt: eadem motus proportione distincti, qua ipsum octachordũ interuallis. siquidem musicæ sonus non sine motu fit, ut suprà dictum est: nec cœli motus sine musica, ex Platonis sententia. Sed huius nos cõcentus formam ipso in octachordo subijciamus, ut inde motuum proportio & concentus facilius noscatur.

Fusum uerò in Necessitatis.) Vniuerso cœlo præterea Necessitatem præsidere ait, quasi fatorum matrem, quòd necessaria quadam naturæ ui cœlum conuertatur: deinde unicuiq; circulo unam inesse Sirenem, q. ueluti cantus quidã & harmonia ex singulis motib. procedat: totusq; cœli motus, ut Pythagorici uolunt,

uolunt, unum efficiat musicũ concentum. Ponit deinde æquè distantibus inter se spacijs Parcas, tempora ex cœli motu hominibus præfinientes, ut ex cœli motu omnia corporea quasi pendere doceat. Vbi illicò propheta.) Prophetam quendam tanquã mentium prouidentiæ inducit loquentem prosopopœia quadam, quali est usus in Timæo ad deos iuniores, ut omnem rationem fatorum animis propositorum denunciet. Nos dæmon sortietur.) Spontè deligi dæmonem proprium ait, quòd talis sit quisque, qualis esse uelit. Hac de re plura in Timæi cõmentarijs. Neq; licet cupiã.) Sortitionẽ fatorum, de qua in Timæo multa dicuntur, ex effectu nosci hic ait:q; prouidentiam, nisi ex signis, non noscamus. Omnium animalium uitas.) Homines similem uitam brutorũ in multis ait degere, propter similitudinem morum, ac propter cõmunem animorum naturã: ut in Phædone, locisq; alijs est dictum. Quamobrem omni studio.) Propositis præmijs, pœnisq; alterius uitæ, ad uirtutem Plato exhortatur omnes: obiterq; uitæ genus optimũ describit, ut bona spe quisq; migrare hinc possit, quod in Apologia de se Socrates inquit. Mediam istorũ omniũ uitæ med.) Hanc nõ solũ philosophi plurimum cõmendant, sed poetæ quoq, non semel, ut Horatius, qui eam aureã appellat. Enimuero qui tunc redijt.) Aliam superioris narrationis partem enumerat, eò pertinentem, ut moneat, optimum uitæ genus esse deligendum: & quódnam illud ipsum sit, quando ad idem exhortari uo... Electionem noxiam deplorantem.) Turpis ... sequitur pœnitẽtia, ut benefacta delectatio. Quam ob causam.) Incõmoda prauæ præposteræq; ... endi electionis complectitur paucis: dein optimã esse illam uiuendi rationem inquit, quam philosophi sequuntur, amplectanturq; sorte oblatã, in illo descensu animorum ad corpora: quod & in Phædone pluribus docetur. Hinc digressus, migrationem animorum in diuersa corpora non solũ tuetur Plato apertè, sed exemplis etiam confirmat: ne quis allegoricè dici hæc putet, ut in Phædonis commentarijs retulimus. Quæ deinceps adduntur, ad formam, qua animi in diuersa corpora cõmigrent, ac remigrent, pertinent: siquidem ea de re cœptum est agi. Cuius aquam uas nullum.) Alludit ad Amelitæ insulæ etymologiam: quasi dicat, ubi negligentia sit, ne uas quidẽ esse ullum seu receptaculum formarũ, quòd obliuio nuda sit formis omnibus. qua etiam de causa campũ illum arborib. esse ait uacuum, id est rerum formis, quas possit memoria retinere, percipere uc. Hac narratione & finis libro imponitur, & breuis quædam ad uitæ probitatem exhortatio additur.

Tandem commentationis nostræ finem fecimus, Præsul clarissime: atq; illa Platonicorũ quorundam morosa, prolixaq; allegoriarum interpretatione omissa, simplici Platonicæ sententiæ cognitione contenti fuimus.

Annotationum SEBASTIANI FOXII in Platonis libros X. de Republica, FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN PLATONIS DE REPVBLICA LIBRIS, ET SEB. Foxij in eosdem Commentarijs memorabilium Index.

Achillis auaritia 91.40 qualē depingant poetæ 88.47
actionē minus quàm sermonem ueritatem attingere 207.40
adesse uiro, prouerbium 54.3
Adimantus 1.45
adolescentis generosi ad generosi canis naturam comparatio 67.3
cum Adolescentibus amatis quomodo uersandum 105.37
adulari nescit uir bonus 368.2
adulatores 169.36
adulatorum uis ad tyrannidem augendam 367.33
in Aduersis quid agendum 385.23
æneum genus 211.26
ægrotanti medicus uerus prodesse studet 18.37
æqualitas ex ciuium tranquillitate nata 34.24
Æsculapius Apollinis F. 111.7
item 231.2
Æsculapij filij medici 379.38 eusdē successores 108.22
Æsculapij tempore qualia remedia morborum 130.18
ætas ad procreationem apta 194.20 & 219.43
affectus unde proficiscantur 367.25
affectibus sine uiuere neminem 407.40
Agamemnonis somnium 76.8
agere neminem simul plura posse 257.46
agrestis dominus 364.9
agriculturæ utilitas 8.6 & 36.6
agrorum populatio prohibita 223.4
Alcyni apologus 395.48
alteratio quid 341.29
amare bonos & utiles decet 9.33
amatoria necessitas 192.6
ambitio probro est 23.42
ambitiosa potentia 309.38
ambitiosus qualiter efficiatur 313.51 & 314.6
ambitiosorum natura 209.46
Amelita flumen 403.26
Anacharsis Scytha 380.19
ἀναλυτικὴ quid 122.48
amici dij qui 404.24
amici qui 37.12
amici tyranni 333.3 & 23
amici tyranno nulli 349.12
amicorum omnia communia 141.37 & 158.5
in Amicis eligendis error 23.15
amicitiam parit iustitia 28.52
amicitiam ueram nunquā gustare tyrannicum 349.14
amor cur tyrannus dictus 346.17
amor rectus pulchrū natura amat 105.27
amore capti cæco 209.21
anima soluta à corpore, quò discedat secundum quosdam 87.37
anima in quo consideranda 393.20
animæ nulla disciplina uiolenta, stabilis 291.38
animæ partes 254.13
animæ præmium iusticia 393.49
animæ species quinq. 180.24
animæ uirtus iusticia 31.21
animi ī curare corpus 111.39 esse immortalem 404.19 unde probet 390.1
animam quid prauam faciat 390.40
animam semper esse, ergo immortalē 391.23
animam unam, non tres esse 154.41 & 174.29
in Anima tres species 249.1
animarum pœnæ 397.1
animus ad patientiam assuefaciendus 385.28
animus bene affectus, corpus optimū reddit, non contrà 106.5
animus hominum uolubilis 6.1
animus hostis 222.50
animus quid 409.36
animus seruus quis 351.2
animus tyrannici 349.2 tyrannicus 368.45 qualiter affectus 351.2 & 369.16
animi ad rempub. comparatio 170.37
animi affectionem oratio sequitur 102.39
animi immortalitas unde prob. tur 408.45
animi natura 253.35
animi nostri uis duplex 406.53 & 407.6
animi partes duæ 174.46 & 407.44
animi quies aurea 370.25
animi status in corpore 409.55 mediis 370.22 & 32
animi tranquillitatē quid pariat 180.28
animi uires tres 174.10 & 176.15 & 177.12 & 369.39
animi uoluptates præstantiores corporis uoluptatibus 371.8
animo nullam commotionem nocere 409.6
animum nostrum uarijs ex animalibus compositum 407.38
animum per se existere 409.38
animū qui habet bonum, bonus iudex est 112.19
animum solum esse hominem, Platonicorum sententia 222.52
in Animo nostro uim diuinandi inesse 367.2
animorum ab æterno numerū fuisse, certa Platonis sententia 409.32
de Animorum duplici cursu 410.54
de Animorum immortalitate 373.53
animorum migrationē in diuersa corpora confirmat 416.10
animos bonorum ad consimile astrum trahi 410.57
animos hominum quid conciliet magis 103.40
animos oriri necesse 409.29
anni quatuor tempora 81.24
annorum mille iter 404.28
annulus Gygis 51.2
appetitiones regiæ 361.30
Apollinis Delphici instituta 145.5
Apollinis instrumenta 101.27
aquam cribro ferre 55.1
Arcadiæ fabula 331.7
architecturæ artis effectus 23.5
Ardiens tyrannus 397.24
argenteum genus 311.26
argumentandi artis utilitas 303.23
artem omnem suum habere subiectū 175.46
artem tantum unam ab uno exerceri debere 82.51
ariolorum imposturæ 55.28
aristocratia 307.6 & 308.26 & 335.10
aristocratiæ in oligarchiam degeneratio 337.45
Aristonymus 2.50
arithmetica 299.30 circa quæ uersetur 300.33.41
arithmeticæ utilitas præcipua 301.3
arithmeticorum argumentandi cōsuetudo 255.26
ars contradictoria facilis 186.41
ars cui præsit & dominetur 18.30

Dd ars

ars omnis subiecti sui utilitatem inquirit 40.25.36
ars perfecta non errat 40.24
ars quælibet utilitatem habet propriã 22.43
ars quid 40.23
artis cuiusq; scopus 17.41
artes ad quid inuentæ 40.18
artes germanæ 256.10
artes plures unum bene exercere impossibile 66.10
artes singulas definitum habere subiectum 40.8 & 41.42
artes tres circa quodcunq; 382.8
artium inter se unde differentia 42.27
artifex omnis ab artis peritia nomen habet 40.13
artifices, quibus indiget ciuitas 61.20
artifices unde fiant deteriores 139.10 & 166.4
astrologiæ cur musicam iungat Plato 302.47
assentationis natura 364.40
astrologiæ duplex usus 302.43
astrõomia 281.32 eius utilitas 281.34
Atheniensium bellaria 129.38
athletæ qui, uictusq; ipsorũ ratio 106.24.44
athletica unde noxia 129.5
Atropos 399.28 & 403.18
Attica bellaria 107.17
auari hominis descriptio 338.37 natura 355.10
auaritia probro est 23.42
auaritia summũ animi uitium 122.46
auaritiæ exemplũ 154.35 & 174.23
auarum genus 354.28
auditus potentia 252.26
aui qui 195.20
aureum genus 311.25
aurigarum mores 41.40
Autolycus Vlyssis auus 9.18
auxiliarij principes uocandi 195.50

B

Balnei custos 20.47 & 41.35
beatus quis 31.26 & 353.47
beatorum insulæ 295.29
de Beatorum præmijs Pindarus 5.48 & 34.4
bellaria Attica 107.17
bellaria ciuium Platonicæ ciuitatis 64.26
bellum aduersus exteros geri 223.8
bellum etiam à fœminis tractandum 221.40
bellum gigantum 70.45
bellum intestinum 274.23
bellum quid pariat 311.27
belli & seditionis discrimen 123.8
ad Bellum quomodo formandi pueri 201.3 & sequent.
beneficium locare 21.15
boni uiri in iudice requiruntur 132.3
bonitatem in uoluntate nasci 259.1
bonum commune partium bono præferendum 221.30
bonum duplex 75.48
bonũ ipsum idẽ esse semper 214.47
bonum quid 75.46 unde cognoscatur 264.53
boni autor Deus 84.34
boni filius 253.18
boni gratia omnia facta 297.32
boni idea quæ 250.4 & 153.47
bonum omnes appetere 275.17
bonum una ratione bonũ esse 179.32
bonorum Deus bonus causa 71.33 & 52.73
bona quæ à dijs conferantur bonis 54.24
bonorum communitas 180.47
in Bonorum constitutionibus quanta uarietas 263.21
ex Bonorum diuisione quanta incommoda 220.55
bonus & sapiens iustus 27.33
bonus iudex quis 112.19
bonus modestus 15.27
bonus non inuidet bonis 44.50
boni non est lædere 11.1
boni homines contemptus causa probi uocantur 44.9
boni ijdem & iusti 9.43 & 12.2
bonorum apud inferos status 54.41
bonos cur Deus amet 410.25
bonos & utiles amare decet 9.33

C

Caluities ciuitatis extrema 151.1
campus Lethes 403.22
canis generosi ad generosi adolescentis naturam comparatio 67.3
canis generosi natura 67.51 et 68.10
per Canẽ iurat Socrates 101.31 et 333.13 & 366.34
de cantus & melodiæ ratione 99.48
carminis usus 408.24
carmina ex poesi quæ admittenda 38.16
catellæ perinde ac heræ 328.43
in Catone uerba ex Platone imitatus Cicero 32.36
caupones qui 63.31
causas per affectus cognosci 163.43
Cephalus 1.6. Polemarchi pater 1.35 & 3.10
cibi ciuium Platonicæ ciuitatis 64.7
cibi qui militibus commodiores 106.48
cibi usus duplici de causa necessarius 324.14
Cicero disputationem de senectute imitatus 3.4 & 32.36
circulorum ambitum quid uocet 310.26 & 33.62
circulorum cœli inter se connexio 398.46
circumueniendus nemo 6.9
cithara in ciuitate utilis 101.23 & apta 126.38
ciuilis potentia & philosophia concurrunt 105.23
ciuilis uitæ communio in quo cernatur 82.1
ciues, ciuitatis partes 133.21
ciues quales, talis respub. 223.4 & 335.33
ciues quibus indiget ciuitas 61.20
ciues usibus uitæ humanæ apti 81.1
ciuium genera, gradus & cõditio 47.20 & 81.17 & 81.32 & 173.8
ciuium talis uita, qualis gubernatio 322.10
ciuitas quæ beatior, aut miserior 350.5
ciuitas quid 61.6
ciuitas regi uel tyranno parens, quomodo se habeat 349.42
ciuitas talis, quales ciues 174.1
ciuitas triplicater diuisa 354.9
ciuitas tyrannica cum tyranno collata 368.41
ciuitas tyrannica quali in statu 351.3
ciuitas una quæ 180.36
ciuitas unde constituitur 60.48 unde fit una & robusta fit 167.12 unde iusta aut iniusta dicatur 17.55
ciuitatis condendæ quæ causæ 81.6
ciuitatis custos qualis esse debeat 83.38
ciuitatis diuisio unde 167.17 finis 165.36 origo 47.20
ciuitatis iustitia 80.52
ciuitatis partes quæ 81.47 & 133.21
ciuitatis finis 119.8 & 135.21 terminus 142.1
ciuitatem quid diuidat, aut uniat 195.40 quid efficiat 61.12
ciuitatem turbare prodigos et ociosos 329.37
in Ciuitate bene instituta imitatio poetica non recipienda 386.8 suum cuiq; opus assignatum 109.8
in Ciuitate ex poesi quid admittendũ 388.21
Charmetis Pæanicus 2.49
Charondas 380.7
claudicatio in animo 305.15
claudus quis 290.27
Clitiphon Aristonymi filius 2.50
Clotho 399.28 & 402.14
cœlum Saturni septimum 413.2
cœli figura qualis 411.23
cœli uerticula 398.40
cœlorum distributio 411.44

cogitatio quid 211.38 circa quæ uersetur 212.13
cogitatio quid 211.38
cogitationis omnis nostræ ortus. 409.46
ad Cognoscendum quid opus. 297.5
columna Iudæos præcedens 421.15
columna luminis 398.16
commercium quid 8.13. & 36.12
communes liberi 190.46
communia amicorum omnia. 141.37. & 168.5.
communia omnia inter custodes ciuitatis. 120.6 & 136.5. & 166.25
communio & bonorũ & malorum 195.50. & 180.47
communio mulierum & liberorum. 195.30. et 197.50
communitatis bonum 198.20
commutatiua iustitia 36.18
commutationis ciuilis instrumentum pecunia 36.23
comœdia 95.24. & 124.5
computandi scientia circa quæ uersetur 278.47
concionatoria sapientia 57.1
concordiam ciuiũ quid pariat & conseruet 220.20.51. & 28.52
concupiscibilis uis 354.20
confusio à Pandora facta 72.15
congressus nuptialis 193.6. & 219.7
connubialia præcepta 219.11
consilia & actiones hostium furari. 9.10
continentia temperantiæ pars 122.37
continentiam quomodo iuuenes consequantur 914.28
contradictoriæ artis generosa potentia 186.41
contrarium esse quid 217.14
contraria contrariis cognosci. 258.50
contumaciæ uis 364.32
conuiuia publica inter custodes. 120.16. & 136.21
cor nutrit spes bona 5.50
coriaria ad quid utilis. 8.9.10. et 36.7
Corinthius luxus. 107.13. & 129.38
coronare bona 99.36
corpus ab animo curari. 131.36. & 111.39
corpus animi instrumentum atq; uehiculum 128.49
corpus cur nutriendum 366.7
corpus quid optimum faciat 106.5
corporis exercitatio quàm utilis 40.128
corporis humani ad ciuitatem comparatio 196.14. & 198.1
corporis tẽperantia ex Galeno. 179.4
corporis uitium 390.48
à Corpore uitia contrahi 409.6
Creophilus 380.32
Cretensis respub. 308.26.
Cretenses nudi certabant 185.10
cribro aquam ferre 55.1
cupiditas rationis circa quæ uersetur 369.44
cupiditas simiam repræsentat 374.2
cupiditatis nimiæ exemplum. 154.35. & 174.23
cupiditates ciuium tyrannidis causam esse 367.5
cupiditates diuersæ tres 369.40
cupiditates duplices. 339.52. et 172.7
cupiditates mediæ. 345.41. & 346.2
necessariæ, & contrà 323.48
cupiditates tyrannicæ 361.27
cupiditatũ feritas. 343.44. & 345.7
curæ in senibus quæ 5.30
curiositas quale uitium 224.37
custos ciuitatis qualis esse debeat. 83.38. & 96.33
custos, & miles & philosophus sit. 279.1
custos maximè ebrietatẽ fugiat. 106.17
custodis nomen quomodo sumatur. 262.28
custodes ciuitatis qui eligendi. 115.37. & 117.17
inter Custodes cõmunia omnia. 120.6. & 136.5.17
custodes inter se agitent publica conuiuia 120.16. & 136.21
custodes non decent uiolentia, mollities pigritia 100.24
custodes pecunia careant. 120.20. & 136.26
custodes cur dicantur principes. 117.29
custodes seu præfecti ciuitatis, quales esse debeant 47.22
custodum ciuitatis delectus. 66.49. institutio. 47.23 mercedes. 307.23. officia quatuor. 120.5. & 136.17
custodum nomine qui intelligantur. 133.22
custodibus præcepta tradita. 167.43

D

Dactylus 127.8
dæmon Socratis. 240.53. & 260.18
dæmonis electio animab. libera. 399.47
dæmonum cultus 145.9
dæmonas & bonos & malos esse. 86.22
Damõ de rhythmis. 126.50. et 127.12
debitum quid 7.23. et 116.36
defunctis purgationẽ scelerum per sacrificia fieri 56.12
democratia. 180.13.20. & 307.6. et 308.30. & 335.12. quid commodi habeat 339.31
democratia trifariã distincta. 341.45
democratiæ ortus 338.57.
in Democratia summa libertas. 341.5.29
demonstrationis scientia 256.30
depositum an insano reddendum. 6.4. & 22.50. & 34.50
Deus bonus, boniq; autor 84.34
Deus in natura existens 377.15
Deus non mutatur 75.27
Deus patrum 145.16 & 170.4
Deus qualis est, talis describendus. 71.30
Deus sol 253.9
Deus uerax & simplex 75.26
Dei absq; ope neminem rectè facere. 259.30
Dei speciem quid appellauerit Homerus 246.9
Deo nihil turpe adscribendum. 84.50
Deum bonũ & causam boni esse. 72.33.52. & 73.2
Deum, eam uult domum subuertere, causam non præbere 72.22
Deum esse mundi autorẽ. 404.49. immutabilem esse. 85.3. non esse cuiquam malorum causam. 72.28. non mutari 73.34
Deum nunquã quicquam latere. 79.18
Deum precib. muneribusq; flecti. 55.47. & 57.1
de Deo bene sentiendum. 47.25. & 84.11
dij exorabiles, conuertibilesq;. 55.50. & 57.29. iusti 29.31. immutabiles 74.19
deorum cultus à quo institutus. 145.8
deorum filij & prophetæ, poetæ. 57.31
deorum genera quatuor 86.22
deorum pugnæ 71.5
dijs amici & inimici. 29.32. et 404.24
deos fieri animos bonorum 411.1
deos latẽre aut cogere impossibile. 57.5
deos precib. flecti 78.47. & 79.27.
deos quales inducat Homerus 89.8
deos quosdam noctè uagari 85.37
deos suos quamq; regionẽ habere, putat Plato 170.4
à Dijs mala non prouenire 92.40
Dialectica ars quæ. 304.8. caput finisq; doctrinarum. 289.31. metaphysicæ pars 260.48. qua ætate capessenda. 292.30. & 294.10
Dialectica quid 286.26.40. eius officium. 288.9. uis & utilitas. 203.27

dialecticam metaphysicam uocari. 204.29
ad Dialecticã quales asciscendi. 294.41
dialecticus quis 288.47. & 292.23
diapason 130.25. & 173.28
dictis monere 21.36
differre quid 217.14
dimidium plus toto 100.31
discendum ab expertis 3.23
disciplina boni idea maxima 250.4
disciplina nulli animæ uiolenta, stabilis 291.38
disciplina militaris. 202.10. & seq. 222.11
disciplinæ corruptæ mala 107.36
discordiam ciuium quid pariat. 220.20
disciplinæ quæ amplectendæ, quæ nõ. 366 3
dissimilitudinis mala 311.27
distillatio nouum nom morbi nomen 108.23
diuinum excipere 235.7
diuisio omnis unde fieri debeat 42.25
diuites uerè qui 274.15
diuitiæ, uide Opes
diuitiæ corruptionis causæ 166 35
ubi Diuitiæ honorantur, temperantia non est 320.30
diuitiarum honos quanta pernicies. 315 38 & 320.3
diuites tantum laudant diuites 5.20
diuitibus multa solatia adesse 4.32
docendi modus 291 31
à Docto ignorans discat 13.21
doctrina maxima quæ 248.47
ad Doctrinam ordine ina... cõducere 305 4
doli... obliquas ingredi 56.28
dolia Iouis plena sortibus 72.7
domitus agrestis 364.9
domini qui 196.46
Doricam musicam cur damnet. 126.21
dubitatio causa inquisitionis 300.28
duodenarij numeri exemplum 12.35. & 38.5

E

Ebrietas æterna. 54.46. & 78.47
educatio mala quàm perniciosa. 235.45. & 239.22
educationis malæ indicia 107.3
egestas ciuitatis condendæ prima causa 81.7
equitare consuescant pueri. 202.10. & 222.6
equorum cursu facibusq; in honorem Mineruæ certabant 2.30
Eri Armenij fabula. 395.50. et 410.15
eruditio iuuentutis in primis curanda. 341.30. 42
Eryphile 364.25
Euthydemus 2.47
exercitatio corporis 118.40
exercitationis quãdo suscipiẽdæ. 128.53
de Exercitationum forma et usu. 129.10
expiationes, Teletæ 56.13

F

Fabulæ de Deo non fingendæ. 84.50. & 85.20. & 86.15
fabula de inferis 5.32. & 33.53
fabulæ maiores & minores 48.19 & 69.46
fabulæ quæ pueris tradendæ. 71.14. & 60.18. & 74.13
fabulas primùm pueris tradi 83.45
familiaritas lucro deditorum difficilis 5.19
fatorum sortes 399.42.49
ferreum genus 311.26
filij communes 190.46
filij qui 195.12
filiorum institutio. 193.42. et seq. procreationes 141.36
fistula quibus accommoda. 101.24. et uitæ apta 126 38
f... domum ... 334 36
... 262 9
fœminæ unde cum uiris certãtes. 184.37
fœminæ qua ætate ad generandum aptæ 194.20 & 219.43
fœminis bellum etiam tractandum 221.40
fœminis & uiris reipublicæ munera communia. 295.36. & 206.44. et 180.47. & 216.30. & 317.20
fœminas Germanorum in bellum proficisci 218.8
formam cuiq; rei perfectam esse. 403.41. & inanit. 263.49
fortis quis. 27.9. & 161.35. unde dicatur 177.37
fortis uiri munus 121 41.53
fortitudo duplex. 171.35. media inter molliciem & ferocitatem. 132.30
fortitudo quid, et circa quæ uersetur. 170.54. & 147.29. & 148.23
fortitudinis partes. 83.22. subiectum. 121.7. uis et officium 177.29
fortitudini iracundia adiuncta 83.17
fratres qui 195.20
fuci apum 317.20
funera defunctorum à quo instituta. 145.10
fures unde nominentur 20.24
furtum antiquis in honore, 9.15. & 36.54
fusus deæ Necessitatis. 398.27.43. & 413.13

G

Generatio qualis procurãda. 102.29.
generationi ætates aptæ. 194.20. & 219 43
genitum omne, corruptioni obnoxiũ. 310.10
genus aureum, argenteũ, &c. 311.24
geometria. 280.33. quid, et cur discenda. 281.5. circa quæ uersetur. 282.41
geometriæ utilitas 280.23
germanæ artes 256.10
gigantum bellum 70.45
Glauco 1.45
gloria omnes ad studia accendi 337.56
Græci iuuenum amatores 80.20
gubernatio optimatum. 166.7. popularis. 308.30. & 320.12. et 322.2
gubernatio reipub. quibus committenda 227.22
gubernator cur nauclerus uocetur. 17.34
gubernator nauis quis, et eius officiũ. 17.29. et 18.44
Gygis annulus 50.41. & 77.33. & 393.51
gymnastica. 69.8. duplex. 129.2. circa quæ uersetur 275.13
gymnasticæ usus 113.6. & seq.
gymnastica exercendi iuuenes. 105.52

H

Harmoniæ aptæ genera. 126.26. terminim tres 163.13
harmoniam & rhythmum, orationem sequi debere 100.14
harmoniæ molles & temulentæ quæ 100.26
harmoniæ querulæ 100.18
de Helenæ imagine Troianos decertasse 360.37
Heraclitus sol 242.49
Herodicus gymnasticus & medicus. 108.40
Homerus dux tragicorum 375.24. 377 48
Homerus quales inducat deos 89.8.45
hominem simul plura agere non posse 257.46
homines apti cuiq; muneri adhibeantur 82.7
hominum mores sibi causa malorum. 4.20
hostiũ consilia et actiones furari. 9.10
honestos quæ 76.40. secundum genus boni 76.35
honestum utile 190.27. & 218.12
honos alit artes 337.55
honores ad studia ducere 315.41

honores

honores qui spernant 274.27
hostis animus 222.50
Hydræ capita amputare 144.45 & 169.44
hymni in deos, an in ciuitate admittendæ 388.11
hymni nuptiales 193.22
hypotheseon usus 266.34

I

Iambus 127.10
Idea boni 250.4 & 153.47 & 413.43 & 404.32
ideam diuinam unam esse & æternã 404.44
ignoranti pœna quæ conueniat. 13.20
ignorantia quid 45.53 & 319.14
ignorantiæ species 267.19 & 295.42 & 303.35 & 306.28
ignoratio circa quæ 212.14
imagines 154.46
imitari plura nemo bene potest 96.20.30
imitandum quid custodibus 96.40
imitatio flebilis 386.30 & 387.30
imitatio poetica, eadem quæ pictoris 385.52 & 386.1
imitatio quid 94.31 & 375.32
quantum à ueritate distet 383.5
imitationem iocum esse potius, quàm rem seriam 382.51
imitationem nullius esse scientiæ 406.56
imitationes turpes fugiendæ 96.40
imitatricia orationis forma 124.3
imitator ignarus rei 181.46 et 382.31
imitator proculà uero 377.20
imitator quis 377.13.47
imperandi ratio ars ciuilis 42.50
ad imperandum sponte accedere turpe 24.2
imperare est commodũ dare 43.42
imperare qua de causa uelint boni uiri 23.50
imperare qui debeant 115.26
quod imperat in ciuitate, est potentius 14.20
imperatoris officium 42.23.50
imperatorem nihil iniustè præcipere 39.45
imperium ambitiosum unde nascatur 309.50
imperij iusti & tyrannidis discrimen 134.38
impietas summũ animi uiciũ. 122.47
imprudentia quid, & unde nascatur 177.57
Inachi f. l. filij 74.10
indigentia quæ maxima 61.15
de inferis fabulæ 5.32 & 33.53
qualiter persuasæ esse debeãt. 87.14
apud inferos malos pœnas daturos 57.24
de inferis opiniones uariæ 87.26
apud inferos quis status bonorum & malorum 54.41
ingenium exile 219.38
inimici qui 37.13
inimicitiæ unde 311.28
iniquissimus idem qui & miserrimus 349.31
iniuriam pati melius esse, quàm facere 77.17
iniusticia quæ pariat mala 96.3
iniusticia quid 178.56 & 179.20
iniusticia seditiões et inimicitias parit 28.50 uitium animæ 31.22 unde nascatur 179.9
iniusticiæ uis & effectus 29.3
iniustus dijs inimicus 29.32 miser 31.26
inopia. Vide Paupertas
an insano depositum reddendum 6.22 & 50.34.50
insani non imitandi 97.23
insipientia quid 177.55
insolentiæ uis 364.32
institutionis bonæ utilitas 168.21.45
insula beatorum 295.29
intelligere nos rem quãcunq; triplici modo 370.1
intemperantia cur uocata 364.28
intemperantiæ mala 129.50
interrogare facilius quàm respondere 11.47
ioci quibus assuefacienda iuuentus 142.33 & 168.38
Ionicæ harmoniæ 100.27
ira inexpugnabilis, iniusta 67.16
præceps 114.10
ira à ratione diuersa 176.51 177.2
iracundia fortitudini adiunctã.83.17
iracundia in pueris quale signum 176.53
iracundia leonem repræsentat 374.2
iracundæ cupiditas circa quæ uersetur 369.42
iracundiæ exemplũ 174.20 154.27
iracundiam esse rationis participem 176.25
irascendi uis 354.19 39 176.23
Italicæ mensæ damnatæ 124.36
iucunditas primum genus boni 71.53
Iudæorum lege agrorum populatio prohibita 213.6
iudex animo imperat 111.42
iudex bonus quærendus 262.44
qualis esse debeat 131.42
iudicis ac medici similitudo 132.10
iudicem senem esse oportere 112.8
iudices boni qui 111.24
iudicari triplici forma quodcunque posse 369.53
iudicialis sapientia 57.2
iudiciorum finis 173.57
iuniores iubesse debere 115.28
Iupiter quintum cœlum 414.7
in Iouis limine duo dolia 72.7
iurisconsultorum decor 39.45
iurisperitia unde inuenta 129.53
ius si uiolandum, imperij caussa maximè 34.1 & 343.1
iusticia amicitiam & concordiã parit 28.52
iusticia animi uirtus 46.50
iusticia aut uniuersalis aut particularis 80.46
iusticia ciuitatis in quo sita 82.13
iusticia colenda 404.23
iusticia commutatrix quò pertineat 82.20
iusticia cunctis indifferenter tribuenda 37.3
iusticia humana uirtus 10.39
iusticia iniustorum qualis 29.47
iusticia longè auro preciosior 12.17
optimũ animæ præmiũ 399.49
iusticia quæ gignat bona 46.5
iusticia quid 151.35 162.38 163.1 173.41 174.2 178.2 373.14 30 quomodo tueri possit inter ciues 47.20
iusticia scientia 45.50 uirtus animæ 31.21 uitæ ratio 227.41.50
iusticia unde nascatur 179.8
iusticiæ alta mœnia cõscẽdere. 56.27
iusticiæ munus & officium 178.27
partes 121.3
iusticiam colligationem omnium uirtutum esse 170.13
iusticiam & uirtutem esse & sapiẽtiam 27.42 28.16.34
iusticiam inesse in bona repub. 153.30
iusticiam omnium uirtutum connexionem esse 136.43 178.49
iusticiam quid gignat 164.6
iusticiam sub honestatis formam cadere 76.38
iusticiam uirtutem esse & sapientiã 27.42 28.16 39.43.57
de iusticia ciuitatis 85.52 136.42
commutatiua 36.18
sine iusticia non rectè uiuitur 41.50
nullas societates conseruari. 46.2
iusticia uis externa 107.44
iustum duplex, & quid utrunque. 39.2 169.52
iustum ipsum idem semper. 224.47
iustum non esse id quod principi placet 374.9
iustum particulare pro communi 39.1
quid Simonidi 6.40 34.40
iusti laudator qualis 363.33
iusta aut iniusta ciuitas unde dicatur 173.55
iusta iustis præcipienda 274.5

iu[illegible] iuſtitia dicitur 374.26
iuſtus ſemper uincit, & contrà 31.23
iuſtus bonus & ſapiens 27.33
iuſtus dijs amicus 29.33 394.32
felix 31.26
iuſtus quis 162.3
inter iuſti & iniuſti uitam quantum interuallum 362.21
iuſti nõ eſt, cuiquã nocere. 113.37.40
iuſtum bonum ac ſapientẽ eſſe 45.36
iuſtũ deo ſimilẽ fieri conari. 394.46
boni ijdem & iuſti 9.41 11.2
iuſti ſapientiores, meliores & potentiores ad agendum 29.39
iuuenes qualiter erga ſenes ſe gerere debeant 142.48
iuuenum Græci amatores 80.20
iuuenũ erga ſenes reuerentia 199.1
iuuenum munus in repub. 117.33
iuuenum ornatus 142.51 et in ſeq.
iuuenes præcoci ſapientia 132.52
iuuenum principalis nutritio 103.51
iuuenibus labores conuenire 292.35
iuuentus ciuitatis qualiter inſtituenda 68.4.38
iuuentus quibus difficilis 4.30
iuuentus ſtudijs aptiſſima 305.26
iuuentutis inſtituendæ ratio 87.3
L
LABOR ac ſomnus diſciplinis aduerſi 292.7
laborem ante uirtutem dij poſuerunt 55.4
labores iuuenibus conuenire 292.35
Lacedæmonij nudi certabant. 185.12
Lachesis 399.27 403.9
Laconica Reſpub. 308.26
lana coronare 90.36
laruæ 85.27
latère dũ nihil poſſe 70.18
latrones unde dicti 20.24
laudator iuſti qualis 363.33
lecti ſimilitudine mundum, ſiue reliquas creaturas adumbrat 377.15 404.36
in Legulatores nouos 144.30 & 169.41
per Leonẽ quid intelligat 364.46
leonem tondere quid 17.19 40.6
Lethes campus 403.22 fluuius 404.15
lex de adoleſcentibus amãdis 105.37
lex quid dictet 385.10
legis officium 273.1
unde tot Leges ac innouationes 141.34
leges Apollinis Delphici 145.4
leges ex hominũ iniuſtitia natæ 77.19 169.16
leges unde deriuentur 257.22
legũ nouarũ turba quid pariat. 144.39 169.41
legibus tanquam principibus parendum 374.15
liberorum ſeruitus 334.35
libertas extrema in extremam ſeruitutem abit 341.20 328.18.23
Lotophagi 325.35
lucri cupidorum difficilis familiaritas 5.20 33.36
lumen cœli uinculum 398.20 uiſui neceſſarium 254.48
lunæ proximum cœlum 424.12
lupũ ex homine fieri 332.7.23. & 342.28
lupi Mœrim uidere priores 37.57
luxus Corinthius 107.13
Lydiæ harmoniæ 100.20
Lydiã muſicam cur damnet. 126.10
lyra ciuitati apta 126.38 101.23
Lyſanias Cephali pater 5.5
Lyſias Polemarchi frater 2.48
M
MAGISTRATVS boni officium 43.43
magiſtratum qua de cauſa ſuſcipiant boni 24.9
magiſtratus cur expetendi 43.1
quibus dandi 274.29
magiſtratum recuſanti mulcta imponenda 23.51 & 24.5
magna, ſæpe fallacia 242.25
maiora qui facit, minora quoq; facere poterit 168.3
malum duplex 409.10
malum ex imitatione poetica proueniens 386.23
~~malum morale unde~~ 409.2.10
malum multis modis malum 179.32
malum quid appellet 408.54
malũ quid, & unde naſcatur 84.43
ex Malo alieno nihil corrũpi 391.40
malorum an ſit autor Deus 85.40
non eſſe 72.28
malus arrogans 27.20.20
malus nemo ſponte 85.23
mala à dijs non prouenire 92.40
malorum apud inferos ſtatus 54.50 & 57.24
mandragora cur ſomnum inducat 258.26
Marſyæ inſtrumenta 101.28
Martis cœlum ſextum 414.7
mathematicæ ſcientiæ quæ 304.32
materia ciuitatis 81.49
matres quæ 195.11
matria, patria 348.50
mechanicus affectus 364.47
medica purgatio 332.48
medicinæ ars cur inuenta 17.48
medicinæ artis effectus 23.4
medicina unde nata 129.53
medicus corporum dominus, non pecuniarum cumulator 18.41
medicus qualis eſſe debeat 111.53
medicus quis, & eius officiũ 17.27
medicus uerus cui prodeſſe ſtudeat 18.37
medici & iudicis quanta ſimilitudo 132.10
medici officium 7.42
medico quali opus ſit 192.50
medici Aeſculapij filij 379.38
medici boni qui 111 19.30
medicis quando caruere Romani. 82.59
mediocritas affectuum optima 370.25.44
melodia quibus conſtet 100.5
melodiæ formæ tres 126.6
de Melodia 99.48 qui ſcripſerint 126.14
mendacium odioſum & dijs & hominibus 74.25.48
mendacium per ſe turpe 85.12
mendacium quid 74.41
menſæ Syracuſanæ 107.9
mentem ſulcum appellat 78.17
mente pigri 191.15
mentiendum nemini 6.9 et 122.9.16
mentientes puniendi 90.20
bene mentiri, & ſecus 70.7
mercedes iuſto à dijs tributa 395.36
mercenarius affectus 364.47
mercenarij qui 63.41
Mercurij quartum cœlum 4 4 10
methaphyſica pars dialectica 260.48 304.29
meum, & nõ meũ 196.9 197.40
militi ars numerandi neceſſaria 276.17
militum cibi commodiores 106.48
militare cum uiris mulieres 201.2
militaris diſciplina 202.10 & ſeq. 222.11
mille iter annorum 396.45 404.28
Minerua dea Piræenſ. 31.38
pingui Minerua rẽ tractare. 249.14
miſer quis 31.27 item miſerrimus 353.51
moderatio temperantiæ pars 122.37
modeſtus uir qualis 229.40
mœror domeſticus 386.41
mollicies cuſtodes non decet. 100.24
mollicies delicata 364.36
monarchia quæ 180.3
monere dictis 21.36 40
morale malum, unde 409.2.10
morbus uitium corporis 390.48
morbi noui ex intemperie 108.20
morbi unde 129.50 179.7
morbos paternos in filios tranſfundi 131.18
mors cur non timenda 121.36
mors ſeruituti præferenda 121.27

poſt

post Mortem altera uita 53.8
moris improbi sorores quæ 103.13
mores hominum sibi causa malorum, non senectus 4.20
morum corruptores poetæ 408.1
de Morbus disputatio philosophiæ conuenit 1.10
motus cuiusq; terminos quatuor esse 174.39
motus species duæ 302.52
mulcta imponẽda ijs, qui ad magistratum accipiendum cogendi sunt 23.50 & 43.30
mulieres communes 190.43 & 218.17 & 197.50 cum uiris militantes 201.2
mulieres custodum nudandæ 190.14
mulieres multas multis uiris præstantiores esse 188.37
mulierum uirorumq; coniunctiones 142.35
mulionum mores 41.40
mundi Deum esse autorem 404.49
munere quẽq; suo fungi debere 217.1
munera ciues ca ieant 91.45
munera uisto à dijs tributa 395.36
munera uiris & fœminis communia 217.20 & seq.
muneribus precibusq; Deum flecti 55.47 & 57.19
musa uoluptuosa à ciuitate arcenda, 388.14
musam quid appellet 261.17
Musæi libri quid tradant 56.5
musica 69.9 & 285.2. ad quid conferat 127.50 circa quæ uersetur 303.3
musica cum gymnastica iungẽda 213.17 & 132.29
musica quæ ciuitati apta 126.19
musica oratio 83.50
musicæ finis 105.50 mutatio perniciosa 142.1 & 162.27 usus 213.16
musicam ad mores formandos pertinere 126.22
musicam cur astrologiæ iungat Plato 302.47
musicam omnem motu peragi 127.6
musicã pro moderatione animi à Platone capi 337.26
mutatio omnis noxia 368.31
mutatio unde fiat 341.26
N
Narratio quid 93.44
narratio simplex quæ 94.37.46
nati natorum 57.26
natura quò ducit, id unumquemq; aggredi 66.23
Naucleros quis, eiusq; officium 17.30 & quare gubernator appelletur 17.40
nautarum princeps gubernator nauis 18.44
necessitas amatoris 192.6
necessitas dea 398.26
necessitas Diomedea 238.7
necessitatis thronus 403.20
necessitas uitæ, ciuitatis condendæ causa 81.11
necessitatem cœlo præsidere 911.55
neminem sponte malum esse 373.38
Niceratus 1.45
Nicias ibid.
nocere alicui 37.41 iusti non est 113.37.41
nocturna sacra Mineruæ 2.30
numerandi ars omnibus artibus necessaria 275.51 circa quæ uersetur 278.47
numerus duplex 300.54 uitis hominum conueniens 362.24
numerorũ cognitio quàm utilis 279.22
nuptiarum celebratio 193.6 & 219.22 institutio 192.16 ordo 219.8
nutritio filiorum 193.42 iuuenum principalis 103.51
nutrix patria 205.10
nutrices quales 194.5
O
Obiectum quid 175.2 & 264.9
obliuionis fluuius 404.15
obliuiosus ad philosophiã ineptus 230.9
obsonia ciuiũ Platonicæ ciuitatis. 64.23
ociose quales 329.30
oculum non esse solem 253.10
oculi quibus modis turbentur 271.1
odium gigni iniustitia 29.3
officiorum communicatio est commercium 8.13 & 36.15
oligarchia quid 170.50 & 180.13.19 & 107.6 & 308.27 & 335.12 eius proprium 338.2 & 341.3
ex Oligarchia in democratiam degeneratio 339.1
opes partæ à nobis, tenacius seruantur 33.42
opes efficere senectutem uenerandam 33.33
opes impedimento esse senibus, & oneri 5.27 & 33.50
opibus deteriores fieri 166.29
opificem quemq; suo opificio uti debere, non alieno 81.27
opificia diuersa in ciuitate 81.31
opinio 171.5 & 211.40 & 213.2 & 226.12 circa quæ uersetur 212.20 & 116.9 & 133.44
opinionis legitimæ conseruatio 171.30
inter Opinionem & scientiam discrimen 251.24
opiniones absq; scientia turpes 151.24
optimatum gubernatio 14.19 & 166.7 & 180.7.19
ex Opulẽtia corrumpi ciuitatem. 139.29
opulẽtia deteriores fieri artifices. 139.10
opus suum cuiq; assignatum in ciuitate bene instituta 109.8
oratio animi affectionẽ sequitur 102.39
oratio musica 83.50
orationis epulum 29.40
orationis translatitiæ triplex forma 124.1
orationi facta respondere 127.22
orationem rhythmus & harmonia sequuntur, non contrà 102.33
oratione exasperari 11.7
ordo in doctrina præcipuus 305.4
ornatus pro temperantia 171.46
Orphei libri quid tradant 56.6
P
Pædagogi quales pueris præficiendi 202.1
Panathenæa festa qualia, & à quo inducta 31.48
à Pandora confusio facta 72.15
Parcæ 403.9 & 425.4 Necessitatis filiæ 399.24
parcere uni quàm utile 374.12
pares cum paribus 3.34 & 2.50
pastoris cura præcipua quæ 21.50
ne Patri quidẽ parcit tyrannus 347.18 & 348.45
patres qui 305.18
patria mater & matrix 205.10
patria pompa 1.29
patrius Deus 245.10
patricida tyrannus 314.42
paucorum potentia quæ 308.27 & 315.10
ex Paupertate quæ oriãtur mala. 139.29
peccatorũ purgationes per sacrificia fieri 56.10 & 57.28
pecunia instrumentum ciuilis commutationis 35.20
pecunia careant custodes 13[illegible].20 & 136.26
pecuniæ possessio à quo non signiferenda 6.3 & 34.7 ad quid conferat 6.7 3.4
pecuniæ usus ciuitati necessarius 81.3
pecunias qui acquisiuere, quanti faciant 5.13
Persicus ensis 318.2
Phœnices è terra se ortos iactant 14.49

pinadigin 215.14
philosophia cur uituperetur 290.12 & 294.23
philosophia & ciuilis potentia concurrant 208.23
philosophia omnibus artibus dignitate præstans 240.9
philosophia quid 257.34
ad Philosophiæ studium quis suscipiendus 290.20
philosophiæ cõuenit de moribus disputatio 1.10
philosophiã qui tre uulgus oderit 24.4.51
ad Philosophiam quis aptus, aut contra 228.13 & seq.
in Philosophia qui dignè uersentur 240.36
philosophus præ cæteris optimè iudicat 356.14
philosophus qualiter à nõ philosopho discernatur 229.25
philosophus quis 83.31 & 210.7 & 224.23
philosophus qualis aptus ciuitatis custos 83.35 quõ diuinus 245.21
philosophus sit custos 279.1
philosophi ueri officium 257.29
philosophum qualem esse uult Plato 226.29
philosophi qui 227.14
philosophos principes esse debere 208.20
Phrygiam musicam cur damnet 126.21
physicus quis 226.31
pictor qualis imitator 377.19.57 & 378.14
picturæ quæ uitandæ, quæ admittendæ 127.31
pietatis in Deum caput 84.10
pietate sint custodes imbuti 47.25
pigri mente 191.15
pigritia custodes non decet 100.24
pingui Minerua rẽ tractare 249.14
in Piræum Socrates deam precaturus descendit 1.21
Platonis institutum in libris de repub. 1.3
plebs liberrima nulli parère uult 341.20
Plutonis galea 394.1
poemata sua poetæ maximè amant 5.20 & 33.34
pœna quæ conueniat ignoranti 13.10
pœna malis post mortem an sit, dubitant senes 5.35
pœna purgari homines 374.22
pœnæ animarum 397.1
pœnas dantros malos apud inferos 57.24
de Pœnis inferorum Pindarus 5.48 et 34.4
pœnitentia turpiũ actionum comes 416.2
poesis cui ætati maximè apta 84.1
poesis fabulosa oratio 83.55 quæ reijcienda 375.8 quomodo homines imitetur 384.14
poesis uoluptatis ministra 388.36
poesin esse quandam imitationẽ 407.22 tanquam picturam ueritatis 403.37
poesin nullius esse cognitionis 407.18
poesin qualem è ciuitate expellat Plato 388.20
ex Poesi quid in ciuitate admittendũ 388.10
poetæ filij & prophetæ deorum 57.31
poetæ molles quanta mala gignãt 121.22
poetæ morum corruptores 408.1
poetæ primùm legendi pueris offeruntur 47.26
poetæ qui pellendi urbe, qui admittendi 125.48
poetæ uirtutis imaginũ imitatores tantum 381.16
poetarum commenta damnantur 86.40
poetarum lectio quàm perniciosa 122.52
poetas casu doctè scribere, non eruditione 405.33
poetas cur è ciuitate sua expellat Plato 86.42 & quos 99 26.36
poetas ineptos atq; inutiles esse 405.43
poetica imitatio eadem quæ pictoris 385.52 & 386.1
Polemarchus 1.35 & 2.50
Polydamas athleta 14.9
popularis gubernatio 14.18 & 308.30 & 320.12 quando fiat 322.2
ex Populari repub. tyrannidem surgere 329.21
popularis uir qualis 345.14 & 361.50 cui rei similis 349.37
populus quomodo uocandus 195.52
populus tyranni genitor 330.50 & 334.18 & 344.2 & 367.47
positiuum ius 169.53
potentia quid 212.31 & 225.30 instar subiectæ materiæ 42.40
præceptoris munus 123.36
præclara difficilia 242.26 et 261.20
præcoces iuuenes 131.52
præfectus, uide Rector, & princeps.
præfectorum nomine qui intelligãtur 133.25
præmium animæ iusticia 397.49
præmium bonorum principum 23.38
præmium, cuius gratia imperant boni 23.40
præmium uirtutis 54.45
præmiũ uirtute præstantius 410.46
præmia à Deo per Mosem proposita 78.40
præmia æterna animæ proposita 408.44
præmia conferri iustis unde confirmatur 410.33
præmi a iusto à dijs tributa 395.36
præmia strenuorum militum 222.28
de Præmijs beatorum, Pindarus 5.48 & 34.4
præses qualis reipublicæ constituendus 125.13
ex Prauis opinionibus turpia nasci facta 340.27
prauitas quid 164.24
precibus Deum, muneribusq; flecti 55.47 & 57 18 & 78.47 & 79.27
princeps, uide Rector, & præfectus.
princeps legitimus nõ suam, sed subditorum commoditatem respicit 18.47 & 19.10 & 40.30
princeps qua de causa imperium suscipiat 42.53
princeps quis cõstituendus ciuitati 117.17
princeps quomodo supra leges 257.28
principis cuiusq; proprium 42.8
principi iustè imperanti obtemperandum 39.30
principi quæ conueniant 257.29
principi quatenus mẽtiri liceat 134.48 & 135 5.14
principem philosophũ esse decet 180.50
principes qui 196.47 quales esse debeant 347.40 quales deligendi 289.40
principibus aliquando non obtemperandum 39.23
principiũ in unaquaq; re quiddã maximum esse 69.26
ex Principio bono omnia bene procedere 168.44
principatus ambitiosus 309.38
principatus quilibet subditis prouidere debet, nõ suo commodo 22.3 & 32.26
principatus quisq; fert leges ad suam utilitatem 14.22
principatus tres 354.15
de Principatu contentio quàm perniciosa 274.22
processum Filij à Patre, monstrari à Platone 264.27

procrea-

procreationis tēpus 194.20 et 219.43
Prodicus Chius 380.47
prodigi quales 329.30
propheta 399.40
prophetæ deorum poetæ 57.31
proprium maximè cuiq;, quod optimum 361.8
Protagoras Abderites 380.46
prouidentia messe 79.17 & 410.33
prudens unde dicatur 177.37
prudentia colenda 404.23
prudentia quid, & in quo uersetur 170.30 & 48.1 & 44.26 & 130.41
prudentiæ uis & officium 177.32
prudentiam appellat sapientiam 44.23 & 170.18
prudentiā uersari in cognitione scientiæq; ueritatis 177.53
pueri equis ad prælium ducendi 291.45 & 221.54
pueri ne terreantur. fabulis deorum 74.13
puerorum somnia perturbatißima 5.42 & 34.10
pueris quæ tradenda 291.30
pueri qualiter ad bellū formādi 201.3
qualiter docendi 291.40
puerorum amatores 209.21
pugnæ deorum 71.5
pulchra, difficilia esse 154.11
purgari homines pœna 374.22
purgatio modica 332.48
purgationes scelerū per sacrificia fieri 56.9 & 57.28
pusillanimitas quantū noceat 229.29
Pythagoras 380.26
pythagorea uita 380.28

Q

Querimonia senum 3.40 & 32.50
quies animi aurea 370.25
quies medium inter lætitiam & dolorem 357.11.34

R

Ratiocinari, numerare 299.39
rationis cupiditas circa quæ uersetur 369.44
rationem statuere, mentis est 407.14
à Ratione quid longißimè seiunctum 361.25
rationes philosophi instrumentā 356.24
rationum uestigia 56.49
per Rationes esse iudicandum 355.37. & 356.22
rector. uide Præfectus, & Princeps
rector bonus quis 40.40
rectores quales præficiendi pueris 201.51
rectorum animus 134.40 & 135.5
rectoribus in creandis delectus 133.37
& 138.36
regiæ appetitiones 361.30
relatorum proprium 175.31
religionis cura prima reipub. institutio 145.5 & 170.1
de Religione custodiū ciuitatis 47.25
respondere difficilius quā interrogare 11.47
respondere non solitus Socrates 13.20
respublica interior 366.21 mixta 180.14 & 20.35 quando bene disposita 251.13
qualis respublica, tales ciues 223.44 & contrà 335.33
ad Reipublicæ administrationem qui inepti 277.24
reipublicæ bonæ mutatio in aristocratiam 337.44
reipublicæ commoditas in quo sita 47.21
reipublicæ finis quis 127.45
reipublicæ gubernatio quibus cōmittenda 227.22
reipublicæ munera uiris & fœminis communia 299.36 & 306.44. & 307.6
reipublicæ quatuor formæ 307.5.22. et 308.21. & 335.9. quinq; 165.11 et 335.10 et 307.5.26 tot formæ, quot hominum mores 309.6 et 335.24
reipublicæ uitium in quo 179.27
rempub. qui rectè instituere parat, de iustitia primùm doceat 2.12
in Republ. bona messe iustitiā 153.30
in Republica qui imperari, qui subesse debeant 115.26
respublicæ unde fiant 309.7
respubl. posse mutari quomodo 335.42
rex uerè uoluptati proximus 361.34
reges huius ætatis qualiter persuasi. 41.30
reges philosophari debere 208.20
rhapsodi 65.18 poetæ 66.22
rhythmus orationem sequi debet. 100.14
rhythmus quid 125.28
rhythmi tres species 127.1
rhythmorum Damonis accōmodatio 102.2 et 126.50 et 127.12
ridendum nihil nisi quod malum est 185.10
risus effusus cauendus 89.37
risus Sardonicus qualis 38.1 et 12.26

S

Sacra nocturna Mineruæ 2.30
sacra nuptialia 193.22 et 219.24
sacrorum celebratio unde 56.7
sacrificia à quo instituta 145.8
sacrilegi unde nominentur 20.24
sanitas unde nascatur 179.6
sapiens & bonus est iustus 27.33 item modestus. 27.17
sapiens quis 161.42 & 226.30
sapiens quomodo ciuitas 146.6.36
sapientem esset iustum 45.36
sapientes quomodo tyranni 333.32
sapientia quid 259.56 & 260.1 quibus bonum 250.18
Sardonicè ridere 12.26 & 38.1
Sardonicus risus 38.1
Sarraceni agros nō populātur 223.7
Saturni cœlum septimum 413.2 & 414.6
scelerati puniendi 374.24
scientia intellectilis 300.17
scientia quæuis quorum utilitatem requirat 18.32
scientia quid 212.51
in Scientiæ definitione Aristotelis & Platonis differentia 226.44
scientiæ initia in animo inesse 292.49
inter Scientiam & opinionem discrimen 252.24
scientiæ liberales 288.16
scientius uirtutes nominari à Platone 45.54
scire quid 211.50
ad Scopum accedere 348.33
scurra ridiculus 387.38
scurrilitatis crimen 387.33
sedationis & belli discrimen 223.8
seditiones iniusticia parit 28.50
sempiternum nō esse, quod è pluribus constat 392.41
senectas à lasciuia libera 4.12
senectus debilis 5.37
senectus quib. facilis, et cōtrà 4.20.30
opes Senectutem efficere uenerandam 33.33
senectutem per se non contemnendam 33.3
senectutem satis per se laudatam 33.28
senem iudicem esse oportere 112.8
senes cur debeant esse præfecti 133.29
senes cur senectutem accusent 3.46
senes decet de senectute disputatio 1.10
erga Senes qualiter se iuuenes gerere debeant 142.48
senes uoluptatibus priuantur 33.10
senum dubitatio de pœna malorum post mortem 5.32 & 34.1
senum timor & cura 5.30 & 33.52
in Senibus quanta solicitudo 5.30
seniorem præesse iunioribus 198.52
seniores imperare debent 115.18
senum in moribus quoq; 305.19
sensibus nullus error 300.4
sermo ad fingendum facilior, quàm certa 363.5

sermonis

sermonis hæres 6.40 & 34.39
sermonem iacere 21.2 & 41.40 in animum impingere 21.33. 42. 50 tradere 6.34
serpentes carminibus deliniri 49.10 incantationibus obstupescere 76. 47
seruatores principes uocandi 196.50
seruilis dominationis flamma 374.36
seruitus liberorum 334.35
seruitus plus quàm mors timenda 88.3
mors seruituti præferenda 111.27
in Seruitutem extremā abit extrema libertas 341.10 & 329.18.23
seruum à natura neminem 221.34
seruorum loco qui habendi 212.38
seruorum seruitus 334.50
Sicula obsonia 107.10
simiam cupiditas repræsentat 374.2
per Simiam quid intelligat 364.40
simile aut dissimile unde dicatur 173. 53
simile semper simile prouocat 143. 11. & 168.56
Simonides sapiens & diuinus 6.44
simul ichorum cultum 302.37
sirene in circulis cœli 399.19
societas nulla sine iustitia conseruatur 46.2
ad Societatem quid homines impulerit 218.44
Socrates nihil se scire prædicabat 13. 24. & 38.25
Socrates prohibitus dicere quæ sentiebat 13.27
Socratis dæmon 240.53 & 260.18 ironia 12.30 & 38.3 sapientia 13.41
sol quomodo ad uisum se habeat 253. 10
sol Deus 253.9
sol Heraclitus 242.49
solis effectus 154.14
solis secundum cœlum 414.11
solatia multa diuitibus 4.32
solicitudo in senibus quanta 5.39
solon Atheniensium legislator 380.9
somniare quid 211.27
somniū ab Ioue Agamemnoni missum 76.8
somnia puerorum perturbatißima 5. 42 & 34.1
somnus disciplinis aduersus 292.7
Sophocles uoluptuarius 33.12
Sophoclis dictum 4.10 & 33.20
sortes 78.20
sorores quæ 195.10
sortes 193.31 & 219.27
sortes electionum 401.4 & 402.3
sortibus plena Iouis dolia 72.7
sortitio Fatorum 415.12
specus Platonis 267.19 & 295.42 & 303.35 & 306.18
spes bona et mala unde in senibus 5.50
spes bona, senectutis nutrix 5.32
spondeus 127.8
stereometria 302.6
stultitia generosa 25.10 & 44.17
subditorum munus 28.32
subditorum, non suam cōmoditatem respicit legitimus princeps 24.20 & 18.47 & 22.3 & 23.10
subiectum cuiusque artis definitum 40.8 & 42.20.4
subiectum quid 175.38
sulcum appellat mentem 78.17
ad Supernorum cōtemplationem quæ disciplina inducat 283.26
suppositionum usus 255.16. & seq.
sycophanta 16.20. 51
Syracusanæ mensæ 107.9 & 129.33

T

in Tartarum proiiciendi 398.1
teleiæ 56.12
temperans quis 161.47 unde dicatur 177.36 & 229.19
temperantia abest, ubi diuitiæ honorantur 310.30
temperantia iuxta ex gymnastica et musica 177.22
temperantia 136.42 & 149.5 & 150.32 & 162.1 unde nascatur 11.3
temperātia adolescentib. opus 90.30
temperantiæ officiū 86.40 & 277. 27 partes 122.29
templorum cōstitutiones à quo 145.8
tempora anni quatuor 81.24
tempus procreationis 194.20 & 219.43
tempus uitæ exiguum 389.44
Thales Milesius 380.19
Themistoclis egregiè dictum 4.36. & 33.30
Thomæ Aquinatis laus 336.21
Thracum pompa 1.30
Thrasymachus Chalcedonius 2.40 48. & 37.52 eius arrogantia 11. 40 & 38.20
timida natura philosophiam non conuenire 229.38
timor in senibus qualis 5.30 et 33.50
timor pueris prohibendus 121.38
toni harmoniæ quatuor 127.1
tondere leonem quid 17.19 et 40.6
tragicè loqui 134.14
tragicus qualis imitator 377.50 & 383.1
tragicorum dux Homerus 375.24 & 377.48 & 388.10
tragœdia 95.24 & 124.5 sapiens artificium 333.29
non ante Trigesimum annū dialectica attingenda 292.30 & 294.10
trigonus instrumentū musicū 126.38
trochæus 127.12
Troianos de imagine Helenæ decertasse 360.37
Turcæ agros non populantur 223.7
turpe nihil Deo ascribendum 84.50
turpe noxium 190.28 & 218.12
tyrannica gubernatio 14.18 purgatio 332.46
tyrannicæ cupiditates 361.27
tyrannicæ crudelitatis exēpla 342.23
tyrannicus animus 368.45 & 349.2
tyrannicus uir cui rei similis 349.37 quando fiat 346.25 qualiter à uitijs ad scelera progrediatur 346. 4 & in seq.
tyrannici uiri uita 346.30
tyrannicum nunquam ueram amicitiam gustare 349.14
tyrannis quæ 20.18 & 180.8.13. & 307.6 & 308.32 & 327.29 & 335 quibus modis efficiatur 341.38 unde oriatur 327.21 & 329.21
tyrannidis causam esse cupiditates ciuium 367.5
tyrannidis & iusti imperij discrimen 134.38
democratiæ in tyrannidem degeneratio 340.41.52
tyrannus animo & re 369.7
tyrannus miserrimus 354.1 patricida 334.42
tyrannus qualis 367.45 quis 41. 17 ex qua radice pullulet 331.8. quàm procul absit à uera uoluptate 361.37 & 261.6 quibus in miserijs uersetur 350.48 & 352.8
tyrannus uerè seruus 353.11
tyranni genitor populus 330.50 & 334.18 & 344.2 & 367.47
tyranni sæuitia 342.45
tyranni uitæ & regis quanta differentia 361.37 & 362.14
apud Tyrannum nemo probus 368.1
tyranni qui uocentur 369.19
tyranni quomodo sapientes 313.32
tyrannorum locus & pœnæ apud inferos 397.30

V

Varietas delectat 125.32
uarietas ferculorum quid pariat 107.25
uatum impostura 55.17
uenereum actum furiosum dominum uocat 4.8
uerax deus & simplex 75.16
ueritas non occultanda 79.5

ueritas

INDEX.

uerit.as odium parit 169.28
ueritatis uis 179.17
ueritatē in mente nasci 259.1 in mente sitam esse 265.3
ueritatem poetis nō attingere 381.16
ueritatem quò referat Plato 405.15
uerticulum quid appellet 411.23
uerticula cœli 398.40
uestigia rationum 56.49
Venus quintum cœlum 414.9
uia ad uirtutem difficilis 55.50.45
ad Vitia facilis 55.43
uictimæ Deo notæ 6.10
uictorum precium 222.42
uictus ratio morbis remedio 130.33
uigil quis 211.32
uinculis deos inducere 78.44 & 55.37
uir bonus adulari nescit 368.2
uir modestus ne cum paupertate quidem senectutē inique ferret 4.43
uir pessimus quis 349.22
uir popularis 322.12. & 327.16 qualis 345.14
uir temperatus qualis 229.19
uir tyrannicus quando fiat 346.25
uiri tyrannici uita 346.30
uiro adesse, prouerbium 54.4
uirum bonum esse beatißimū 353.47
uiri qua ætate ad generandum optimi 194.20 & 219.43
uirorum fortiū præmia 222.21.27
uiris & fœminis munera communia 217.20. & seq.
uiris & fœminis reipublicæ munera communia 295.36 & 356.43 & 307.6
uiris multis mulieres multas præstantiores esse 188.37
uiris ut robustioribus utēdum 188.46 & 189.17
uirtus animi iusticia 46.51
uirtus cū uitijs nequit cōsistere 339.13
uirtus humana iusticia 10.39
uirtus inuiolabilis ac libera 399.51
uirtus pro uestibus induenda mulieribus 190.15
uirtus quid 164.21
uirtus semper colenda 125.6 sola laude digna 215.43
uirtus satis magnū præmium 410.45
uirtutis præmiū 54.45 & 404.26
uirtutis propriæ inopia cogit externa uti iusticia 107.3
uirtuti sua actio est 46.31
uirtutē à dijs in arduo positam 78.43
ad Virtutem difficilis uia 55.45
ad Virtutem exhortatio 415.20
uirtutem unam esse 179.30
uirtutes animæ qualiter comparentur 271.46
uirtutes cardinales quatuor 170.8 & 180.1. & 257.38
uirtutes omnes inter se connexas putat Plato 123.4
uirtutes omnes scientias esse 171.10
uirtutes scientias nominari à Platone 45.54
ex omnibus Virtutibus unam facit uirtutem 136.46
uim uerbis inferre 17.5 & 39.54
uisus potentia 252.24
uita quid 46.46
uita iusti ab iniusto quanto interuallo distet 361.22
uita post mortem altera 5.38
uita tyranni durißima 353.6 & 346.10
uitæ electio animabus libera 399.50
uitæ instituta honesta 364.4
uitæ humanæ meta 397.4
uitæ necessitas ciuitatis condendæ causa 81.11
uitæ ratio est iusticia 21.170. & 41.50
uitæ tempus quàm exiguum 389.44
uitium solum uituperandum 216.43
uitia multiplicia esse 179.30 & 18.2
uitia à corpore contrahi 409.6
in Vitia cur pleriq; labantur 79.50
ad Vitia facilis uia 55.43
uitia nobiscum nasci 55.44
uiuere, est animæ opus 31.5
qui bene Viuit, beatus est 31.25
ad Viuum resecare 16.34
umbras entium quid appellet 303.37
uni parêre quàm uiis 374.12
unio ciuitatis quàm optima 220.14
uoluntatis solo impulsu iusticiā nos sequi 79.40
uoluptas quæ maior 105.23. quibus bonum sit 250.17. uera quæ sit 357.2. una legitima 361.40
uoluptatis ministra poesis 388.36
uoluptatem non esse doloris cessationem 358.16
uoluptates non necessariæ quæ 323.42
uoluptates tres 354.13
uoluptates ueræ quæ 361.2
uoluptatum impetus 343.44. & 345.7. tres species 355.5
uoluptatibus exhaustum esse 33.16
uoluptatibus priuari senectutis commodum 33.10
uotis hominum deos placari 56.3
urbium condendarum causa 218.41
utiles & bonos amare decet 9.33
utilitas 168.14 & 45. tertium genus boni 76.2
utilitatem propriam habet ars qualibet 22.43
uulgi uita 360.8
uulpem astutam trahere 56.40
de Vxorum communitate 180.45

FINIS.

ERRATA.

Pagina 2.uers.22.43.mendicus 66.26.illud 77.24.absolutè 80.17 noluerim 94.26. Quid tu 105.28.pulchrè 117.47.persuaserunt 129.37.Italicas mensas 145.24.circunspice 179.38.quodā in 183.27.delinq. 321.33.cutis 352.40.formidolosus 372.57. Ficinus 394.47.à simili

BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS OPORINI, ANNO SALUTIS HUmanæ M. D. LXI. Mense Septembri.



00-